

PHILIPPI CÆSII à ZESEN

COELVM ASTRONOMICO-POETICVM

five


MYTHOLOGICUM STELLARVM FIXARVM,

hoc eſt,

Signorum cœleſtium, ſive Conſtellationum omnium ad certas imagines redactarum, inque Cœlo fictitio ſive Organo Globi Aſtronomici continui, mythologico nomine & picturâ, ab Antiquis repræſentatarum

SVCCINCTA DESCRIPTIO.





AMSTELÆDAMI,
Apud IOANNEM BLAEU.
cIↃ IↃC LXII.



INCLYTÆ
AMSTELÆDAMENSIS
REIPVBLICÆ
CONCORDI
CAPITVM
QVADRIGÆ,
ILLVSTRIBVS
NECNON
AMPLISSIMIS
DOMINIS
CONSVLIBVS,
D. CORNELIO DE GRAAF,
Libero Domino in Suid-Polsbroek,
D. CORNELIO WITSEN,
D. CORNELIO DE VLAMING
AB OVTSHOORN,
Equiti, Toparchæ in Outshoorn, & Gnephoeck,
D. HENRICO HOOFT,
MECOENATIBVS MEIS MAGNIS,
COELVM HOC ASTRONOMICO-POETICVM
ANIMO DEVOTISSIMO ET OBLIGATISSIMO.
D. D. D. D.

PHILIPPVS CÆSIVS à ZESEN.

CÆSIA quæ PALLAS Globulo *Vivaria* ficto
Vranies propiùs conspicienda dedit,

hîc descripta Tibi, PROCERVM QVADRIGA, sacravit
CÆSIADES, recitans mystica Mythologûm.

Scilicet Æthereum quæ Grex emblemate Templum
pingit, & illuni nocte micare facit,

unde trahat varium Picturæ, & Nominis ortum,
prodit, & ex Vatum traditione refert.

Est blax & blennus, qui luxuriantia Cœlo
Sidera non curat, qua micat ipse DEVS.

P. C. à Z.

PRÆ-

PRÆFAMEN.

BENIVOLE LECTOR,



Um ſingulis ferè mortalibus à natura inditum ſit, ut Cœlum, regium illud Palatium auro gemmiſque nitidum, intentis oculis contemplentur; quippe Deus ipſe, Ovidio teſte,

Os Homini ſublime dedit, Cœlumque tueri juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus;

imò ipſum Cœlum, & nobiliſſima ejus ſidera, voce tubâ clariore, ad ſui contemplationem omnes invitent; nullum planè eſt dubium, quin primi Parentes ante diluvium, ubi ſcilicet feliciore cœlo pariter ac ingenio, & diuturniori vitâ fruerentur, ad penitiorem cœleſtium cognitionem, quippe quæ omnibus, Zabarellâ teſte, licet rudis & imperfecta, tamen longè expetibilior eſt, quàm exquiſitiſſima & perfectiſſima terreſtrium, adeoque ad pleniorem ſideralem Scientiam devenerint. De *Adamo* prodidit Ioſephus, quòd filiis ſuis ex aſtris prædixerit, mundum igni, & aquâ periturum: *Sethum* quoque, & ejus filios ſiderali Scientiæ deditos, ne inventa ſua perirent, duas erexiſſe Columnas, quibus ea inſcripta poſteritati relinquerent. *Enochum* proavum Noë, hanc ipſam Scientiam ſcriptis evulgâſſe, teſtatur Origenes, Sixtus Senenſis, & Tertullianus; qui codices ipſos legit, ac genuinos fuiſſe, Libro de habitu muliebri,

comprobare conatur. *Abrahamus* quoque, natione *Chaldæus*, imò ejus Pater *Thare*, ſideralis Scientiæ periti exiſtimantur. De illo teſtis eſt idem Ioſephus ex Beroſo; de hoc Philo Iudæus de Nobilitate. Nulla enim nobilior, nulla jucundior, in qua nobiles illæ animæ ſe occuparent. Quin & ipſi deſertores veri Numinis longè poſt Diluvium nobilitate hujus Scientiæ illecti, eam ſummo ardore excolere adnixi ſunt. *Anaxagoras*, Laërtio teſte, tam privata, quàm publica negligens, interrogatus, *annon patriam curaret*, digito Cœlum monſtrans, reſpondit, *illam multùm ſibi curæ eſſe: imò eum in finem ſe natum, ut ſpecularetur Solem, Lunam, Cælos. Pythagoras*, referente M. Antonio Imperatore in ejus vita, diſcipulis ſuis injunxit, ut cœlum manè aſpicerent: quo inſimul recordarentur eorum, quæ ſemper ſuum officium præſtant, & nunquam ex ordine ac ſtatione ſua recedunt: Atque hinc factum, quòd tam diſcipuli, quàm ipſe præceptor, in Aſtronomia tam multa præſtiterint. Quin & *Seneca* Epiſtolâ 65 inquit: *Vetas me Cælo intereſſe? id eſt, jubes me vivere capite demiſſo? Majus ſum, & ad majora genitus, quàm ut ſim mancipium mei corporis: quod equidem non aliter aſpicio, quàm vinculum circundatum meæ libertati.* Eâ quoque causâ *Sapor* Rex Perſarum ad alium ſcribens Regem, ſeipſum filium Solis, & fratrem

Lunæ

Lunæ vocavit, cùm in centro Operis sphærici sedens, quod ab Arabe quodam affabrè factum acceperat, Cœli, stellarum, Solis, & Lunæ, aliorumque Planetarum motum exactè contemplaretur. Imò non aliunde *Endymion* Æthlii & Calices filius, dici videtur Amator pariter ac Amasius Lunæ; & *Phaëthon* Sole prognatus, Solisquè equos regendo vitam amisisse; quàm quòd hic assiduè studio Solis cursum observârit, æquè ac ille Lunæ; sed antequam observationes suas ad finem perduxerint, vitâ sint functi. Ad hujus enim Scientiæ tot difficultatibus implicitæ, ut ad ejus perfectionem seculorum aliquot spacium requiratur, jam deperditæ restaurationem, illorum hominum vita admodum labilis minimè sufficere videbatur: quippe qua longè breviori, quàm antiquissimi Patres, gaudebant. Ut sic, quod antea unus Adam admodum longævus invenerat, jam deperditum multi ejus posteri, imò pœnè dixerim omnes, quotquot unquam post diluvium, vel distractionem populorum vixere, vix ac ne vix quidem reperire vel reparare potuerint. *Thales* enim *Milesius*, ut à tempore Græcorum minus μυθικῶ, sive fabuloso, ordiar, quamquam summo ardore in id studium intentus fuerit, tamen nihil aliud, quàm tria, vel quatuor tantùm memoratu digna, invenisse legitur. Primum est, quòd Cynosuram, cui & nomen ἄρκ]ϴ indidit, Hy-

gino, & Laërtio ex Callimacho teſtibus, popularibus ſuis monſtraverit. Alterum, quòd Solis defectum, & curſum à converſione ad converſionem primus obſervaverit. Tertium, quòd Lunarem orbem ſeptingenteſimam vigeſimam Solis eſſe partem primus dixerit; primus etiam diem menſis ultimum τριακάδα, hoc eſt, trigeſimum appellaverit. Quartum denique, quòd naturam rationemque defectuum Solis & Lunæ primus patefecerit, animoſque mortalium inſigni trepidatione liberaverit. Thaletis auditor, *Anaximander Mileſius*, oſtendit quoque Solis converſiones, & æquinoctia; conſtruxit Sphæram, prodente Plinio; invenit rotunditatem terræ, eamque moveri circa mundi medium, teſte Theone & Laërtio: primus diſtinxit horas ex umbra gnomonis; ac monuit Lacedæmonios de urbe cuſtodienda, ob inſtantem terræmotum, referente Plinio: qui addit, urbem poſtea corruiſſe, magnamque partem montis Taygeti abruptam. Quin & Solem terræ magnitudinem æquare ſtatuit. Hujus diſcipulus *Anaximenes Mileſius* primus intellexit Lunam notho lumine lucere, ejuſque exinde deliquium, terrâ inter Solem & Lunam interpoſitâ, oriri, teſte Theone ex hiſtoria aſtrologica Eudemi: primus quoque oſtendit ſidera circa terram moveri. *Anaxagoras Clazomenius* multa abſurda ſtatuit; inter alia tamen, quòd Luna

habeat

habeat colles, & valles, variaque habitacula; & quòd cometæ ex flammulis per concursum planetarum ortis in aëre procreentur, ut Laërtius refert: prædixit quoque de lapide è cœlis ruituro; quod Eusebius anno Abrahæ 1552 accidisse testatur. *Æolus* rex quidam Insularis Iovis & Hippotæ filius dictus, unde & Ovidio *Hippotades* audit, signa tempestatum ventorumque prævia ex astris primus observavit, ac primus ventorum naturam & varietatem ex illis ipsis cognovit; eamque cognitionem & Scientiam, quò navigantibus prodesset, evulgavit. Atque hinc ventorum præses, imperator ac moderator fingitur: quos pro lubitu in utrem è pelle delphini includat, & rursus emittat. *Pythagoras*, Italicæ & Pythagoricæ sectæ princeps, primus obliquitatem Eclipticæ invenisse dicitur Plutarcho: quamquam & modò dicto Anaximandro, juxta Plinium, sive etiam *Oenopide Chio*, teste Diodoro, Censorino, & Theone Smyrn. ex Eudemo, hoc inventum attribuatur; in quo postmodum *Cleostratus Tenedius*, prodente Plinio & Hygino, Signa, initiaque Arietis & Sagittarii, imò Solem & Lunam, non redire ad idem punctum primus observavit. Quin & primus Pythagoras statuit motus Solis, Lunæ, & aliorum Planetarum circulares, & æquales, contrariosque quotidianæ mundi revolutioni, teste Gemino: imò primus intellexit Terram

moveri, Sole immoto, uti & Cœlo; dixitque Terram esse Planetam, inque centro mundi, inter Martem & Venerem, circumrotari circa Solem. Et in hoc dogmate Pythagoram secuti sunt, *Philolaus Crotoniata*, *Hicetas*, *Timæus Locrus*, *Aristarchus Samius*, *Seleucus*, *Cleantes Samius*, *Leucippus*, *Ecphantus*, & *Heraclides Ponticus*, imò ipse *Plato* jam senex, teste Theophrasto. Post Pythagoram *Euctemon*, & *Meton* Pausaniæ filius, Athenis solstitium observabant primi. Primus deinde introduxit hypotheses circulorum revolutionum *Eudoxus Cnidius*, Astronomus non *κατ' Ἡσίοδον*; ut Plato vulgares appellitat Astronomos. Hunc secutus *Autolicus* doctrinam de siderum ortu & occasu evulgavit. *Timochares*, & *Aristillus* stellarum fixarum declinationes intellexerunt. *Conon* Solis Lunæque defectuum observationes collegit. *Archimedes* doctrinam de Solstitiis perfectiorem reddidit. *Eratosthenes Cyrenæus* observavit Tropicorum distantiam, ac cœlorum motus: quin & terræ dimetiendi rationem tradidit. Hunc secutus *Hipparchus* nunquam satis laudatus, Plinio teste, Opus reliquit de constitutione stellarum fixarum, & statione immota; de menstruo Lunæ motu, secundùm Latitudinem, &c. Et hic est, qui primus stellas fixas numerare, ac in asterismos & certa colligere signa ausus est, Catalogo eorum constituto. Ex his deni-

que

que per tot secula & tot antecessoribus observatis, *Claudius Ptolemaus Pelusiensis*, quem multi ab Albumazare decepti Regem Ægypti fuisse falsò statuunt, tam dilucidas siderum rationes, ut in æternum sufficerent, Cardano judice, excogitavit; ita ut solus cœlestis machinæ modum & subtilitatem, si non invenisse, tamen exprimere ausus fuisse dicatur. Et hujus Σύνταξιν Mathematicam *Maimon*, *Rex Saracenorum*, anno Christi 827, Arabicè reddi curavit, ac *Almagestum* vocavit. *Fridericus* autem *Secundus, Romanorum Imperator*, eandem, circa annum 1230, ex Arabico in linguam Latinam transferri jussit, cùm Græca tunc temporis ferè ignorarentur. Atque hinc factum, ut Ptolemæum secuti sint juniores omnes, usque ad Copernicum: exceptâ Astronômiâ Alphonsinâ; quam *Rex Castellæ & Legionis Alphonsus*, impensis in hoc opus quadraginta ducatorum millibus, operâ *Rabbi Isaaci Hazan*, aliorumque Iudæòrum, teste Augustino Ricio, circa annum 1270, instauravit: & Thebitianâ, qua *Thebitius Ben-Core, Iudæus*, inter alia, circa annum 1300, in Ptolemaicam induxit motum cœli stellati trepidationis, sive accessus & recessus; adeóque Systema mundi Ptolemaicum aliquatenus immutavit & adauxit. Sed rejectâ tam Alphonsinâ, quàm Ptolemaicâ sive Aristoteleâ, & Thebitianâ, ut axiomatis Mathematicis adversâ,

versâ,

versâ, motibusque cœleſtibus haud reſpondente, novas ac planè alias conſtituit hypotheſes *Nicolaus Copernicus Boruſſus*, dum circa annum 1540, vetuſtiſſimam Pythagoricam hypotheſin tam diu ſepultam luci reſtituens, ſive potiùs Philolaicam cum Heraclidis Pontici, & Ecphanti opinione conjungens, ex illis duabus, propriam fecit. Siquidem præſupponens cum Heraclide, terram, rotæ inſtar, circa axem ſuum, ab occaſu verſus ortum, moveri, eumque motum eſſe diurnum; ſtatuit quoque cum Philolao, eandem moveri circa Solem immotum, atque hunc motum eſſe annuum. Copernicum ſecuti ſunt *Federicus Caſius* Lyncæus, Princeps de S. Angelo, *Mæſtlinus*, *Galilæus Galilæius*, & alii, præſertim hoc tempore, quamplurimi; inter quos etiam ſe offert *Renatus Carteſius*, *renatæ Philoſophiæ parens*, quanquam aliquantiſper à Copernico diſcedat. Et licet *Tycho Brahe*, *Nobilis Danus*, non amplexus ſit totum, & multa in eo correxerit, tamen valde admiratus eſt Copernicum. Hic autem *Tycho* ad inſtaurandam Aſtrologiam, Arcem *Vranoburgum* in Inſula Daniæ Huena condidit, plurima inſtrumenta Mathematica, in eadem arce repoſita invenit, ac multas aluit operas: ut in Aſtrologia excolenda impenderit ducenta aureorum millia. Hinc ſiderum obſervatione anteceſſores omnes antecelluit: nempe & Hipparchi, & Ptolemæi,

mæi, & Alphonsinorum industriam longè exsuperavit, omnibus eorum dogmatis ad veritatis trutinam revocatis. Quinimò Copernicum negligens, quasi Scripturæ Sacræ auctoritatem impugnâsset, novam ex inversa Copernicæa & Ptolemaica hypothesin excogitavit: nempe Solis & Lunæ Sphæras, cum extima cœli stellati, Terræ in medio Vniversi, tanquam centrum, quiescenti homocentricas fecit; reliquorum autem quinque Planetarum, videlicet Mercurii, Veneris, Martis, Iovis, & Saturni orbes, Soli mobili, tanquam suo proprio centro. Itaque exinde tres præcipuæ exstiterunt Astronomorum sectæ: *Aristotelea* sive *Ptolemaica*, *Pythagorica* sive *Copernicana*, & *Tychonica* sive *Brahæana*: quibus nuperrime quartam, in Tychonica hypothesi nonnulla mutans, addidit *Andreas Argolus Italus*; ut ex iis, quæ Ephemeridibus suis præmisit, videre est. De *Iordani Bruni* longè aliis ac antea inauditis hypothesibus hîc nihil dicam; sed avido Lectori illum ipsum, uti & Oculum Sidereum Abrahami à Frankenberg, legendum commendo. De tribus autem prioribus adeatur Clarissimi Lipsdorpii Copernicus Redivivus cap. 7 & 8.

Atque ex his apparet, quàm difficile inventu sit præclaræ hujus Scientiæ complementum; cùm tot ac tanti Viri per tot secula, in eam investigandam tot thesauros ac labores

res

res insumpserint, ac singuli quidem, pro suæ dexteritatis modulo, aliquid contulerint, sed universi necdum perficere potuerint. Cæterùm industriæ, ac lucubrationi indefessæ unici ferè *Tychonis Brahæi*, utpote qui novis ac variis instrumentis ad id excogitatis, numerum, quantitatem, & positûs siderum longè accuratiori diligentiâ, quàm quisque antecessorum fecerat, observârit, *Guilielmus Cæsius* sive *Blaeuwius*, cujus exquisitissimam Globi cœlestis structuram, sive potiùs picturam in hoc Tractatulo maximè attendimus, se debere fassus est, quòd Globos suos Astronomicos decenti stellarum imaginumque positu longè exactiores perfectioresque reddere potuerit, quàm à vetustis, ac recentioribus Mechanicis unquam sit factum. Et cùm Ethnicorum fabulosas Imagines stellis applicatas, utpote hactenus in Scholis Astronomorum receptas, eorumque nomina, retinuerit idem *Cæsius*; nos operæ pretium facturos putavimus, si fabulas illas, quas sub hisce picturis mythologicis, earundemque nominibus asterismis à veteribus accommodatis, latitare cognoscimus, operâ nostrâ ex antiquorum Poëtarum aliorumque scriptis decerptas, Astronomiæ pariter ac Poëseos Studiosis ob oculos poneremus; quo unicuique sit notum, quid sibi velint tam variæ variorum animalium aliarumque rerum figuræ in Cœlum stellatum, tanquam in theriotro-

riotrophium, five vivarium quoddam, introductæ, atque adeò ſtellæ ipſæ aſteriſmique faciliori negotio memoriæ mandentur. Sed ne Lectorem Benivolum in anteceſſu hoc longiori, quàm par eſt, præfatione detineamus, filum hîc abrumpentes, nos noſtrumque laborem benignitati ejus commendamus, eumque valere jubemus. Amſtelædami, Anno æræ Dionyſianæ cIↃIↃC LXII.



EPI-

EPISTOLA
CLARISSIMI VIRI
IOANNIS CRVSII I.C$^{ti.}$
ad Auctorem
COELI ASTRONOMICO-POETICI,
ob fugam vacui huc apposita.

S*llui ad tempus, Generose ac nobilissime* CÆSI; *& quasi dormivi. Sed buccina famæ* Cælum *tuum* Astronomico-Poëticum *sub prælo incalescere annunciantis me iterum suscitavit. Quæris, cur tanto desiderio expectem Editionem istius Operis? Bonum publicum pro me respondebit: Cui labores tuos indefessos per totam Germaniam, imò pœnè dixerim totam Europam, à primis tuis incunabulis adeò addictos vidimus, ut communis Europæ Professoris titulo ornari vel maximè dignus videaris. Quippe regiam hanc ad Nominis & famæ immortalitatem semitam tanto semper nisu calcasti, ut inter astra, præsertim hoc ipso, quod nunc in lucem prodit, Opere locum sis adeptus. Inter astra versaris: in Cœlum ipsum penetrasti his ipsis lucubrationibus. Cælum portas suas aureas tibi aperuit; sive Tu ipse, ut eloquar quod res est, easdem tibimet ipsi aperuisti; imò non tibi soli, sed eâdem operâ & aliis, dum Cœlestis Historiæ velum meris fabulis contextum detrahis, ac veritatem nudam ingenii tui dexteritate ostendis. Sanè ante duos, & quod excurrit, annos*, Cœlum *tuum* Astronomico-Poëticum stellarum fixarum, *prout primâ manu conceperas, legi cum magna admiratione: quam procul dubio longè majorem excitabit Editio ipsa; cui ab ultimâ manu tot accessisse divitias audio & gaudeo. Perge Amicissime mi; & nos etiam bea altero illo, quod promittis*, Stellarum errantium sive Planetarum Cœlo. *Atque sic omnia* Mythologorum Secreta *erunt detecta. Vale* CÆSIORVM *Gentis avitæ novum ac supremum Decus, & à me salve, qui æternùm Tuus. Bredæ*, M. DC. LXII. *Kalend. Maji.*

NOMENCLATOR AVCTORVM

& Artificum, quorum auctoritate in hoc Opusculo usi sumus.

A.

PEtrus Abanus.
Abrachis.
Christoph. à Castro.
Acesander.
Acesilaus.
Acesodorus.
Achæus. (Tatius.
Achilles Statius, *alias*
Iosephus à Costa Hisp.
Acusilaus.
Adamantius.
Ado.
Paulus Æginera.
Claudius Ælianus.
Æneas Philosophus.
Æneius Euxitheus.
Æschines.
Æschylus.
Aëtius.
Afranius.
Agatarchides Gnidius.
Agathias.
Agathocles.
Agellius.
Agræras.
Albertus Magnus.
Alboasar sive Albumasar Arabs.
Albricus.
Alcæus Poëta.
Alcetas.
Andreas Alciatus.
Alcimus.
Alcman.
Vlysses Aldrovandus.
Alexander Cornelius Polyhistor.
Alexander Myndius.
Alpheus Mitylenæus.
Alphonsus Rex Castellæ.
Andreas Althamerus.
Ambrosius Pater.
Ammianus Marcellinus.
Lucius Ampelius.
Anacreon.
Ioannes Laurentius Ananias.
Anaxagoras Clazomenius.
Anaximander Milesius.
Anaximenes Milesius.
Andrætas Tenedius.
Andron Tejus.
Anticlides Historicus.
Antigonus Carystius.
Antimachus.
Antimenides.
Antipater Tarsensis.
Antiphon Orator.
Apianus.
Apollodorus Atheniensis, sive Bibliothecographus.
Apollodorus Cyrenaicus.
Apollodorus Cyzicenus.
Apollodorus Gelous.
Apollonius Rhodius sive Argonauticographus.
Apollonius Smyrnæus.
Lucius Apulejus.
Aratus Solensis.
Archelaus.
Archemachus Euboicus.
Archias Poëta.
Archimedes Centimanus.
Andreas Argolus.
Arion.
Aristarchus Samius.
Aristides Orator.
Aristillus.
Aristippus Historicus
Aristocles.
Aristodemus Abderites.
Aristophanes Comicus.
Aristoteles.
Arnobius.
Arrianus Historicus.
Artemidorus Ephesius.
Artemon.
Asclepiades Myrleanus.
Athenæus.
Athenagoras.
Athenodorus Byzantius.
Athenocles.
Atrapanus.
Attalus Arati interpres.
Aventinus.
Averrhoës.
Augustinus Pater.
Avicenna.
Rufus Festus Avienus.
Aurelius Victor.
Ausonius.
Autolycus.

B.

ROgerius Bachonius.
Bacchylides.
Baptista Pius.
Casparus Barlæus.
Baronius Historicus.
Bartholinus.
Basilius.
Gulielmus Batecumbus Anglus.
Ioannes Bayerus.
Lazarus Bayfius.
Christianus Becmannus.
Beda.
Bellonius.
Berosus.
Georgius Bersmannus.
Bias.
Biblia Sacra.
Blaise Vigenere Gallus.
Hector Boëthius.
Severinus Boëthius.
Bolemo.
Theodorus Botterus Historicus.
Tycho Brahe Nobilis Danus.
Brentius.
Iordanus Brunus Nolanus.
Brylingerus.
Ismael Bullialdus.
Ioannes Bureus.

C.

C. Cælius.
C. Cælius Augustinus Curio.
Cæsar Germanicus.
Cæsius sive Calpurnius Bassus.
Abrahamus Cæsius.
Federicus Cæsius Lyncæus,

**

Hesio-

Hesiodus.
Hesychius.
Otto Heurnius.
Hicetas Syracusanus.
Hierocles Stoicus.
Hieronymus Pater.
Hieronymus Philos.
Hipparchus.
Hippocrates.
Homerus.
Horatius.
Horus Apollo.
Nicolaus Hunnius.
C. Iulius Hyginus.

I.

Iarchas Indus.
Ibycus.
Idmon Poëta.
Iginius.
Ionstonius.
Flavius Iosephus.
Isacius Tzetzes.
Isidorus Characenus.
Isidorus Hispalensis.
Isigonus.
Isocrates.
Iunianus Iustinus.
Iunius Medicus.
Hadrianus Iunius.
Iuvenalis.

K.

Kabalistæ.
Kalendaria Rom.
Barthol. Keckermannus.
Thomas à Kempis.
Kiranides.
Ath. Kircherius Germ. S.I.
Henricus Kitschius.

L.

Lactantius Pater.
Lactant. Firmian.
Lælius Bisciola.
Lampridius.
Leo Ebræus.
Leonides Poëta.
Lerius.
Leucippus.
Ioannes Lipperseinius.
Dan. Lipsdorpius Lub.
Livius.
Iacobus Nicolaus Loënsis.
Dionysius Longinus.
Lonicerus.
Nicolaus Liranus.
Lucanus Poëta.
Lucianus.
Lucretius.
Ludov. Princ. Anhaltin.
Lutatius.
[redacted]
Lycophron.
Lysimachus Alexandr.

M.

Macrobius.
Magyrus Physic.
Virginius Malvezzius Bononiæ Marchio.
Mancinus.
Marcus Manilius.
Baptista Mantuanus.
Georgius Markgravius.
Martialis.
Iac. Martinius Scotus.
Marullus.
Iulius Maternus.
Maximus Tyrius.
Benedictus Mazzotta Licyensis.
Petrus Medinensis.
Ioan. Henricus Meibomius Medicus.
Pomponius Mela.
Melanthes.
[redacted]
Melissus Euboicus.
Menæchmus.
Menander.
Gerardus Mercator.
Mercurius Trismegist.
Gaudentius Merula.
Iacobus Metius.
Methon Atticus.
Meurerus.
Ioannes Micrælius.
Iacobus Micyllus.
Mimnermus.
Minucius Felix.
Misoponerus.
Mnaseas Petarensis.
Mnesagoras.
Mœro Poëtria Byzant.
Michaël Mœstlinus.
Morellius.
Ioannes Moreuus.
Hieronymus Munnos.
Munsterus Cosmogr.
Sebastianus Munsterus.
Musæus.
Myrtilus.

N.

Natalis Comes.
Naucrates Erythr.
Mich. Neander Sorav.
Nicander Colophonius.
Nicephorus Gregoras.
Nicetas Choniates.
Nicocrates Cyprius.
Nicomachus Gerasenus
Bartholdus Niehusius.
P. Nigidius Figulus.
Nonnus Panopolyta.
Numenius.
Nymphodorus Syracus.

O.

A*dolphus* Occo.
Olaus Magnus.
Mart. Opitius Poëta.
Oppianus.
Origenes.
Orosius.
Orpheus.
Abraham Ortelius.
Orus Milesius.
Ovidius Naso.

P.

Pacuvius.
Palæphatus.
Marcellus Palingenius.
Pamphilus Poëta.
Panyasis.
Parmenides.
Paullus Iurisconsultus.
Pausanias.
Pedo Albinovanus.
Peirescius.
Persius.
Petellis Gnossius.
Petronius Arbiter.
Phanocles Poëta.
Phanodemus Atticus.
Phavorinus.
Pherecydes.
Philemon.
Philip. Byzantin. Poëta.
Philo Byblius.
Philochorus.
Philolaus Crotoniata.
Philoponus.
Philostephanus.
Philostratus.
Philoxenes.
Phocylides.
Franciscus Phœbus Comes Focensis.
Phœnix Colophonius.
Photius.
Phurnutus.
Piccolhomineus Italus.
*I.*Picus Mirand. Comes.
*Ioan.*Pierius Valerianus.
Franciscus Pifferus.
Pigaffetta.
*Ioan.*Pincierus Medicus.
Pindarus.
Pisander Camirensis.
Pithœus.
Platina.
Plato.
Plautus.
Plinius.

Plutarchus.
Polemo.
Angelus Politianus.
Iulius Pollux.
Polybius.
Polycrates Samius.
Polycharmus Historic.
Ioan. Iovianus Pontanus.
Porphyrius.
Posidippus Poëta.
Posidonius.
Guilielmus Postellus.
Proclus Lycius.
Procopius Gazæus.
Propertius.
Prudentius.
Psellus. (Iusiensis.
Claudius Ptolemæus Pe-
Pythagoras Samius.

Q.

QVintilianus.

R.

RAbbini, (Esra.
Abraham Aben-
Azarias.
Moses Ben-Maimon.
Ionas.
Isaacus Hazan.
David Kimchi.
Hannibal Raimundus.
Ravisius Textor.
Ioannes Mullerus Regio-
montanus Astronom.
Reinerus Reineccius.
Thomas Reinesius.
Antonius Reita.
Thomas Rhadius.
Rhianus Cretensis.
Ribadeneira.
Augustinus Ricius.
Ioannes Rossinus.
Ruffinus Historicus.

S.

C*Laudius* Salmasius.
Sanchoniathon Be-
rytius.
Franciscus Sanctius.
Sanfordus Anglus.
Petrus Santerus Siculus.
Sappho Poëtria.
Alexander Sardus.
Claudius Saturnius.
Saxo Grammaticus.
Iosephus Scaliger.
Iul. Cæsar Scaliger.
Elias Schedius.
Guilielmus Schickardus.
Iulius Schillerus.
Ioannes Schonerus.
Sedulius.
Ioan. Seldenus Iurisc.
Seleucus Delius.
Semus Eliensis Gram.
Seneca Philosophus.
Seneca Tragœdiogr.
Dan. Sennertus Medic.
Q. Serenus Samonicus.
Servius.
Sextus Aurelius.
Sidonius Antipater.
Paulius Silentiarius.
Silenus Chius.
Silius Italicus.
Simonides.
Simplicius.
Henricus Sirturus.
Sixtus Senensis.
Socrates.
Solinus.
Ioannes a Someren.
Sophocles.
Sosibius Timonax.
[redacted]
Sosiphanes.
Sostratus.
Sozomenus.
Ioan. Sperlingius Phys.
Speusippus.
Ioannes Stadius.
Staphylus Thessalus.
Stasinus Cyprius.
Statius Papinius.
Stephanus.
Stesichorus.
Godscalcus Stewichius.
Ioannes Stobæus.
Strabo.
Strozza Pater.
Suarezius.
Suetonius Tranquillus.
Suidas.
Sulpitius.
Surius.
Symmachus.
Georgius Syncellus.
Synesius.

T.

C*Ornelius* Tacitus.
Tarquitius.
Tatianus.
Taxites.
Tertullianus.
Thales Milesius.
Thalmudici.
Thebitius Ben-Core Iu-
dæus.
Theo Arati Scholiastes.
Theocritus.
Theodorus.
Petrus Theodori.
Theodoretus.
Theolytus.
Theon Smyrnæus.
Theophanes.
Theophilus.
Theophrastus.
Theophylactus.
Theopompus.
Thersicles.
Thevetus.
Thycidides.
Tibullus.
Timachides.
Timæus Locrus.
Timagetes
Timochares.
Tortellius.
Tostatus.
Trebius Niger.
Nicolaus Trigautius. S.I.
Tryphon Grammaticus.
Ioannes Tzetzes.
Isacius Tzetzes.
Tubero.
Adrianus Turnebus.

V.

VAdianus.
Valerius Flaccus.
Valerius Maximus.
Valerius Probus.
Laurentius Valla.
Varianus.
Marcus Varro.
Terentius Varro.
Flavius Vegetius.
Ioan. Velcurio Physicus.
Venantius Fortunatus.
Verrius Flaccus.
Franciscus Verulamius.
Americus Vesputius.
Vettius Valens Antioch.
Virgilius Maro.
Vitruvius.
Vlpianus Rhetor.
Volaterranus.
Iustus a Vondelen.
Gerhardus Ioan. Vossius.
Vsuardus.

X.

XAnthus Lydus.
Xenocrates.
Xenophanes.
Xenophon.
Xiphilinus.

Z.

ZAbarella. (olus.
Zenobius Accia-
Zenodotus Ephesius.
[redacted]

COELI ASTRONOMICO-POETICI, seu MYTHOLOGICI stellarum fixarum

MEMBRUM I.

De stellis circa Globum artificiosè pictis, earumque discrimine, appellatione, ac distributione: item de via lactea, seu Galaxia.



Igna cœlestia, illisque in Globo nostro fictitio aptatæ picturæ pariter ac nomenclaturæ originem ex antiquissimis Poëtarum mythologiis desumtam explicaturi, de partibus eorum, hoc est, *stellis*, antequam ad ipsas ex earundem collectione conflatas certas constellationes, & imagines nos accingamus, aliquid præmittendum, prælibandumque putavimus.

Stellarum autem aliæ sunt *fixæ*; aliæ *erraticæ*, seu *Planetæ*.

Fixæ dicuntur, quia orbi suo quasi infixæ adhærent, & *spatiis immutabilibus*, ut Cicero l. 1 de Nat. Deor. loquitur, *ab ortu in occasum commeantes, nullum unquam cursus sui vestigium inflectunt*. Videatur de hoc *Abrahamus Cæsius*, Avus meus, *Ioachimo Camerario*, Viro illi maximo, ob Matheseos, ac Poëseos studia indefessa, in magno habitus pretio, *in Propositionibus suis Astronomico-Physicis de Sole*.

 De

De *Erraticis*, cùm suos proprios, & ab octavo per Organum nostrum hic repræsentato stellarum fixarum orbe, planè diversos agnoscant orbes, imò tam variis cieantur motibus, ut uno instrumento vix repræsentari possint, adeoque in hoc nostro Globo astronomico non exprimantur, in peculiari Tractatu acturi, hîc tantùm *stellas fixas*, seu *inerraticas*, easque in Globi superficie depictas considerabimus.

Sphæræ cœlestis constructio à plurimis ante plurima secula fuit tentata, & à nonnullis etiam creditur perfecta. Primus horum, teste Diodoro l. 5, fuit *Atlas Ægyptius*, aliis *Phœnix*: sive ille fuerit Mauritaniæ rex, & frater Promethei, partis Ægyti principis illius, qui Eupolemo, ac Alexandro Cornelio Polyhistori idem, ac Enoch, sed falsò, creditus; sive alius Atlas, Astrologus dictus, Promethei Græcis circa Abrahæ annum 431, Eusebio sic colligente, celebratissimi filius. Atlantis exemplum secutus dicitur *Hercules*, ejus discipulus: item *Musæus*; & Laërtio teste, *Anaximander Milesius*, Thaletis discipulus; ut Plinio traditum l. 7, cap. 56. Quin & idem tentâsse fertur *Posidonius*, & *Archimedes Centimanus*; ut est apud Ciceronem l. 1 Quæst. Tuscul. Imò *Cleomedes*, aliique ab aliis in hoc ipso laudantur: ut in Ancilla nostra Astronomiæ sect. 2, memb. 1, uberius indicatum. Et id quidem exigui fuit laboris; cùm circulorum cœlestium naturam, & proprietates ex ipsa haurire licuerit Geometria. Verùm *Globos cœlestes repræsentatitios* stellis, signisque decenti ordine, & positu adornare, an vetustissimorum Artificum aliquis ante *Hipparchum* tentaverit, dubius quidem hæreo; sed an idipsum ante illum quispiam perfecerit, non crediderim. Hipparchus enim, multorum testimonio, imprimis autem Ptolemæi, & Plinii, stellas instrumentis ad id excogitatis primus scíscitatus est; adeoque novam stellam

lam in ævo suo apparentem observavit. Quinimò stellas numerare, ac sidera ad normam expangere ausus est primus. Et extat etiamnum in Ptolemæi μεγάλης συντάξεως, hoc est, magnæ constructionis libris, *Almagestum Arabes* vulgò vocant, *Catalogus stellarum fixarum*; quem concinnavit idem Hipparchus in eum finem, ut ex eo quavis occasione imagines siderum cœlestibus analogæ adornari, & globis solidis appingi possent. Idque postmodum ex eo Catalogo tentatum fuit à *Batecumbo*, *Zieglero*, *Regiomontano*, *Schonero*, *Gemma Frisio*, aliisque: quorum ultimo loco laudatus, ex suis per radium astronomicum observationibus, novum adornare Globum ausus est; at morte præventus non edidit. Edidit tamen post eum, circa annum 1548, *Gerardus Mercator Belga* quosdam ex veteri Catalogo compositos. Sed longè perfectiores, accuratioresque, ac diversæ magnitudinis, quorum diameter in maximis accedit ad pedes geometricos duos, & dimidium, nostro seculo, imprimis ex Catalogo fixarum *Hipparchi, Ptolemæi, Alphonsi,* & *Copernici,* per *Tychonem Brahe, Equitem Danum*, ad veritatis trutinam revocato, & locupletato, industria insuperabili adornavit *Guilielmus Cæsius* sive *Blaeu Amstelodamensis*. Et horum picturas in hoc opusculo præ aliis explicare allaboramus. Imò, quod maximos Mathematicos in maximam duxit admirationem, idem *Cæsius* nunquam satis laudatus, *duplicem* pari dexteritate *Sphæram Copernicæam* primus, ac solus hactenus, quod sciam, construxit. Vna est *particularis*, qua oculis conspiciendum, manibusque quasi palpandum subjecit motum terræ duplicem; diurnum circa axem suum; & annuum per eclipticam: imò ipsam axis terreni directionem ad eandem semper cœli plagam. Vnde quoque reflexio axis, &, quæ hinc sequitur, præcessio æquinoctiorum, adeoque variatio tempestatum anni, ortus, & occasus siderum, & id genus alia facili negotio monstrari, & observari possunt. Altera est *universalis*, qua totius Mundi dispositionem exhibuit. Vbi Sol quiescere conspicitur in centro, circa eum Mercurii Sphæra

 moveri,

moveri, circa hunc Sphæra Veneris: Terra verò, Lunaque, intra orbem Veneris, & Martis, eclipticam annuo ſpatio percurrere; ſupra Sphæram Martis locum occupare illa Iovis, & ſupra hanc Sphæra Saturni; extima denique ſtellarum fixarum, ipſa etiam immobilis, mundum claudere. Atque ex hac cognoſcuntur orbium cœleſtium ſitus, Planetarum ſtationes, retrogradationes, ac directiones, aliaque phænomena ex motu terræ in ecliptica procedentia. Et duplicem hanc Sphæram commendat C. Barlæus hiſce verſibus:

Inverſas Superum Sedes, & mœnia mundi
ſuſpice, qui mundi Sceptra capeſſis, Homo.
Suſpice currentem *circum tria ſidera* terram.
atque alio Venerem, Mercuriumque loco.
Suſpice diſtantem ſpatiis immanibus æthram:
& procul à Phœbo tot radiare faces.
Stat Phaëthon, *nullaſque* immotus *flectit habenas.*
Fabula tot Vatum futilis ille fuit.
Terra ruit. ruimus ſecuris motibus ipſi:
atque oculos noſtros devius error habet.
Non hoc, Perſa ſagax, non hoc ſciviſtis, Athenæ.
Nil tabulis debent hæc, Ptolemæe, *tuis.*
Heu ſerò ſapimus. dum terra ſeneſcit, & æther,
vix miſeri tantæ diſcimus artis opus.
Vive, tuoque comes fulge, Copernice, *Phœbo.*
nec laudes terræ verberet umbra tuas.
In centro cum Sole mica. Sic cerneris Orbi,
Teque repertorem ſuſpicit ille ſuum.
Qui medius Solem diſponit Sedibus, illi
in medio Solis debuit eſſe locus.

Qui plura de hoc *Copernicano Mundi Syſtemate* noſſe deſiderat, adeat eruditiſſimi viri Danielis Lipsdorpii Copernicum Redivivum: ubi inſimul & *Brahæana*, ſeu *Tychonica Hypotheſis* examini ſubjicitur.

Stellæ fixæ rurſus ſunt, vel ***ſolitariæ***; quas nomine proprio carentes, Σποράδες, hoc eſt, ***diſperſas***, ***ſparſiles***, ac ***diſſeminatas***, ſeu ***informes***, cum

cùm ſcilicet extra imaginum formas ceciderint, nec ad ullam certam figuram commodè referri potuerint, dicere placuit: vel *conſtellata*, aut *formata*; quæ ad certam aliquam conſtellationis formam, ſeu imaginem relatæ, partim propriâ, partim à conſtellationis ſuæ nomine mutuatâ appellatione diſcernuntur.

Redacta autem ſunt ab Eudoxo, Hipparcho, aliiſque confuſa illa *ſtellarum conſtellatarum* agmina ad has *imagines*; quas Hipparchus *ἀστερισμοὺς*, Plinius *ſidera*, & *ſigna*, Valla, aliique *aſtra*, Hyginus, & Ariſtoteles *σώματα*, id eſt, *corpora*, Proclus *ζώδια*, hoc eſt, *animalia*, Ptolemæus *σχήματα*, id eſt, *figuras*, reliqui Aſtronomi *conſtellationes*, *μορφώσεις*, ſeu *configurationes*, imò *μετέωρα*, vocare conſueverunt. Idque factum ob quatuor potiſſimum cauſas. *Prima*, ac potior, eaque *methodica*, erat, *ſtellas cognoſcendi, diſtinguendique facilitas*. Difficile enim, imò impoſſibile ferè fuiſſet, iſtam adeo numeroſam ſtellarum multitudinem cognoſcere, ac dignoſcere, niſi certis quibuſdam velut imaginibus, aut ſignis, docendi, diſcendique causâ, antiquitas ſtellarum ſeriem deſignâſſet. *Alteram*, nempe *adulationem*, quæ *hiſtorica*, nobis affert Cicero l. 5 Quæſt. Tuſc. ſtatim ab initio: *Nec vero Atlas*, inquit, *ſuſtinere cœlum*; *nec* (frater) *Prometheus affixus Caucaſo*, *nec ſtellatus Cepheus*, *cum uxore* (Caſſiopeja,) *genero* (Perſe,) *filia* (Andromeda,) *traderetur*; *niſi cœleſtium divina cognitio nomen eorum ad errorem fabulæ traduxiſſet*. Primis enim Aſtronomiæ inter ethnicos cultoribus *nominis immortalitas*, *& gloria* hoc modo quæſita eſt. *Tertia cauſa*, eaque *phyſica*, erat *operatio ſtellarum*, ſeu *operationis ejuſmodi expreſſio*, *& indicatio*; ut ſcilicet earum natura per ejuſmodi animalium, aliarumque rerum, quæ eandem naturam, & efficaciam cum illis obtinent, picturas ſtellarum agminibus aptatas, eo facilius cognoſceretur; quemadmodum ex Manilii Sphæra barbarica videre eſt. *Quarta* denique, quæ *mathematica*,

tica, erat *similitudo*: cum ipsa stellarum similis dispositio nonnullis imaginibus, & figuris constituendis occasionem præbuerit. Propter hanc enim aliud *Deltoton*, aliud *Corona*, aliud *Crux*, aliud *Plaustrum*, aliud *Eridanus*, aliud *Draco*, & sic consequenter vocatur. Hæc qui attendere volet, veram picturæ, nominisque rationem à fabulosa facili negotio dignoscet. Videatur de hoc Plinius l. 2, c. 3, & Vossius de quatuor artibus popularibus pag. 156. Quamquam & nullus inficiari poterit, ineptissimas, imò spurcas sæpissime figuras, & à dispositione stellarum prorsus alienas corporibus illis cœli nobilissimis esse assignatas.

Tribuitur autem prima ista assignatio, vel distributio stellarum in certas classes, & configurationes imprimis Phœnicibus: à quibus postmodum illa ad Græcos, & ab his ad Arabes, qui barbaris figmentis pleraque deformârunt, &, dum illis humanam effigiem referre religio erat, ridiculis monstris interpolârunt; ab Arabibus autem, & Græcis simul ad Romanos, ac denique ad nos pervenit. Verisimile enim est ejusmodi turpium idolorum, aliarumque rerum fœdarum in Globis Astronomicis picturas, & appellationes, quas & nostri Astronomi adhuc retinent, neque ab Ebræis, sanctisque Patribus, quos literis Ebraicis Globos suos insignivisse legimus; neque à Christianis: sed ex idololatrarum cerebro fluxisse. Et hoc quoque nuperrime sentiens Iulius Schillerus Augustanus, IC. hasce figuras vanissimas in Sanctorum, & ejusmodi imagines, juxta Bayeri sui relictam, at non perfectam Emblematum Christianorum distributionem, & adaptationem, commutavit, ac *Cœlum stellatum Christianum* evulgavit. Vbi primo, Zodiacum, quem *Coronam*, seu *Circulum S. Apostolorum* vocat, aliis, quàm Drexelius, nempe duodecim Apostolorum imaginibus exornavit; ita ut *Arietis* locum attribuerit *Petro*, *Tauri Andreæ*, *Geminorum Iacobo majori*, *Cancri Ioanni*, *Leonis Thomæ*, *Virginis Iacobo minori*, *Libræ Philippo*, *Scorpii Bartholomæo*, *Sagittarii Matthæo*, *Capricorni Simoni*, *Aquarii Iudæ Taddæo*, & *Piscium Matthiæ*.

Matthiæ. Atque hæc ſunt ejus Signa Zodiacalia. Cætera extrazodiacalia, nempe *hemiſphærii Septentrionalis* itidem ex Novi, *Meridionalis* verò ex Veteris Teſtamenti hiſtoria deſumpſit. Planetas quod attinet, hos ex utroque Teſtamento conſtituit: &

Eſt *Saturnus Adam*, primus pater Orbis in orbe;
Iuppiter eſt *Moſes*; ſucceſſor *Iosua Mavors*;
Hinc *Sol juſtitiæ* medio ſuper æthere *Chriſtus*;
Lucifer eſt præeuns *Iohannes*; *Mercur Elias*;
Tandem *Luna*, Dei Genetrix eſt virgo *Maria*.

Sed nos, ut in ſequentibus patebit, ſervatâ quidem ſtellarum antiquâ in imagines certas diſtributione, mutatâ tamen omni earundem ex fabulis, ac commentis Poëtarum plerumque deſumptâ appellatione, vera ex veris Sacræ ſcripturæ hiſtoriis rerum naturam ſtellarum haud impugnantium nomina omnibus, quoad fieri potuit, impoſuimus. Quod ipſum quoque Guilielmum Schickardum in Aſtroſcopio ſuo feciſſe notum.

Cæterùm non eſt dubium, Phœnices ejuſmodi ſtellarum diſtributionem poſt diluvium à S. Patribus accepiſſe; quos ex Fl. Ioſephi Antiquitatum Iudaic. l. 1, c. 3, conſtat Aſtronomiam apprimè calluiſſe, eamque iis ab Adamo primo Parente, cui ab ipſo Deo cœlitus quaſi infuſa erat, veluti theſaurum naturæ maximum, communicatam fuiſſe: ſed aliis, credo, planeque diverſis imaginibus ab his, quibus ſtellarum ſeriem Phœnices repræſentârunt. Et monumentis proditum eſt, Adami hæredes, eo mortuo, futuram illam duplicem generis humani exſtirpationem, per aquam unam, alteram per ignem, ab ipſo Adamo illis revelatam perpendiſſe; imò conſideràſſe, ſcientias omnes, licet perditas, iterum reſtitui poſſe priſtinæ integritati, adminiculo humani intellectus, exceptâ Aſtronomiâ: quippe quæ non niſi longo tempore, magnis vigiliis, aſſiduiſque obſervationibus comparari poteſt. Hinc duas conſtruxiſſe columnas; in quibus notis, caracteribusve, & figuris hieroglyphicis totam Aſtronomiam mirificè delineâſſent; alteram ex lateribus, quæ, incendio oborto, du-

rata resisteret igni, nec cremaretur; alteram ex lapidibus, quæ, si fortè diluvio lateritia corrumperetur, superstes esset lapidea. Et hanc refert idem Iosephus ex Beroso post diluvium à Noah in Syria repertam; imò ævo Cæsarum integram permansisse. Idem Noah, cujus Proavi Enoch libros de siderali scientiâ Tertullianus legit, hodieque exstare ajunt in regno reginæ Sabæ, eâdem Armenios imbuit, ac Scythas; &, qui post eum Astronomiæ peritissimus, Abrahamus natione Chaldæus, uti & Ioseph Patriarcha, Ægyptios: à quibus Græci eandem, & ab his Latini postmodum acceperunt. Videatur de hoc Euseb. l. 9, Præpar. Euang. c. 18, 19, & Philo lib. de Nobilitate. Auditores Mosis integram Globi superficiem in 72 triangulos, ad Septentrionem scilicet ter duodecim, & totidem ad meridiem, datis cuilibet triangulo denis baseos gradibus, ita distribuisse, ut nulla planè stella extra illam configurationem remanserit, scriptores testantur. Postellus autem in libello suo de signorum cœlestium vera configuratione, ad horum exemplum, demtis fabulosis Astronomorum nostrorum picturis, spatium Globi intermedium, quod 12 signa continet, in duodecim figuras quadratas, reliquum verò ad utrumque polum in 24 triangulos, versus septentrionem 12, & totidem versus meridiem collocando, distribuit: ut singula signa quadrata contineant 30 gradus in longitudine, totidemque in latitudine, id est, quindecim citra, & quindecim ultra eclipticam; singuli autem trianguli 30 gradus in basi, & 60 in lateribus. Atque sic in universum 36 constituit Globi imagines; quarum tres, scilicet triangulus superior, & inferior, cum quadrangulo intermedio, conjunctim sumtæ, nobis unum faciunt duangulum, seu figuram duangularem, ex contractu duorum semicirculorum, à polo in polum, factam: omnes autem eodem modo sumptæ duodecim duangulos. Et verum quidem est, quod in tota dimensionis ratione nihil notius, aut frequentius sit, quàm *duangulus*, *triangulus*, & *quadrangulus*; imò quod in hasce figu-

ras

ras necessariò, quicquid in tota rerum natura mensuramus, oporteat resolvi. Attamen stellarum in ejusmodi signa distributione mathematicâ non satis contentus esse videtur Astronomus; dum faciliori pariter, ac jucundiori viâ ex pictis animalium, aliarumque ejusmodi rerum imaginibus, stellæ singulæ ab aliis dignosci, ac secerni, earumque natura, & virtus varia, tam maligna, quàm bona, ex animalis, cujus imago eis applicatur, eâdem naturâ exactè cognosci queat. Et idem itidem in *Cælo stellato Christiano* modo memorato desideratur. Nam lasciva illa, & impudica pariter ac inconstans natura stellarum *Arietis*, qui planè ejusdem naturæ, ut cætera omittam, ex divi *Petri*, cujus sanctimonia, & vitæ integritas longè aliud nobis promittunt, imagine iisdem ibidem applicatâ, minimè cognosci potest. Sanè spurcificis, & salacitatem, imò impietatem instillantibus astris rerum ejusmodi impuris, ac impiis moribus spurcatarum imagines applicari oportebat.

Stellæ constellatæ extra signum suum consideratæ iterum sunt, vel *singulatim*, vel *collectim nominatæ*.

Singulatim nominatæ sunt, *Sirius*, vel *canicula*, der Hunde-stern / arabicè *Aschere*; *Procyon* der kleine Hundestern; *Stella polaris*, der Nord- oder angel-stern; *Canopus*, der Schif-stern; *Cor Leonis* das Leuen-hertz / arabicè Schickardo *Kalbol-asadi*; *Cauda Leonis*, der Leuen-schwantz/ arabicè Schickardo *Dhanbol-asadi*; *Cor Hydræ*, das Schlangen-hertz / der schlangen hertz-stern / arabicè *Alpharad*; *Cor Scorpii*, das Skorpions-hertz / arabicè Schic. *Calbolacrabi*; *Caput Draconis*, der Drachen-kopf/ arabicè Schic. *Raso tabbani*; *Caput Herculis*, des Drachen-streiters haupt-

Haupt-stern / arab. *Ras algeti*; *Humerus Orionis*; des Riesen schulter/ sive der schulter-stern/ arabicè *Algauza*; *Spica Virginis*, der ähren-stern/ sive die Jungfer-ähre / arab. *Azimech*, Schickardo *Huzimethon*; *Hircus*, seu *Capra*, der Ziegen-stern/ arab. *Alatudo*, &c.

Hic notandum, quod Peruani, Iosepho à Costa teste l. 5 Rerum Occidentalis Indiæ, c. 2, præter Deum creatorem, quem suâ linguâ *Viracocham* nuncupant, venerentur quoque stellas tam fixas, quàm erraticas; easque, aliæ hujus, aliæ alîus cujusdam animalis nomen, & figuram affingentes, imò munus cuilibet singulare attribuentes, singuli singulas adorent. Nullum enim uspiam animal, seu quadrupes, seu volatile, in terra esse credunt, cujus simulacrum in cœlo non splendeat; unde simile in terris procreetur, suumque accipiat incrementum; ita ut cum Platone, quoad doctrinam de ideis, apprimè consentire videantur. Opiliones imprimis adorant stellam *Vrcuchillay*, quam *Arietem* fingunt *diversicolorem*; cujus unica sit cura, ut custodiret pecora. Id autem sidus idem putatur esse, ac *Lyra*. Alii invocant *Chuquichinchai*, hoc est, *Tigrem* appellatam; quam *tigribus*, *ursis*, ac *leonibus* præfectam tradunt: item stellam aliam, *Machuacuai* dictam, *serpentibus*, ac *colubris* imperantem; à quibus hoc pacto se tutos fore persuasum habent. Præter has quoque venerantur *Chacana*, *Catuchillay*, *Vrcuchillay*, *Mequiquiray*, *Mirco*, *Topatarca*, *Mamana*, *Colca*, quæ nobis est *Capella*, & alias aliter dictas.

Collectim nominata sunt, *Pleiades*, das Siebengestirn / *Hyades*, die Glucke / sive Gluck-henne / vel die Küchlein; quæ omnes in Tauro continentur: item *Tres Reges*, aliter *Cingulum Orionis*, vel *Baculus Iacobi*, der Jakobs-stab / sive die drei Könige; & *Plaustrum*, der Wagen / sive Heerwagen/ &c.

Porrò

Porrò omnes *ſtellæ fixæ* in cœlo pariter, ac Globo conſpicuæ, & maximè fulgentes, ratione *quantitatis*, vel *diverſitatis lucis*, diſcernuntur; ut aliæ ſint *Primæ Magnitudinis*, quarum diameter apparens eſt 8 ſcrupulorum, quæque eminentiâ lucis omnes, excepto Sole, & Lunâ, antecellunt; aliæ *Secundæ*, quarum diameter apparens eſt 6 ſcrupulorum; aliæ *Tertiæ*, 4 ſcrupulorum; aliæ *Quartæ*, 3; aliæ *Quintæ*, 2; aliæ *Sextæ*, unius ſcrupuli.

Et hac methodo numerum *ſtellarum fixarum* conſtituerunt Artifices: nempe *primæ magnitudinis* omnes fere 15; quæ globum terrenum centies ſepties, Bayero tantùm 68, aliis 105, excedunt: *ſecundæ* 45; quæ terram ſuperant octogies ſepties: quibuſdam nonagies, aliis 28 cum ſemiſſe: *tertiæ* 208, alii 205; quæ terram excedunt ſeptuagies bis, ſecundùm alios 11 ferè: *quartæ* 474, Bayerus 475, alii 477; quæ terram ſuperant quinquagies quater, juxta alios ſeſquiquatuor vicibus: *quintæ* 217, Bayerus 216; quæ terram magnitudine vincunt tricies ſemel, Bayero 11 $\frac{1}{2}$, aliis ſemel tantum, & quod excedit: *ſextæ* 53, alii 49, Bayerus 94; quæ terræ molem, ut veteres ſtatuerunt, ſuperant decies octies, vel ſecundùm modernos, non niſi tertiam globi terreni partem mole ſuâ conficiunt. Atque ſic ſtellas fixas, quæ oculis exactè conſpici poſſunt, Bayerus in univerſum numeravit 1725; Plinius N. H. l. 2, c. 42, ætate Impp. Veſpaſianorum, 1060; Albategnius, Alphraganus,

ganus, & Ptolemæus 1022; Rabbi Kimchi 1089.

Primæ magnitudinis ſtellæ hiſce verſiculis continentur:

Primâ luce *Canis major* præfulget in auſtro:
mox *Humerus dexter*; *Pes lævus Orionis*; inde
eſt *Oculus Tauri*: ſupraque coruſca *Capella*:
hinc *Lyra*; *Arcturus*; *Cor Scorpii*; *Ariſta Puellæ*;
anteit *Cor Hydræ*; ſic *Cor*, & *Cauda Leonis*:
aſt infra *Fohamand* lucet *Canopus*; *Acarnar*.

His præterea etiam adduntur *Nebuloſæ*, & *obſcuræ*, vel *triſtes*, ideò ſic dictæ, quia viſum noſtrum plerumque fugiunt. Et ex ejuſmodi ſtellis cum viſibilibus computatis Kabaliſtæ 29000 myriades conſtituunt.

Hæ autem ſtellæ nebuloſæ, *tubo optico à Iacobo Metio, & Ioanne Lipperſeinio, teſte Sirturo in Teleſcopio c.* 25, *p.* 24, *Medioburgi in Selandia, anno* 1609, *primùm invento, ſed poſtea in Italia per Galilæum correcto, in Anglia per Drebbelium, teſte Gaſſendo in Vita Peireskii p.* 303, *aucto, imò in Gallia per Th. Campanellam, & Thomam Gaſconium, uti & Equitem quendam Neapolitanum longè perfectiori reddito, omnes exactè conſpici poſſunt, imò longè plures. Nam de tubo à ſe invento ſcribit Ant. Reita p.* 69, *his verbis*: Hujus Teleſcopii adminiculo uno intuitu totam circumfuſam Iovi, & Saturno legionem, & comitatum video, Galilæano interim vix centeſimam partem aperiente. Quid? & adhuc heri cum ſtupore, & ſummâ admiratione, Sudarium Veronicæ, ex ſtellis 140; Aquilarem Lyram, 150; Taurum 200; Plejades ultra 100; Oriona plus 100 ſtellis coagmentatum, lucidiſſimè ſum intuitus, *&c. Vid. ib. p.* 70, 98, 103, *de tubo octo pedum longo à Io. Carmuele parato. Iordanus Brunus de Vniverſo, & mundis, ſeu Infinito, & innumerabilibus, cap.* 9, *p.* 233, *& l.* 4, *c.* 13, *p.* 408, *ſcribit, quod in infinito Vniverſi ſpatio innumerabiles reperiantur Soles, vel ſtellæ fixæ, & innumerabiles terræ, ſive Planetæ; & licet Aſtronomi* 1726, *Talmudiſtæ* 12000, *Myſtæ* 144000, *Kabaliſtæ* 290 *millies mille ſtellas numerent, imò Deus ipſe omnes numeraverit, ac nominaverit, Eſd.* 16, 57. *Eſ.* 40, 26. *Pſ.* 147, 4; *hactenus*

ftenus tamen nobis nullus certus ſtellarum numerus fuerit cognitus. Videatur & Galilaius Syſtem. Mundi Dial. 3, p. 245, P. Gaſſend. Exercit. Epiſt. p. 49, Io. Bureus in Tab. Philoſ. Hebr.

In Globo noſtro conſpicitur *Tabella* verſus Polum meridionalem, ſub Eridano poſita, in qua ſtellarum magnitudinis viſibilis ratione differentium notæ diſtinctæ exhibentur. *Primæ* enim *magnitudinis*, ſeu *honoris* ſtella inibi angulis octo majuſculis, radiiſque intercurrentibus delineatur; *ſecundæ* ſex itidem majuſculis; *tertiæ* quinque majuſculis; *quartæ* octo minuſculis, abſque radiis intercurrentibus; *quintæ* ſex minuſculis; *ſextæ* quinque minuſculis; & denique *nebuloſa* circello valde parvo, abſque angulis. Cæterùm quamquam omnes ſtellæ abſolutè rotundæ ſtatuantur; tamen *fixæ* propter ſcintillationem, qua ab *erraticis* differunt, angulos quoſdam habere videntur, & ita quoque in Globo pinguntur, licet diverſimodè; uti modo diximus. Extra Globum enim aliàs plerumque ſeptem angulis, ſeu radiis omnes delineantur, & quidem rectè: quia quælibet ſtella in cœlo ſeptem radios jaculatur, ac diffundit, tres ſcilicet ad dextram, hoc eſt, ad eas partes, à quibus receſſit; & totidem ad ſiniſtram, hoc eſt, ad eas partes, ad quas jam recto curſu accedit; denique unum, videlicet ſeptimum, ad partem diametraliter oppoſitam. Exemplum petamus à Sole: ille oriens, ac in primo Arietis puncto conſtitutus, ſpargit dextros radios retrò in antecedentia, ſeu medietatem Zodiaci meridionalem, quæ tunc occupat ſuperius hemiſphærium; nempe radios hexagonos, ſeu ſextiles, tetragonos, ſeu quadratos, trigonos, ſeu triangulares; & totidem ſiniſtros in conſequentia, ſeu medietatem Zodiaci ſeptentrionalem Antipodibus tunc conſpicuam, ad quam Solem tendere videmus; ſeptimum autem, ſeu diametralem irradiationem in ipſum occaſum: ut apud Firmicum, Pontanum, alioſque Aſtronomos videre eſt.

Denique diſtribuuntur, & collocantur omnes ſtellæ in Globo pariter ac ipſo cœlo, per

tres

tres principales Globi, vel Cœli regiones, seu partes; nempe vel per *partem intermediam*, quæ est Zodiacus; vel per *partem septentrionalem*, à Zodiaco versus Polum arcticum; vel denique per *partem meridionalem*, à Zodiaco versus Polum antarcticum.

Atque hinc est, quod aliæ stellæ nobis dicantur *Zodiacales*, seu *intermediæ*; aliæ *Extrazodiacales*; eæque rursus vel *boreales*, vel *australes*.

Per has autem tres partes transit tractus ille, seu circulus tortuosus, pallidus, aut subcandidus satis latus, ac splendidus; qui nonnullis *Iunonius*, & *Lacteus*, Ptolemæo *Fascia*, aliis *Vestigium Solis*, ac *Zona* seu *Via perusta*, vulgò *Via D. Iacobi*, Germanicè die Milch-straße / sive Jakobs-sträße / Arabibus verò *Via Lactis*, & Græcis ὁ γαλαχτίας, seu γαλαξίας vocatur; & nullas ferè alias, exceptis constellatis, quàm *stellas parvulas*, quas diximus *nebulosas*, & *obscuras*, absque perspicillo sive telescopio artificiali plerumque inconspicuas, earumque maximam partem comprehendere videtur: unde & in Globo admodum paucæ, eæque notabiliores, per illum tractum depictæ cernuntur.

Lacteus enim iste candor, fulgorque *Viæ lacteæ*, quam Hesychius *Pultem triticeam in lacte coctam* interpretatur, haud aliunde est, ut Democritus rectè perspexit, quàm ab ingenti frequentia stellarum isto cœli tractu constipatarum, aciemque oculorum ita fugientium, ut absque tubo dioptrico, non nisi confusum advertant fulgorem. Et hinc quærit Manilius lib. I Astronom.

An

An major densâ stellarum turba coronâ
contexit flammas, & crasso lumine candet,
& fulgore nitet collato clarior orbis?

Atque ita non est *à reflexione Solis* haud intermicantibus stellis, ut Anaxagoras, teste Laërtio l. 2, & illum secutus Hippocrates, statuit: neque *ex tenui nebulosa substantia*, juxta Bayerum: neque *à relicto ibi Solis* per hunc tractum olim currentis *lumine*, ut priscis temporibus fabulati sunt Pythagoræi, teste eodem Manilio, cum scribit:

Illac Solis equos diversis cursibus isse,
atque aliam trivisse viam, longumque per ævum
exustas sedes, incoctaque sidera flammis,
cæruleam verso speciem mutâsse colore,
infusumque loco cinerem, mundumque sepultum. &c.

Neque à *Phaëthontæo incendio*; neque à *lacte Iunonis*, quod Hercules, cùm ejus ubera, Palladis instinctu, suxisset, ex ore suo rejecerit, eoque cœlum niveo infecerit colore; ut est apud Philoponum in prim. Meteor. quod interpretatur de *Solis lumine reflexo*; neque ab *animabus Heroum mortuorum*, quas sibi hanc in cœlo sedem elegisse dicunt: unde & *Heroum Sedes*, & *Via cœli regia* vocatur; ut idem Manilius dicto loco fusius enarrat. Imò hinc est, quod accuratiores Physici in eo dissentiant ab Aristotele, quòd l. 1 Meteorolog. c. 8, viam hanc lacteam non in cœlo, sed in aëre exhalationum congeriem esse putaverit, adeoque inter meteora numeraverit. Dicunt enim Galaxiam esse Zonam in cœlo latissimam colorem lactis repræsentantem, totum cœlum perpetuò ferè cingens, ac in duas quasi partes secans, imò unam eandemque semper distantiam à terra servans; quod meteora haud faciunt. Videatur Aristoteles 1 Metaph. c. 8, Plutarchus de Philosophor. decretis, Magyri Physica pag. 309, Somnium Scipionis Macrobii l. 1, cap. 15; Velcurionis Phys. p. 151; Averroës, Philoponus, Cardanus, Meurerus in Meteorologia pag. 58, 59, &c. item Sperlingius in Physicis, & Benedictus Mazzotta in triplici Philosophia p. 7, c. 1.

Tendit

Tendit autem *Galaxias*, seu *Via lactea*, vulgo *Via Iacobi in Gallicia* dicta, (quæ unâ sui parte candidior, fulgidiorque, ac latior, quàm aliâ, imò alibi duplex, alibi simplex) à stella illa versus polum arcticum mirabili, & in globo depicta (quæ insolito præ aliis fulgore, anno 1572, per annum & trientem in posteriori parte solii Cassiopeiæ fuit conspicua) versus meridiem per ipsam Cassiopejam, Perseum, Aurigam, Clavam, & Brachium Orionis, ubi Geminorum pedes attingit; hinc per Æquatorem, Canem majorem, Argo-navem, ubi latissima, pedes Centauri, Crucem, Triangulum austrinum: unde remeat in boream per Aram, Caudam Scorpionis, Sagittarii arcum; ubi nomen *Via lactea*, inter Æquatorem, & Zodiacum, quos transit, appositum conspicimus: dehinc per Aquilam, Sagittam, Cygnum, Caput Cephei, donec redeat ad mirabilem illam Cassiopeiæ stellam. Sed hoc quoque observandum, quod brachium hujus Viæ lacteæ à Cygno se retro flectat versus meridiem usque ad Serpentarium; ubi in Æquatoris circulo in quatuor illi adpictis stellis desinit: ita ut circa Aquilam, & Cygnum duplicata conspiciatur. Verùm lubet apponere hîc supra citati Manilii versus tractum illum itidem describentes:

Alter in adversum positas succedit ad Arctos,
& paullum à Boreæ gyro sua fila reducit,
transitque inversæ per sidera Cassiopejæ.
inde per obliquum descendens tangit Olorem,
Æstivosque secat fines, Aquilamque supinam,

tem-

temporaque æquantem Gyrum, Zonamque ferentem
Solis equos, intra caudam, qua Scorpius ardet,
extremamque Sagittarii lævam, atque Sagittam.
inde suos sinuat flexus per crura, pedesque
Centauri alterius, rursusque ascendere cœlum
incipit, Argivamque ratem per aplustria summa,
& medium mundi Gyrum, Geminosque per ima
Signa secans subit Heniochum, teque inde profectus,
Cassiopeja, petens, super ipsum Persea transit,
orbemque ex illa cæptum includit in illa,
trisque secat medios Gyros, & Signa ferentem
partibus è binis, quotiens præciditur ipse.

Viam sive *semitam lacteam* Achilles sic definit: ὁ γαλαξίας ἐστὶν ὁ ἐν τῇ σφαίρᾳ κατακεχελσμένος κηρῷ λευκῷ; & Ovidius:

Est via *sublimi cœlo manifesta sereno,*
Lactea *nomen habet candore notabilis ipsa.*

Quod autem in hoc *cœli Cingulo*, seu *Orbe lacteo*, ut Cicero vocat, tam frequens stellarum parvularum hæreat agmen, idipsum tubo dioptrico non ita pridem inventò deprehenderunt Astronomi: ejus enim beneficio stellulæ etiam minimæ oculis alioquin inconspicuæ evidenter inibi discernuntur. Et licet hic tractus nullum in Sphæra usum habeat; tamen cum absolute τὴν περὶ τοῦ οὐρανοῦ πραγματείαν persequatur, ut Scaliger inquit, necessariò ponendus fuit; æquè ac *candidæ* illæ *duæ maculæ* colore ad Viam lacteam accedentes: quæ velut parvæ nubeculæ, nautis *Nubeculæ Magellani* dictæ, circa Polum austrinum, altera & quidem minima inter Hydrum, & polarem Zodiaci, altera, quæ triplo latior est illâ, in ipso polari Doradinali, seu Zodiaci, propè Doradinis caput, in Globo depictæ conspiciuntur.

Ejusmodi nubem, sed atram, imo tam miram, & in pyramidis cujusdam Ægyptiacæ modum formatam in Arabia videri oculatus testis est Bellonius.

MEMBRVM II.

De Signis, seu Asterismis in globo considerandis in genere; & in specie de Signis Zodiaci, eorumque pictura, & appellatione.

EXpedivimus hactenus *stellas fixas* in Globo *singulatim*, & *extra formas* consideratas. Sequitur, ut illas ipsas quoque *collectim*, & *cum formis*, hoc est, prout ad certas *imagines*, & *figuras*, quas *signa*, & *Asterismos* vocamus, redactæ sunt, consideremus.

Ejusmodi autem *Imagines*, seu *Signa cœlestia* in Globo nostro numerantur, & conspiciuntur 64: & ex his alia sunt *Zodiacalia*; alia *Extrazodiacalia*.

Zodiacalia, quæ & *intermedia* dicta, quòd meditullium Globi, id est, *Zodiacum* occupent, & juxta duodenum Solis, circulum suum permeantis, cum Luna coitum constituta, sunt XII; nempe *Aries*, *Taurus*, *Gemini*, *Cancer*, *Leo*, *Virgo*; *Libra*, *Scorpius*, *Sagittarius*, *Capricornus*, *Aquarius*, & *Pisces*.

His singulis singuli duodecim cœli venti adscribuntur ab Ampelio: nempe *Arieti* Africus, *Tauro* Circius, *Geminis* Aquilo, *Cancro* Septentrio, *Leoni* Thrascias, *Virgini* Argestes, *Libræ* Zephyrus, *Scorpio* Africus, *Sagittario* Auster, & Africus, *Capricorno* Auster, *Aquario*, Eurus, & Notus, *Piscibus* Eurus.

Signa autem Zodiacalia Marcellus Palingenius hisce includit versiculis:

Sunt *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo*,
Libra, Nepa, Arcitenens, Capricornus, Hydrochoosque,
& *duo* cœlesti radiantes lumine *Pisces*.

Ex his sex *septentrionalia* vocantur, &

Sunt: *Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo*;
1. ♈ 2. ♉ 3. ♊ 4. ♋ 5. ♌ 6. ♍

Reliqua sex *meridionalia* posteriorem Zodiaci semicirculum constituentia, ut

Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.
7. ♎ 8. ♏ 9. ♐ 10. ♑ 11. ♒ 12. ♓

Cæterùm Signa hæc, veteribus Ægyptiis pro θεοῖς βουλαίοις, hoc est, *Diis consiliariis* habita, annotante Scholiaste in 4 Argonautικῶν Apollonii, prout certum corporis humani membrum quasi suum unumquodque gubernat, ut ex Medicorum observatione notum est, ab illa gubernatione denominari possunt: ita ut primum, nempe Arietem, alio eoque fictitio nomine dicas, *Caput*, seu *Signum Capitale*; Taurum, *Cervicarium* vel *Collarium*; Geminos, *Humerarium*, seu *Brachiarium*; Cancrum, *Pectorarium*; Leonem, *Cordiale*, *Scapulariumve*, aut *Regium*; Virginem, *Stomacharium*, *Costariumve*; Libram, *Umbilicarium*, seu *Femorarium*, item *Clunarium*; Scorpionem, *Inguinarium*, seu *Seminarium*, *Pudendumve*, aut *Genitale*; Sagittarium, *Feminarium*, seu *Coxarium*, *Natariumve*; Capricornum, *Genuarium*; Aquarium, *Tibiarium*, *Surariumve*; Pisces, *Pedaneum*. Videatur de hoc Vossius l. 2 de Idol. pag. 568, & Campanella in libris Astrologicis. Omnes enim istæ partes, à quibus appellationes hæ desumptæ, quasque singulas signa sua singula regunt, nunquam tentari debent medicamentis, cum Sol in signis earum versatur, quia curationem tunc ægrè admodum admittunt. Unde nos aliquando sic lusimus:



Der Wider hält das haupt; der Stier das hals-genikke;
Der Zwilling arm und hand; der Krebs der brüste trohn;
Der Leu das hertze selbst; die Magd das Magen-stükke;
Die Waag des Nabels schnur; die Schaam der Scorpiohn;
Der Schütz das hinterteil; das Knie der Bok ingleichen;
Der Wasserman das bein; den Fuß der Fische zeichen.

Ζωδιακὸν Arabes *Almantica*, ſeu *Nitac*, quòd utrumque *baltheum*, ſive ζωστῆρα ſignificat; Ebræi vero חשב אפורת הגלגל *opus Phrygionarium*, h. e. *Limbum textilem*, ſeu *Faſciam*, vocant; Germani den Tier-Kreis. Lucano eſt

varii mutator Circulus anni;

Proclo λοξὸς κύκλος, Arato μοῖρα, & ἠελίοιο κέλευθος; aliis *Signifer*, ἀγαλματοποιὸς, ζῳγράφος, *Sigillarius*; item ζωδίων περιπόλησις, & τὸ δωδεκατημόριον, Germanico *Media ſolis via*: quo tamen potius Eclipticam, quæ Zodiaci meditullium occupat, ac ἡλιακὸς κύκλος, vel ἐκλειπτικὸς κύκλος vocatur, intelligit. Dividitur enim Zodiacus juxta latitudinem in tres partes, ſeu ταινίας; quarum intermedia eſt Circulus eclipticus, reſpectu extremarum, valde arctus & gracilis. ἔχει δὲ ἐγχαράξεις τρεῖς, ἃς οἱ μαθηματικοὶ ταινίας καλοῦσιν· ἔστι δ' ὁ κατακεχωρισμένος ἐν τῇ σφαίρᾳ κηρῷ μεμιλτωμένῳ. Achill. Statius.

Extrazodiacalia ſunt vel *Septentrionalia*, vel *Meridionalia*.

Globum Ptolemaus, & ante illum Hipparchus, in tria diviſit, in **Zodiacum, *in* partem aquilonarem, *& in* auſtrinam.**

Extrazodiacalia ſeptentrionalia, quæ aliter ***borea*** vocantur, ſunt 23; ***Vrſa minor, Vrſa major, Draco, Cepheus, Caſſiopeia, Andromeda, Perſeus*** cum ***Capite Meduſæ, Triangulum boreale, Auriga, Coma Beronices, Bootes, Corona ſeptentrionalis, Serpentarius, Serpens Ophiuchi, Hercules, Aquila, Antinous, Sagitta, Vultur cadens*** cum ***Lyra Arionis, Cygnus, Delphinus, Equuleus, Pegaſus.***

Illa memoriæ ſublevandæ cauſâ hiſce verſiculis includuntur:

Ad boreamque tria & viginti ſidera cernes:
Eſt *minor Vrſa, Draco, Cepheus,* & *Caſſiopeja*,
Andromede, Perſeus, Auriga, Trigonus, & *Vrſa*
major, Pegaſides, & *Equi-præſectio, Delphin*,
Aquila, & *Antinous, Vultur, Telum, Coma, Cygnus,*
Hercles, Anguitenens, Serpenſque, Corona, Bootes.

Extra-

Extrazodiacalia meridionalia, quæ vulgo *notia* vocantur, ſunt 29; *Cetus*, *Eridanus*, *Orion*, *Lepus*, *Canicula*, *Canis major*, *Hydra*, *Crater*, *Corvus*, *Centaurus*, *Lupus*, *Ara*, *Corona auſtrina*, *Indus*, *Grus*, *Piſcis auſtrinus*, *Phœnix*, *Columba Noæ*, *Argo-navis*, *Crux*, *Muſca*, *Triangulum auſtrinum*, *Apous Indica*, *Pavo*, *Pica Indica*, *Hydrus*, *Dorado*, *Piſcis volans*, *Chamæleon*.

Quæ itidem verſiculis, & quidem hiſce comprehenduntur:

Vigintique novem vergentia *ſidera ad auſtrum*,
ſunt *Lepus*, & *Cetus*, cum *Nilo*, ſævus *Orion*,
Sirius, & *Procyon*, *Argo* ratis, *Hydra*, *Craterque*,
Corvus, *Centaurus*, *Lupus*, *Ara*, *Corollaque*, *Piſcis*
auſtrinus, *Piſciſque volans*, *Dorado*, *Columba*,
Deltoton, *Pavo*, *Crux*, *Muſca*, *Chamæleon*, *Hydrus*,
Picaque, *Grus*, *Phœnix*, *Indus*, *Paradiſeus ales*.

Theon vult omnes imagines in cœlo converſis ad nos tergis eſſe: ſed in globis pingi oportere vultibus ad nos converſis. Dorſa enim in ſuperficie cœli concava, in convexa globi, quæ cœli concavum repræſentat, omnino ſupina eſſe debent.

Signa Zodiacalia quod attinet, quæ in hoc membro conſiderare decrevimus, ordine omnia in *Globo Ecliptica affixa* conſpiciuntur. Et primum quidem eſt

I. ARIES; der Widder / das Lentzengeſtirn:

PRinceps Zodiaci, Ductor exercitus Zodiaci*, Nigidio *Dux gregis*, *Ductor opulenti gregis*, *Princeps ſignorum cœleſtium*; Manilio *Laniger*, *Phrixeum pecus*, *Phrixi vector*, Ovidio *Ovis aurea*, *Vervex*, *Æquinoctialis*, *Vernus Portitor*, *Ar-*

canus, *Auratus*, *Chrysomallus*, aliis ſed barbarè *Chrysovellus*; nonnullis *Arietinum Caput*; item *Iupiter Ammon*, Propertio *Iupiter Libycus*, Dionyſio *Deus Libycus*, Nonno *Ammon Libycus*, *Iovis ſidus*; Manilio, & Virgilio *Minervæ ſidus*: Græcis Κριὸς; quibuſdam Αἰγόκερος, Ægocerus, quod tamen potius Capricorno convenit: Ebræis טָלֶה: Arabibus *Elhemal*, ſive *Elhamel*, *Schickardo Achamalo*, hoc eſt, *aries*, Germanicè **der Hammel.** Hic ſummâ nocte in ſummo reſidet cœlo, inter Octobris finem, & initium Novembris:

Ac ſua reſpiciens aurato vellere terga,

inque Tauri locum ſuccedens, ſub notam ♉, capiti ejus imminentem, in globis locatur: & ſeptendecim ſtellis in noſtro conſpicuus, procreationem, caliditatemque denotat.

Picolomineus in Sphæra ſua Italica Arieti *tantum* 13 *ſtellas attribuit: uti & Poſtellus; qui tamen extra Signum adhuc quinque informes addit. Bayerus verò computat* 19: *nempe tres tertiæ magnitudinis; quarum prior in auricula ſiniſtra, quæ omnium firmamenti ſtellarum prima cenſetur; & poſterior in cornu ſiniſtro, utraque Martialis, & Saturnina, quia fulgentiores ſunt, Arabicè* Scartai, *vel* Sartai, *hoc eſt*, Arietis miniſtræ complanetæ, *item* Meſartim, *dicuntur; tertia verò in dextro cornu, ſeu vertice, quæ borealior lucida, Martialis, & Clavio informis ſuper caput, Abrachidi verò ſuper muſcidam, quibuſdam* Principalis: *porrò unam quartæ in cauda Veneream; duas quintæ itidem in cauda Venereas; & 13 ſextæ hinc inde diſſeminatas, ac partim ♀ & ☿, partim ♄ & ♂ naturam participantes.*

Prima *Arietis* ſtella, quam Methon Atticus, Cycli decemnovennalis inventor, qui ante mortem Alexandri Magni 108, atque ita ante Chriſtum natum 400, & quod excurrit, annis vixit, in ipſo æquinoctii verni limite, hoc eſt, primo Zodiaci gradu, ubi ſe interſecat Zodiacus & Æquator, ac in globis adpicta conſpicitur Arietis

Arietis nota ♈, obſervâſſe dicitur, noſtro ſeculo, motu ſtellarum ab occaſu in ortum hypothetico, quem longitudinem vocant Aſtronomi, in 28 gradum ejuſdem ſigni retracta videtur; latitudine interim pœnè eàdem manente. Quippe hoc motu, hoc eſt, ordine, ut vulgò loquuntur, ſecundum ſucceſſionem ſignorum, omnes ſtellæ unoquoque annuo ſpatio 51 ſecundas, ac ſingulis 70 annis, & 7 menſibus unum gradum, centum verò annis unum gradum, & 25 minutas procedunt: ut obſervatum Tychoni Brahæo. Atque hinc eſt, quod Arietis figura in Globis ad notam ♉, ac figura ♉ ad notam ♊, & ſic conſequenter omne, quod ſupereſt, ſignum ad ſequentis notam pingatur. Interim tamen à verni æquinoctii puncto ordimur Arietis ſignum, procedentes uſque ad gradum trigeſimum. Quod ſequuntur reliqua undecim: quæ ſingula totidem conſtant gradibus. Æquinoctia autem verna, quæ tempore Chriſti, anno biſextili in 24 Martii, communi verò in 25 incidiſſe dicuntur, noſtris temporibus, ſi credimus Tabularum calculo, communibus annis incidunt in 11 Martii, & intercalaribus in 10. Sed videamus cur, & qua occaſione Aries inter aſtra locatus ſit.

De *Ariete κατηστερισμένῳ*, ejuſque ἀποθέωσι duæ imprimis ſunt opiniones. Primam, ac receptiſſimam nobis propinat fabula illa de Phrixo, & Helle, Athamantis Thebanorum regis, & Nephelis poſtea repudiatæ filiis: quos Ino Athamantis altera uxor Cadmo Phœnice, & Harmoniâ prognata, prorſus novercalì proſequebatur affectu. Quippe omnem amorem, quo inflammata fuerat in privignum, illo non aſſentiente, in acerrimum convertit odium. Nec ceſſavit, uſque dum, toſtis omnibus quæ ſerebantur, frumenti ſeminibus, ac corruptis ſacerdotibus Delphicis, tale relatum oraculum; *ſi Thebani vellent, ut fruges naſcerentur, Phrixum eſſe mactandum Iovi.* Et hinc eſt, quòd *Aries oriens* inexhauſtas, & inexplebiles cupiditates, imò audacia, impudentia, & inconſtantia proferre dicatur ingenia. Sed Phrixus, cum jam aræ, Athamantis juſſu, eſſet immo-

landus, teste Apollodoro l. 1, Arietem ex Neptuno, & Theophane genitum, aureâque lanâ opertum, vel potius navem, cujus insigne aries aureus, unà cum sorore Helle conscendisse, atque sic aufugisse dicitur. Quò respiciunt fortè Astrologi, qui nascentibus oriente ariete peregrinandi aviditatem tribuunt. Alii tamen dicunt Phrixum non ad aram, ut immolaretur, esse ductum: sed, ut ad sacrificia eligeret victimam pulcherrimam, missum. Vbi Aries quidam, Iove annuente, ei patefecerit omnes novercæ insidias: ut Didymo proditum. Hinc ille cum sorore Arietis tergori insidens, prout ipse Aries suaserat, aufugerit. Sed Aries hic schemate saltem Poëtico pro pecude sumitur: cùm revera fuerit Phrixi alumnus, ut quidam scribunt, vel potius Ephorus, aut Præceptor *Crius*, hoc est, *Aries* dictus. Quo suasore, & impulsore, imò ductore, & vectore Phrixus fugam capessit: ut proditum Dionysio in Argonauticis. Rursus alii tradunt Nephelen, quod *nubem*, sive *nebulam* significat, Phrixum rapuisse, eique auream ovem à Mercurio captam dedisse: qua per aëra fuerit vectus. Vbi iterum Crium, seu Arietem Præceptorem, cum aurifaciundi arte, aut aureis consiliis, & adhortationibus, intelligo. Atque hinc quoque Phrixus rerum astronomicarum scientiâ delectatus, ac in cœlum ab Ariete sublatus dicitur: ut traditum Luciano in dialogo de Astrologia. Cæterum Helle, cùm deventum esset ad angustias maris inter Chersonesum, & Troada, ob nauseam obortam foris incumbens, atque sic in mare decidens submergitur: vel ut alii malunt, quos inter est Hellanicus, morbo in itinere absumta, navigantium more, in mare dejicitur. Vnde fretum *Hellesponti*, & *Athamantidis* nomen accepit: ut proditum Æschylo in Persis, & Ovidio in Epist. Leandri, ubi sic canit:

Fluctibus immodicis Athamantidos æquora canent,
Vixque manet portu tuta carina suo.
Hoc mare, cùm primùm de virgine nomina mersâ,
quæ tenet, est nactum, tale fuisse puto.

Est

Est satis amissâ locus hic infamis ab Helle :
utque mihi parcat, nomine crimen habet.
Invideo Phrixo, quem per freta tristia tutum
aurea lanigero vellere *vexit* ovis.

Hîc demum nonnulli ajunt locutum fuisse Arietem, & hortatum Phrixum, ut intrepido sit animo: se illum incolumem in Colchidem portaturum. Vbi quoque salvus ad regem Æetam pervenit: cujus filiam Calciopen postea duxit; quam proprio nomine *Eveniam*, cognomine verò *Calciopen*, & *Ophiusam* dictam prodidit Pherecydes l. 6. Arietem verò Iovi Phrixio, hoc est, fugæ faventi, sive, ut alii scribunt, Iovi Laphystio, vel juxta nonnullos Mercurio, aut Marti immolavit. Quibusdam placet Phrixum, vel etiam ipsum Æetam Arietem Diis mactâsse; & vellus aureum, quod Simonides *purpureum*, alii *candidum*, at postea à Mercurio inauratum, dixere, in templo, vel luco Marti, aut juxta alios, Iovi sacro, ramis quernis affixisse. Hinc Apollonius l. 2 Argonauticorum:

Phrixus & Æetæ regnumque & mœnia adivit.
Hunc aries vexit, quam mox Cyllenius aureum
fecit. Nunc etiam suspensa est aurea quercu
pellicula, interdum crepitat quæ leniter auris.
Iupiter ipse fugæ favit, quo Phrixius illum
mactatum cepit structis fumantibus aris.

Manilius verò pellem Arietis jam tunc auream fuisse, ubi mare trajecerunt, existimâsse videtur, cùm l. 4 Astron. sic canit: — *Testis tibi Laniger ipse,*
cum vitreum findens aurato vellere *pontum*,
orbatumque suâ Phrixum per fata sorore
Phasidos ad ripas, & Colchida regna revexit.

Inter tot sententias ego suspicor Arietem Phrixi Ephorum, ob summam sapientiam pariter ac fidelitatem, Inspectorem sive sacerdotem summum Templi Colchici in honorem Phrixi, vel alterius cujusdam ab ipso Phrixo conditi constitutum fuisse: unde & aries Diis mactatus dicatur, schemate Poëtico. Templi autem illius meminit Mela l. 1, cap. 21, hisce verbis: *Hîc sunt Colchi.*

Hinc Phasis erumpit. Hic eodem nomine, quo amnis est, à Themistagora Milesio deductum oppidum. Hic Phrixi templum, & lucus fabulâ vetere pellis aureæ nobilis. Sic quoque vellus arietis aureum in Martis luco vel fano suspensum, fortè nihil aliud fuit, quàm navis, qua vectus Aries, & Phrixus, arietis insimul figurâ insignis, ac postea in perpetuam rei memoriam, cum auri copia, quod Phrixus secum portaverat, vel à Mercurio, aut Æeta demum obducta auro, Martis templo illata. Et eadem de causa Aries quoqûe, precibus Nepheles, vellere suo aureo spoliatus, vel cum aureo vellere, ut Manilius voluit, à Diis inter astra relatus dicitur: ut testatur Ovidius, & alii,

quorum carminibus nihil est, nisi fabula, cœlum.

Videamus nunc alteram de Ariete in signum cœleste mutato opinionem: quam nobis explicat Ampelius in Libro memoriali: *Aries,* inquit, *beneficio Liberi, quod, cùm exercitum in Indiam per Libyam duceret, per loca arenosa, & sicca, cùm aquæ inopia esset, & exercitus ejus siti affligeretur,* Aries *eis aquam demonstravit: & ob id à Libero* Iovis Ammon *est appellatus: eique fanum fecit ad eum locum, ubi aquam invenit. Quod abest ab Ægypto, & Alexandria millia passuum novem. Ob eam rem à Iove petiit, ut inter sidera reciperetur Aries.* Sed Germanici Interpres hanc fabulam paullò aliter narrat: *Nigidius,* inquit, *hunc arietem dicit ducem, & principem signorum Zodiaci Circuli. Immortali autem honore donatum, quod cùm Liber* (sic dixerunt Fabulatores *Noah*, & *Mitzraim*, Chami filium, item *Mosen*) *exercitum in Africam duceret, & aquæ inopiâ pateretur; subitò* aries *ex arena,* (quæ Græcis ἄμμος dicitur) *exivit* (fortè *Cham* vel *Ammon* cum cornibus arietinis fictus, cujus delubrum in arenosis Ammoniæ, seu Libyæ locis à filio Osiride conditum erat) *& Liberum cum exercitu suo ad aquam perduxit divinitus. Hoc facto Liber eum Arietem,* Iovem Ammonem (den Hammel sive Sand-gott) *appellavit,* (nam forte credidit Iovem Ammonem sub specie arietis sibi apparuisse, ac ipsum ex fonte bibentem, aquam eâ occasione monstrâsse;)

eique

eique fanum magnificum fecit, eo in loco, in quo reperta est aqua: & abest ab Alexandria itinere dierum novem. Praeterea Aries *dux aquae immortalis mutatus, & coeli sidera consecutus.* Videatur & de hoc Hyginus fab. 133, & Isiodorus l. 3 Orig. cap. ult. De genitura Arietis ejus hæc habet Morelliana editio: *Genitum autem hunc Arietem dicunt ex Neptuno, & Theophane, Altidis* (Vossio *Attidis*) *filiâ: quam cum adamâsset, in Insulam Crinnissam* (Vossius legit *Crionesin*, Κριοῦ νῆσον, hoc est, *Arietis Insulam*) *traduxit, inque* ovem *convertit: cum qua in* arietem *mutatus, concubuit; ex qua* Aries Chrysovellus *natus.* Vbi pro *Chrysovellus*, lege *Chrysomallus*, χρυσόμαλλος, hoc est, *aurei velleris.* Otto Heurnius autem de hoc Ariete ex Dionysio Mytelenæo longè aliter sensit: *Erat*, inquit, *summo in honore in Asiæ partibus barbarie obsitis Philosophia: adeo ut* Arietem, *Phrixi, Athamantis Thebarum regis filii, Pædagogum, sapientiæ cultu ita conspicuum, ut* Aureus, *ob doctrinæ præstantiam, vulgò diceretur, tanto desiderio Colchi captum adservârint, ut omnes occumbere, quàm tanto viro carere maluissent: qui tamen ab Iasone reliquisque Argonautis tandem inde liberatus. Vnde Argonautarum ad* aureum Vellus *consequendum fabula.* Sed alii scribunt, inter quos est Suidas, *aureum Vellus* nihil aliud fuisse, quàm *Librum in membrana* (puto *arietinâ*) exaratum, quo *aurifaciundi ars* contineretur; fortè à memorato Crio, seu, quod idem, Ariete Phrixi Ephoro conscriptum. Ac argumento sit, quòd, qui argonauticæ expeditioni interfuerint, ad unum omnes medicinam calluerint, ac proinde etiam fortè Chymicæ dediti fuerint: ut Clemens Alexandrinus Stromat. l. 1, ex Apollonio Rhodio refert. Quin & ipse Æsculapius se socium præbuit. Videatur de hoc maximus Medicorum Sennertus lib. de Conf. & diss. Chym. cum Aristot. & Galen. item Plutarchus, Iustinus l. 29, & Xenophon l. 6. Imò rursus aliam originem nobis enarrat Varro l. 2 de Re Rust. c. 1: *De antiquis*, inquit, *illustrissimus quisque pastor erat, ut ostendit Græca, & Latina linguâ; & veteres Poëtæ, qui alios vocant* πολύαρνας, *id est*, dominos agnorum multorum, *alios*

πολυ-

πολυμήλυς, *id est*, possessores multarum ovium, *alios πολυβύτας*, *id est*, boves multos possidentes: *qui ipsas pecudes, propter caritatem*, aureas *habuisse* pelles *tradiderunt*: *ut Argis Atreus*, *quam sibi Thyesten subduxisse queritur*: *ut in Colchide Æeta*; *ad cujus* arietis pellem *profecti regio genere dicuntur Argonautæ*: *ut in Libya ad Hesperidas*; *unde* aurea mala, *id est*, *secundum antiquam consuetudinem*, capras, & oves, *quas Hercules ex Africa in Græciam exportavit. Ea enim suâ voce Græci appellârunt μῆλα*. Attamen non ob solas pecudes, arbitratur illustris Vossius, Argonautas profectos: sed per eas *συνεκδοχικῶς* intelligere oportere opes regis universas; imprimis verò *auream* illam *pellem*, qua Aries Phrixi onerabatur, vel potius thesaurum illum, quem Phrixus, Athamantem, & novercam fugiens, nave vectum in Colchidem deportârat. *Hos enim*, inquit l. 1 de Orig. & progressu Idololatr. p. 178, *consanguinei Phrixi, ante omnes autem Iason, prognatus Æsone, fratre Phrixi hujus patruele, non absurdè reposcebant. Nam verisimile est, eos fuisse partim ex bonis Nepheles matris: partim, quia ejus domos, & agros auferre non poterat, ex pecuniis Athamantis patris, & novercæ Inûs.* (Et hæc est *Ino* illa, quæ cum filio Melicerta in mare se præcipitavit, & jam in Deorum numerum recepta, *Leucothea* dicebatur: unde Propertius l. 2, Eleg. 28:

Ino etiam primâ terris ætate vagata est.
Hanc miser implorat navita Leucotheam.)

Eos quoque velleris aurei *nomine vocârunt*; *quia ex* pecudibus pecunia *comparetur*; *eoque &* pecuniæ *dicuntur*, *quasi* res pecuinæ: *imò postquam signari cœperunt nummi, sæpe iis pecudis, vel bovis nota imprimebatur. Vnde proverbium: Ne bos in lingua.* Sanè pecus veteribus videtur *μῆλον* dictum à *μέλω*, quòd iis id maximè curæ fuerit; æquè ac nostris mercatoribus sunt nummi.

Cæterùm nihil mirum, si Phrixus suo salvatori, & consiliario adeò fideli, imò suo quasi deo etiam attribuerit, ut suspicamur, nomen *Iovis Ammonis*: quin & voluerit, ut idem divinus honos ei deferatur, ac antiquissimo illi Ammoni, seu Hammoni, filio Noë.

Qui

Qui Ægyptiis, teste Herodoto, Ἀμμοῦν dictus, in Ammoniæ seu Libyæ occidentali parte suum habuit delubrum. Vnde fortè à Libyis sol occidens creditus est: æquè ac *Belus*, & *Moloch*, qui in oriente culti, sol oriens: ut illud ex Macrobii Saturnal. l. 1, cap. 21 constat. Atque sic Arietis hujus nomen tanto pedetentim inclaruit honore, ut etiam postea apud Romanos *Aries* symbolum fuerit principatus: quod proditum Varroni l. 5 de lingua Lat.

Verùm *Aries* non tantùm *Iovis* est *Sidus*; sed etiam filiæ ejus *Minervæ*, ut ex Virgilii lib. 11 Æneidos videre est. Nam uti illa consilii præses; sic ex Manilii sententia Astronom. l. 2,

consilium ipse suum est Aries, *ut principe dignum est:*
audit se, Libramque videt. —

hoc est, ut Vossius exponit, ex suo consilio præcedit: cætera ex ejus consilio sequuntur. Et de hoc Servius ad modò adductum Virgilii locum satis eruditè: *Hæc numina*, inquit, *quæ inter sidera non videmus, licet signa sua propria non habeant, cum aliis potestate sunt permixta. Vt Ophiuchus ipse est* Æsculapii: *Gemini* Apollinis, & Herculis *esse dicuntur: sic* Minervæ *Aries esse dignoscitur.*

Sed insimul & huic fabulosæ, & Poëticæ explicationi juvat substituere aliam, & veram ex ipso sacrosancto Codice depromptam rationem tralationis hujus Arietis in cœlum. Atque sic denotabit hic Aries potius illum *Arietem*, quem Abrahamus cœlitus missum, loco filii sui Isaaci, sacrificavit, teste historiâ Mosis Genes. c. 22, v. 13: vel, si mavis, alterum illum, qui sub *Agni* nomine, Dux est, & sacrificium universi ovilis humani; cujusque typus erat is, quem Abraham sacrificavit.

II. TAVRVS; der Stier / sive der Farre:

Bos, Portitor Europæ, Proditor Europes; Ovidio *Taurus Candidus*; Manilio *Princeps armenti; Bubulum caput*; *Io*, Ovidio *Inachis*, Virgilio 3

Georg.

Georg. *Inachia Iuvenca*; *Isis*, *Chironis filia*; *Osiris*; *Veneris sidus*: Græcis Ταῦρος, Interpreti Ptolemæi Κυρ]ὸς, Arato Πεπ]ηὼς, propter *genua incurvata*, æquè ac Manilio *Flexus*, *Nixus*, & Lucano *curvatus*; Ebræis שור; Arabibus *Ataur*, *Altaur*, *Altor*, Schickardo *Attauoro*, id est, *Taurus*. Hic adversus Geminis, aversusque Arieti, sub ♉ charactere, illorum pristinam sedem capite, & collo occupans, ingeniculatus, & tanquam bos humi procumbens, jugumque ab Auriga poscens pingitur; & 44 in globo nostro stellis constans, inter quas *Pleiadum*, *Hyadumque* sidera cernimus, agriculturam designat. Cæterùm nocte mediâ, circa medium Novembris, & initium Decembris, in meridiano conspicitur.

Picolomineus ei tantum 33 *adscribit stellas*; *quibus Postellus adhuc undecim extra signum numeratas adjicit*: *Bayerus autem* 48; *quarum una primæ magnitudinis*, Lampadias *dicta*, *oculum austrinum format*; *quinque tertiæ caput*; 8 *quartæ*; 20 *quintæ*, & 13 *sextæ reliquum dimidium corpus*.

Taurus, qui recentioribus tantum dimidius pingitur, Plinio, & Vittuvio integer erat; ac in cauda ejus *Pleiades*, quæ nunc in fronte, locabantur: quamquam & aliis eædem seorsim à Tauro sint effictæ. Cæterùm Vaccáne, an Taurus constellatio hæc censeri, & utrum ad Iovem, an ad scortum ejus referri debeat, inter ipsos fabulatores antiquos ambigitur. Hinc Ovidius:

Vacca *sit, an* Taurus, *non est cognoscere promptum.*
Pars prior apparet, posteriora latent.
Seu tamen est Taurus, *sive hoc est* femina *signum*,
Iunone invitâ munus amoris habet.

Hujusmodi enim pecudis faciem induens Iupiter Cretensis junior, *Europam* Agenoris Cananæi, seu, ut postea dixere, Phœnicum regis ex Melia nympha filiam, Cadmi, & Phœnicis sororem, cum virginibus Tyriis, juxta littora

littora Serapiæ, choræas agere folitam, juvencis miftus adiit; illamque tergo fuo infidere aufam rapuit, ac in Cretam infulam, fuperato Ponto, abduxit. Vbi rurfus depofitâ tauri formâ, optatum amoris finem nactus, in fempiternam rei memoriam, uni ex quatuor Orbis partibus virginis regiæ nomen indidit, *Europamque* vocavit: ut fufius videre eft apud Ovidium in tertio Metamorph. Quinimò hac occafione, tefte Hygino, imaginem Tauri in cœlum collocans, 44 circiter ftellis exornâffe dicitur. Atque hinc Sidonii numifmata cum femina tauri dorfo infidente ac mare transfretante in Europæ honorem cuderunt.

Sed & hæc fabula à Phœnicibus, aliifque, ut reliquæ omnes, ficta eft ex vera hiftoria; quam Echemenes de rebus Cretenfibus fcribens, hifce enarrat verbis: *Cùm forte fortuna*, inquit, *Cadmi foror, Europa, ad littus Serapiæ civitatis, inter Tyrum, & Sidonem fitæ, deambularet, à Cretenfibus, qui mercatum eò venerant, fpeciosâ ejus formâ inefcatis, rapta eft, anno mundi* 2517, *& Cretam navi avecta, cujus prora candido Tauro infignita erat.* Idem ferè refert Herodotus l. 1, & Agatharchides in reb. Europicis. Atque fic *Europa* navi rapta cujus ἐπίσημον *Taurus*. Nifi cum Palæphato malis, à *Tauro*, viro Cnoffio, vel Cretenfi raptam, & oblatam Iovi, vel regi Cretenfi; quem, vero nomine, Lactantius l. 1 de falfa Rel. cap. 11, ex Eufebio, & Diodorus in quinto, Ἀςέριον, *Afterium*, five, ut Lycophron, Ἄςερον (unde & *Europam* jam Diis adfcriptam, *Aftartem*, quæ Atergatis mater, dictam teftatur Lucianus lib. de Dea Syria) Auguftinus autem de Civ. Dei l. 18, c. 12, *Xanthum*, vocant.

Alii tamen volunt, quod hoc figno denotetur *Io antiqua*, aliter *Callithoë* dicta, Inachi fluvii, feu potius regni Archivi conditoris, ex Meliffa Oceanina filia: ut inter alios auctor eft Caftor, Deiotari regis nepos, in opere de Erroribus ex infcitia temporum ortis. Vnde Ovidius l. 1 Metamorph.

Inachus *unus abeft, imoque reconditus antro*
fletibus auget aquas: natamque miferrimus Io
luget ut amiffam.

Ce-

Cecrops quidem dixit Argo, & Ismene Asopi fluvii Thebani filiâ prognatam; Acusilaus Pyrene, & Acesodotus Neptuno, & Hallirrhoë, fortè *Calirrhoë*; ut est apud Eusebium nomen Iûs, pro *Callithoë*: sed perperam. Antiquam verò vocamus ad differentiam alterius Iûs filiæ Iasi, quem genuit Argus alter, Agenoris filius: inter quas ducentorum circiter annorum est intervallum. Cæterùm Io hæc fuit prima Iunonis Argivæ sacerdos; ut Theo in Aratum tradit: cui primus itidem sacra fecisse dicitur Phoroneus, Iûs frater: ut ex Hygini fab. 143 constat. Hujus autem Iunonis verum nomen silentio obnubilatur. Vnde conjicio fuisse Nioben filiam non Tantali, quæ Phrygia, & Amphioni nupsit; sed Phoronei, Inachi neptem: quam antiquissimus Iupiter Argivus, qui nullus alius est, ac Apis Sicyonius, Inachi nepos, atque adeo Niobes frater, primam, Apollodoro teste, vitiavit, aut, ut honestius loquar, in uxorem duxit: unde natus est Argus; à quo Peloponnesi *Argos* dicta. Et hinc est, quòd Iuno, id est, regina insignitè zelotypa fuisse dicatur ob concubitum Iovis, & Iûs amitæ Niobes: ut Io in vaccam mutata candidam, ejus postulato, tradita sit Argo custodienda; quem Asclepiades Myrleanus Arestoris, Acesilaus Terræ filium dicunt, cùm tamen fuerit ipsius Niobes. Andrætas in Navigat. Propont. refert, quòd Io operâ Iyngis Echûs sive Suadelæ, & Panos filiæ, ut etiam est apud Scholiasten Theocriti, Iovem veneficiis, & cantationibus ad amorem sui illexerit: unde Iynx in avem cineream sui nominis, quæ Gazæ Latinè *torquilla*, Hermolao *turbo*, aliis *verticilla*, & *motacilla*, quia caudam, & collum continuè movet, à Iunone conversa sit. Et hæc avis ad maleficas artes utilis, ut idem scribit, à mulieribus veneficis rotæ cereæ alligari, ac subjectis prunis, additis quibusdam carminibus magicis, torreri, & comburi solet. Cæterùm Argo illo pervigili, unde & centoculus fingitur, qui custodiæ suæ concreditam Vaccam in monte Mycenæo olivæ alligaverat, postea Iovis jussu à Mercurio, hoc est, oratore, aut nuncio, aut alio ministro regio interemto,

teremto, Io per varias terras mari profugit. Ac primùm quidem dicitur tranâsse illud mare, quod ab ipsa *Ionium* dictum: deinde sinum Thracium, ab hoc Iûs in bovem mutatæ transitu *Bosphorum* nuncupatum; ut innuit Prometheus Æschyli. Sed poëticè duntaxat tranâsse, uti & in vaccam conversa dicitur; quia navis, qua vecta Io, παράσημον erat *bos candidus*; ut est apud Lutatium, Statii Interpretem, aliosque multos: historicè verò navigâsse: ut ea discriminat Lactantius l. 1 de Falsa rel. c. 11. Et in Fastis certus habetur dies, quo Isidis, hoc est, Iûs navigatio celebrabatur. Tandem ea appulit in Ægyptum: ubi vaccæ, seu bovis formâ, Moscho in Europa teste, rursus depositâ, hoc est, nave figurâ bovis insigni relictâ, Epaphum ad Nili fluenta enixa est; ut Apollodoro proditum. Qui tamen unà memorat, quod Io juxta Ioppen Iudeæ civitatem, Iove juvencæ tergus mulcente, ut etiam est apud Æschylum, pristinam receperit formam: unde quoque dicta sit Ioppe. Quin & Epaphum peperisse in antro quodam Euboeæ maritimo, quod inde dictum sit *Aula bovis*, memoriæ prodidit Strabo l. 10. Post partum autem deam factam, & ab Ægyptiis Isidis nomine, ut præsidem navigantium, ac tempestatum, cultam, testatur Lucianus in Dialogo Zephyri, & Noti. Alii scribunt hoc factum demum post mortem Iûs, jussu filii Epaphi; qui ductâ in uxorem Memphi Ægyptii regis filiâ, atque hinc imperio Ægypti adepto, urbem condidit, cui nomen dedit uxoris. Atque sic *Io*, quæ *Isis* postea dicta, cùm Ægyptiis agriculturam, aliaque humanæ vitæ maximè necessaria ostendisset, non solùm in Deorum numerum, sed etiam inter ipsa sidera, ut agriculturæ symbolum, recepta dicitur. Videatur de hoc quoq; signum Virginis, & Pavonis.

Verùm quòd si princeps Zodiaci signum, ut cum maximo Vossio loquar, figuram Arietis accepit in honorem *Chami*, sive *Iovis Ammonis*, qui ad potentiam significandam arietinis fingebatur cornibus: quid impedit, quo minùs credamus secundum Zodiaci signum figuram accepisse Tauri; perque illud intellectum vel

C filium

filium Chami *Osirim*, sive *Mesorim*, seu *Mizraim*; à quo Ægyptus edocta agriculturam (quippe & agriculturæ symbolum erat bos:) unde Tibullus quoque Osirin, cujus capiti & cornua bubula addebantur, primum facit agricolam l. 1, eleg. 7:

Primus aratra manu sollerti fecit Osiris,
& teneram ferro sollicitavit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
& viridem durâ cedere falce comam.

Vel *Iosephum Patriarcham*; qui propter servatam in fame ingenti Ægyptum, non solum *Saphenath Paneah*, hoc est, *Salvatòr mundi*, ut Ægyptiacè id sonuisse indicat Hieronymus in Quæst. Ebraic. ab ipso rege vocari, sed etiam bovis symbolo cohonestari meruit, & tandem in eo divinos adeptus est honores. Et in hac conjectura præivit illustris Grotius in Somphomphania tragœdia.

Cæterùm ut inter has, quibus Taurus insignitur, stellas, septem illæ Lunares, & Martiales, vel Lunares, & Ioviales, quæ in collo conspicuæ, *Pleiades*, antiquis *Tauri Cauda*, aliis *Massa gallinæ* vocantur; item *Vergiliæ*, aut *Vergiliarum sidus*, quas ab ortu suo cosmico circa æquinoctium vernum sic dictas Servius 1 Georgic. testatur; vel etiam *Steropis sidus*, *Signatricia lumina*, *Atlantiades*, Isidoro *Brutum*, aliis *Septistellium*, Germanicè das Sieben-gestirn/ Iob. 38, 31; Arabicè *Athoraie*, rectiùs *Ataaria*, Schickardo *Attoraia*: ita aliæ quinque Martiales, quæ ἐν τῷ μετώπῳ, seu fronte hærent, audiunt *Hyades*, Iob 9,9, Latinis *Suculæ*, Germanicè Werkel dictæ, (ὗες enim Græcis sunt *sues*, & ὑάς *sucula*:) vel potius *Succulæ*, aut *Succidæ*, à *succis*, & *imbribus*, quos ortu, & occasu suo cosmico efficiunt; uti & quibusdam *Pulli gallinacei*, Germanicè die Küchlein/ vel die Glucke/ Gluck-henne; quod tamen Pleiadum globo commodius, ac frequentius applicatur. Videatur de his Plinius lib. 18, c. 26, & Agellius l. 13, c. 9.

Pleia-

Pleiades, Græcè πλειάδες, à πλεῖν, id eſt, *navigare* dictæ; quia ab ortu eorum verno navigationis plerumque tempus incipit: finguntur Atlantis ex Pleïone Nympha, aliis Heſperidâ fratre Atlantis Heſpero prognatâ, filiæ: unde & à matre quibuſdam *Heſperides*, à patre verò *Atlantiades* nuncupantur. Cum his Iupiter fertur concubuiſſe; easque poſtmodum inter ſidera retuliſſe, ne vim paterentur ab Orione; qui eas per quinquennium perſecutus erat. Singularum nomina ſunt, *Aſterope*, *Electra*, *Alcyone*, *Celæno*, *Taygete*, *Maja*, *Merope*: quarum ſeptima vix cerni poteſt: unde Aratus, qui Pleiades Ἑξάστερον vocat:

— Septem illa eſſe feruntur,
quamvis ſint oculis hominum ſex *obvia ſigna.*

& Ovidius Aratæa vertens:

Pleiades *ante genu* ſeptem *radiare feruntur:*
ſed tantùm apparet ſub opacâ ſeptima *nube.*

Has nempe à cæſura Tauri ad originem cervicis traduxere poſteri. Idem l.4 Faſtorum, verſ.167, & ſeqq.

Pleiades *incipiunt humeros relevare paternos;*
quæ ſeptem dici, ſex tamen eſſe ſolent:
Seu quod in amplexus ſex *hinc venere Deorum:*
nam Marti Aſteropen *concubuiſſe ferunt;*
Neptuno Alcyonem, *& te, formoſa* Celæno;
Majan, & Electram, Taygetamque *Iovi:*
Septima *mortali* Merope *tibi, Siſyphe, nupſit.*
Pœnitet, & facti ſola pudore latet.
Sive quod Electra *Trojæ ſpectare ruinas*
non tulit, ante oculos oppoſuitque manum.

Fingitur enim *Stella Electræ*, cùm in ipſo quaſi Tropico æſtivo, Trojæ vicino, conſiſtat, poſt Trojæ excidium, ſub Cancri Tropico ſe abſcondere; quia Dardanus, gentis Trojanæ conditor, natus fuerit ex Electrâ. Atq; hinc ſeptima Pleiadum ſtella à pleriſque non pingitur. Si vera hæc fabula: quid mirum, quod Stoici vitam, & animas rationales, imò Avicenna phantaſiam, ſeu interiorem ſenſum, & Simplicius tres quoque exteriores, nempe tactum, viſum, & auditum, in ſtellis agnoſcant.

Est autem Pleiadum sidus in se conglobatum, & confertum, ita ut admodum parvum occupet spatium, Lucidâ tertiæ magnitudinis in meditullio ferè hærente: unde Manilius l. 3 Astronom.

Aversus venit in cœlum, divesque puellis,
Pleiadum parvo referens glomerabile sidus.

Atque sic quoque eâdem ferè loquendi formulâ Valerius Flaccus l. 5 dixit, *Pleiadum globos*; & easdem ὀλίζωνας, hoc est, *exiguas* vocavit Nicander. Cæterùm Plinius l. 18, c. 15, Vergiliarum sidus dixit *vestium institorem*: quia

Mense Novembri
matutina parùm cautos jam frigora mordent.

Porrò *Hyades*, Græcè ὑάδες, Tullio Tyroni, M. Ciceronis Alumno & Liberto, οὐκ ἀπὸ τῶν ὑῶν, sed παρὰ τὸ ὕειν, id est, *pluere*, dictas, quia ortu suo, aut Soli, vel Lunæ junctæ, pluviam excitant, quinque, cum Hesiodo, & plerisque hodiernis Astronomis, stellis constare diximus. Sed Thales Milesius posuit duas, Borealem unam, alteram Australem; Euripides in Phaëthonte tres; Achæus quatuor; Pherecides cum Proclo sex; Hyginus autem additâ illâ in extremo cornu septentrionali, Martiali & Mercuriali, aliàque in australi trium ultimâ, ejusdem naturæ, septem; quas cum plerisque caput taurinum constituere dicit. Hinc Ovidius Fastor. 5:

Ora micant Tauri septem *radiantia* flammis,
Navita quas Hyades *Grajus ab imbre vocat.*
Pars Bacchum nutrisse putat: pars credidit esse
Tethyos has neptes, Oceanique senis.

Harum autem maxima in austrino ♉ oculo dicitur λαμπαδίας, *Lampadias*, quasi lampas, & facula; Romanis *Palilicium*, vel *Parilicium*, quòd ortus ejus congrueret cum Paliliis, hoc est, Pastorum feriis, Palis deæ in honorem, pro pecoris partu, celebratis, teste Varrone l. 5, & Ovidio 4 Fastorum: item *Subrussa*; Arabicè *Aldebaran*, quod planè idem denotat ac λαμπαδίας, id est, *succularum lucida*; Schickardo *Debiron*, aut *Addebiris* cum articulo, quod est *ductor*. Aben Ezra ait, Amos 5, 8, Ebraicè

Ebraicè propter claritatem vocari אוֹרִים id eſt, ὑαλόχιρρον; ut eandem etiam Ptolemæus dixit. Rabbi Ionas autem, citante Kimchi, Ieſ. 13, 10, ſcribit eam eſſe, quæ dicitur in Bibliis כסיל. *Hyades* autem filiæ dicuntur Atlantis, æquè ac *Pleiades*; quòd ille primus & ipſas has ſtellas, & quas in rebus humanis exercent vires, obſervaverit. Ac in ſtellas converſæ ſunt à Libero patre, ob educationis beneficium: ut teſtis eſt Apollodorus l. 3, & Ovidius loco adducto. Vnde & ὑάδες videntur dictæ. Ὕης enim vocatur, teſte Suida ex Clidemo, Bacchus, quia ſacra ejus fiebant, cùm plueret: & Ὕη, *Hye*, nominatur quoque ipſa Semele Bacchi mater: ut eſt apud Pherecydem, & Heſychium.

Cæterùm oriente hoc ſidere naſcuntur immundorum gregum paſtores, nempe *ſubulci*: unde & *ſucularum ſidus*, ut modò dictum, vocàrunt. Hinc Manilius:

Paſtoremque ſuum *generant*.

Et his ſtellis emergentibus naſcebatur Eumæus, Vlyſſis ſubulcus. Atqui toto Tauro oriente *Cinædos*, ſeu *ſaltatores* naſci dicunt. Quod propterea fieri cenſeo; quia *puellas* illas *ſaltatrices*, nempe *Atlantiades*, comprehendit: & ſic illis orientibus, non aliâ aliquâ parte Tauri, natos evadere ſaltatores, & inquietos, magis concederem. Tutelam denique, ut concludamus, quòd attinet: Tauro tribuitur à veteribus *Scythia*, *Aſia*, *Arabia*. Moderni longè plura recenſent loca, & inter illos Argolus in Ephemeridibus ſuis p. 34, uti & Mazzotta.

Sed ut veram & huic ſigno ex ſacris hiſtoriis, demptâ fictitiâ, tribuamus expoſitionem, aptandum ei cenſemus illum *Taurum*, ſeu *bovem*, *quem Ebræi Adamum*, *Protoplaſtum noſtrum, primùm ſacrificâſſe teſtantur*: aut *quem ex Lege fœderis divini, Iſraëlitas Deo obtuliſſe*, Moſes hiſtoriæ ſuæ libro 3, cap. 1, v. 3, teſtatum reliquit.

III. GEMINI; die Zwillinge / sive Zwelinge / das Zwillings-gestirn / sive das Zwillings-zeichen:

Manilio *Phœbi fidus*; *Apollo*, & *Hercules*; *Triptolemus*, & *Iasion*; *Amphion*, & *Zethus*; *Pollux*, & *Castor*, *Ledæi Iuvenes*, ac *fratres*, *Horatio Helenæ fratres*, *Tyndarides*, *Tyndaridæ*, *Pueri Tyndarei*, *Oebalii*, *Oebalidæ*, *Gemini Lacones*, *Cygno generati*, *Dioscuri*, id est, *Iovis filii*; *Dii Samothraces*; *Dii Germani*: Græcè Δίδυμοι, id est, *Gemini*; Plutarcho Ἄνακες, Anaces; Theodoreto Ἐφέσιοι, id est, *Familiares*; Lacedæmoniis apud Plutarch. in Apophth. Lacon. Σιώ, in duali, à Dorico, vel Æolico σιὸς, id est, *Deus*: Arabicè quibusdam *Elgeuze*, vel *Algeuze*; hinc stellam in capite Gemini præcedentis dicunt *Ras algeuze*, hoc est, *caput Gemini*; sed potiùs pertinet ad Orionem, seu Gigantem: aptiùs igitur *Abrachaleus*, vel *Abracaleus*; & *Afelar*, Apiano *Anelar*, aliis *Anhelar*, sed minus rectè, rectiùs *Aphellan*: quorum primum videtur fluxisse ex Arabico *Ab*, hoc est, *pater*, & Græco ἡρακλῆς, *Hercules*; estque nomen posterioris Geminorum, nempe *Pollucis*: alterum verò ex Græco Ἀπόλλων, vel Germanico Abbolle / hoc est, Sol, qui manè ex *aquis*, & vesperi rursus in *aquas* volvi videtur, ut in Rosenmahnd sive Majo nostro p. 131 indicavimus; estque nomen prioris Geminorum: quem Manilius, Varro, & Ptolemæus *Phœbum*, sive *Apollinem* nuncupant, nos verò cum plerisque

risque Romanis *Castorem*, vel etiam *Theseum.* Sunt autem duo corpuscula in globo nostro 25 stellis insignita, consertis brachiolis, & cruscu-lis, antiquam Cancri sedem occupantia, ac intimam amicitiam, fraternitatem, conjugia, confœderationes, & ejusmodi alia significantia. Et deprehenditur hoc signum in meridiano circa medium noctis decedente Decembri, & ineunte Ianuario.

Postellus huic signo intrinsecus attribuit novem, & extrinsecus 7 stellas: Bayerus autem 32; *nempe duas in capite, & unicam in pede Pollucis sinistro secundæ magnitudinis; item* 4 *tertiæ;* 7 *quartæ;* 9 *quintæ; &* 8 *sextæ, per totum signum sparsas. Cæterùm stella illa tertiæ magnitudinis informis, hoc est, extra signum posita, eclipticam ante pedem Castoris attingens, Proclo dicitur* Propus, *vel* Præpes; *Basso Cæsio* Tropus, *cùm Tropico sit vicina, & conversionem Solis pede quasi indicet. Sed utrumque nomen huic stellæ non semper convenire potest, ob causas à Bayero in Vranometria allatas, quem adi.*

Cùm Gemini, quibus

— *conjuncta manent alterno brachia nexu;*
dum surgens *alter florentia tempora veris*
sufficit, æstatem sitientem provehit alter:
nudus uterque tamen sentit quia uterque calorem;

ut cum Marco Manilio loqui liceat, unam in duobus animam, hoc est, indissolubilem fraternitatem ac amicitiam, denotent; variæ eâ causâ de hoc signo natæ sunt opiniones. Quidam enim nominant *Apollinem*, & *Herculem*, suspicor Ægyptios illos si non fratres, tamen sanguine pariter, ac amicitiâ conjunctos: quippe quorum ille Osiridi, sive Mizraimo regi fuit frater; à quo laurus, uti ab ipso Osiride hedera, reperta: hic verò genere propinquus, & exercitus præfectus: ut ex Diodori libro primo constat. Vide sis quid ad Lyræ, & Herculis signum de iis diximus.

Alii nominationem facientes, cooptant *Triptolemum*, & *Iasionem*. Hic erat Iovis, & Electræ, hoc est, ut vero nomine vocat Isacius, Minois, & Phroniæ filius;

cum quo in novali dormiente congressa fingitur Ceres; ut est apud Homerum l. 5 Odysseæ : unde natum esse Plutum divitiarum deum testatur Scholiastes Theocriti. Ille verò fuit Cranai Atheniensium regis ex filio Rharo, & Hyona nuru nepos, ut ex Cœrilo visum Pausaniæ in Atticis; vel ex Celeo nepote, ut mavult Suidas, pronepos: qui Virgilio 1 Georgicorum, ut videtur, est ille puer

— unci monstrator aratri.

A Græcis enim elogio inventoris agriculturæ passim celebratur: imò utrumque à Cerere adamatum, & ad sidera perlatum tradit Hyginus: fortè quod primi filiæ Proserpinæ raptum Cereri indicàrint : ut vulgò creditum.

Rursus alii, ut Cæsius Bassus in Aratea Cæsaris Germanici scribit, appellant *Amphicnem*, & *Zethum*, *ideò unus Lyram, alter Zonam habet*; quos videbimus ad signum Lyræ: vel etiam *Theseum*, nullo addito socio, quod miror. Suspicor tamen eos subintelligere Herculem Thebanum; cùm hujus ope, & virtute, quam & imitatus est, ex Orco liberatus sit Theseus; ut ad signum Herculis parebit: vel potiùs *Pirithoum* ex uxore Ixionis regis Larissæ in Thessalia, à Iove quodam tralatitio genitum; qui cum Theseo arctissimam inivisse legitur amicitiam : idque in loco quodam Atticæ haud procul à Serapidis templo esse factum indicat Pausanias in Atticis. Theseus autem, teste Plutarcho in ejus vita, Ægei illius, qui mari Ægeo nomen dedit, ac rex fuit Athenarum, ex Æthra Pittheo Trœzeniorum rege natâ, filius erat, ac successor, atque adeò nepos Pandionis II, & pronepos Cecropis II. Vt mendum non inscitiâ auctoris horum scientissimi, sed typothetarum incuriâ irrepsisse suspicer apud maximum Vossium in primo de Idololatria pag. 116 ; ubi Pandion ille *Thesei* dicitur *proavus*, cùm ejus fuerit avus. Quippe Erichthonio, quarto, vel, juxta alios, quinto Atheniensium rege, quem Vulcani, & Athenæ sive Minervæ Græcanicæ ex Cranao genitæ filium fuisse ad signum Aurigæ demonstravi-

ſtrabimus, natus erat Pandion I; hoc Erechtheus, eo Cecrops II, illo Pandion II, iſto Ægeus Theſei pater: qui omnes in regnum Atticum alter alteri ſucceſſerunt.

Sed mirè confundere ſolent plerique tempora non diſtinguentes, hunc, quem filium diximus Erechtei, Cecropem II, & Cecropem I Moſi æqualem: qui ex Ægypto profectus, Athenienſium primus condidit regnum, ac urbem; iiſque, ut Chares Mytilenæus tradit, nomen impoſuit à Palladis Saiticæ nomine: quæ Νηΐθ, *Neith* Ægyptiis dicta, teſte Heſychio, & Platone in Timæo; non *Sais*, ut idem Chares appellat, uti & inter alios Arnobius; qui eandem *alteram Nili prolem*, ut Tullius *Nilo ortam*, dixit: ſed fortè *Saitica Dea*; cum præſes fuerit urbis in Saitica præfectura maximæ, cui nomen Sais: ut ſimiliter ex Strabone l. 17 conſtat. Verba Platonis ſunt: Τῆς πόλεως θεὸς ἀρχηγός ἐστιν, Αἰγυπτιστὶ μὲν τοὔνομα Νηΐθ, ἑλληνιστὶ δὲ, ὡς ὁ ἐκείνων λόγος, Ἀθηνᾶ. Atque hinc ſuſpicer nomen *Athenæ*, quod Phurnutus δυσετυμόλογον vocat, levi literarum immutatione, & tranſpoſitione, ne tralatitium, ſed novum, ac Græcis proprium videretur numen, formatum fuiſſe ex Ægyptiaco *Nieth*, vel, ut eſt apud Heſychium, *Neitha*. Niſi factum malis, ex Chaldæo חָנָה, hoc eſt, *meditari, ſtudere, docere*; ut Ἀθηνάα, vel Ἀθηνᾶ ſit doctrinæ, ac ſtudiorum præſes: vel ex θεὸς, *Deus*, & νοῦς, *mens, conſilium*, præpoſitâ particulâ intenſivâ α; æquè ac *Sibyllæ*, unde *Kabala*, ſeu *Kybilla* dicta, ex Dorico, vel Æolico σιὸς, hoc eſt, *Deus*, & βουλη, *voluntas*. Vt *Athena* ſit quaſi *Mens divina*, quæ propriè loquendo eſt *Sapientia*, Memoriæ filia; juxta illud Afranii apud Agellium l. 13, c. 8:

Vſus me genuit, mater peperit Memoria,
Sophiam vocant me Graji, vos Sapientiam.

Vnde & eadem dea, quibuſdam, teſte Arnobio l. 3, *Mentis*, vel *victoriæ filia*, Phurnuto ἡ τοῦ Διὸς σύνεσις, *Iovis intellectus*, hoc eſt, *providentia*, dicta (reſpectu ſcilicet numinis naturalis, non animalis) Romanis vocatur *Minerva*, quaſi *Meminerva*: quod eſt, uti & *mens*, ac *me-*

moria, ab antiquo verbo *meno*, vel *meneo*, vel *memino*, ſive adhuc uſitato *memini*; quæ valent, *in mentem revoco, reminiſcor, animo meo, vel alterius conſilium ſuggero*, zu gemühte führen / meinen / erinnern / gedenken / eingedenk machen / in die gedanken ziehen. Et huc quoque collimare videtur Arnobius loco adducto, ubi ſic ſcribit: *Minervam dixerunt Memoriam nonnulli: unde ipſum nomen Minerva, quaſi quædam Meminerva, formatum eſt.*

Cæterùm ſi nomen *Athenæ* non ex Ægypto profectum, ſed in ipſa Attica natum exiſtimemus, valde veriſimile eſt id nominis non Cranai filiæ, ſed urbi ab ipſo Cecrope conditore primùm fuiſſe datum: quia antequam illa naſceretur, hæc procul dubio

condita ſurrexit tectis, ac mœnibus altis.

Atque ſic urbs nomen dederit Athenæ, non Athena urbi. Vulgatiſſima opinio eſt, controverſiâ inter urbis conditores obortâ, utrum à Minerva, an Neptuno, ei eſſet dandum nomen, Minervam prævaluiſſe. Vnde ſuſpicor conditorum duas fuiſſe partes; alteram populi primorum Senatum, Minervæ nomine, conſtituentium, quorum præſes, ac princeps fuerit Cecrops: alteram plebis Neptuno, hoc eſt, rebus nauticis imprimis deditæ, cui cum imperio archithalaſſico fortè præfuit Cecropis ſocer, & Cadmi ex Autonoë filius, Actæon indigena: & hinc ſuſpicor eſſe, quod à quibuſdam primus in Attica regnâſſe dicatur. Si jam Minerva, hoc eſt, Cecrops, qui διφυὴς, id eſt, *biformis* fingitur, fortè ob divinam, & humanam, qua præditus fuit, ſapientiam, cum proceribus priores tulit: poterit eſſe, quod urbem nominaverit ἀθῖνας, quaſi dicas *planitiem, abſque aggeribus*, vel, ut θῖνας ſignificare ait Hieronymus in Ezech.c.47, *arenarum tumulis*. Nam *Megarenſis ager, ſicut & Atticus*, inquit Strabo l. 9, *aſper, miniméque ferax, cujus partem ampliorem continent montes, quos Oneos, id eſt, Aſinarios vocant*. Et paullò ante: *Montanæ Atticæ plaga multis inſignita nominibus Bœotiam disjungit ab Attica*. Sed *urbs*, ait idem eodem libro, *ſaxum eſt in plano quaqua verſum habitato*. Verùm regionem ipſam vocatam autumo

mo *Atticam*, vel *Acticam*, quaſi dicas *littoralem*, uti & ipſum *Actæonem* q. d. *Principem littoralem*, vel *juxta littus cum remigibus ſuis, & nautis habitantem*, ab ἀκτῇ, hoc eſt, *littus*; unde ἄκτιος *littoralis*, & ἀκταῖος, *maritimus*: quia *Atticæ maxima pars ad mare eſt extenta*: ut loquitur idem Strabo. Cui tamen non aſſentior, cum ſcribit; *urbem etiam ab Actæone Acticam dictam*; *Attidem verò*; *& Atticam ab Attide Cranai filia*; *à quo & inquilini Cranai vocentur*: *Athenas denique ab Athena, id eſt, Minerva, appellationem deorum ſortitam*. Sed hodie cum ipſa urbe & nomen obſolevit: quippe quæ vicus nunc eſt, & ab Italis, ac Turcis, Vadiano teſte, *Satines* vocatur, quaſi *Saitines à Sais, ſive Saitica Dea.*

Atque eodem modo, ut ad ſemitam noſtram, unde pauliſper digreſſi videmur, redeamus, confundunt etiam ſæpiſſimè duos illos Pandiones: nempe primum, Erichthonii ex Paſithea, ſive, ut alii malunt, Phraſithea; & ſecundum Cecropis II ex Metiaduſa Eupalami filium. Quorum ille ex matertera ſua Zeuxippe, prodente Apollodoro l. 3, ſuſcepit Prognen & Philomelam; item Erichtheum, & Butem Heroa, teſte Pauſania in Atticis, Geminos: ac Prognen Tereo Martis & Nymphæ Biſtonidis filio, Thraciæ Phocidisque regi, nuptam, ſed poſtea in Philomelam, ſeu Luſciniam, quæ & Aëdon ab ἀεὶ, & ᾄδω, quòd ſemper canat, dicta; Philomelam verò, cui Tereus princeps ad furorem uſque libidinoſus ſtuprum intulerat, linguamque ne turpe hoc facinus ſorori indicaret, præciderat, in hirundinem, vel, ut Pauſanias tradit, in ſui nominis avem; Itymque Prognes filium in Phaſianum, vel Phaſidis avem, imò ipſum Tereum in Upupam converſos vidit; idque cum ſumma ſuæ familiæ ignominia: ut indicat Horatius l. 4 Carminum:

Nidum ponit, Itym flebiliter gemens,
infelix avis, & Cecropiæ domus
æternum opprobrium; quòd malè barbaras
regum eſt ulta libidines.

Texit autem Ovidius l. 6 Metamorph. integram hanc fabulam, ſeu potius mythihiſtoriam. Nam hiſtoria eſt, ſed commentis interpolata rei naturam exprimentibus.

Quippe

Quippe Tereus nefario ſtupro propriam polluit familiam: atque hinc putidus factus, in Upupam avem obſcœnam, fœtidam, ac ſtercore humano nidum ſuum conſpurcantem, converſus fingitur. Sic dicuntur in aves querulas converſæ & uxor, quòd filium Itym Tereo comedendum adeò malè conſulta appoſuerit, ut Horatium innuere modò vidimus; & uxoris ſoror ob virginitatem amiſſam; imò filius Itys ob matris inconſideratam crudelitatem. Vnde Sophocles in Electra de luſcinia Veris nuncia:

Ἃ Ἴτυν αἰὲν Ἴτυν γ' ὀλοφύρεται,
ὄρνις ἀτυζομένα Διὸς ἄγγελος.
Quæ Itym ſemper Itym queritur,
avis querula, Iovis nuncia.

Similiter ferè ille Homerica l. 7 Odyſſ. vertens:

Sic canit, ut vernis arrident floribus arva,
& primi ſurgunt Zephyri, Pandione nata,
confidens ramis florentibus arboris altæ,
mille modis varians vocem, cùm ſilva querelis
perſonat, & flet Itym dilectum. —

Alter verò Pandion, ut ex Strabone l. 9 conſtat, quatuor habuit filios, Ægeum, Lycum, Pallantem, & Niſum: quibus & duas addit filias Tzetzes Chil. 7, hiſt. 142. Eò Atticam in quatuor diviſit regiones filiis diſtribuendas: ut traditum Sophocli, Philochoro, & Thriaſio. Vbi ſoli Ægeo ut natu maximo ſorte obvenit ſola quidem regio maritima; ſed tamen ſimul annexum Neptunium, hóc eſt, maris unà cum reliquo imperio, quòd & pater ſolus poſſederat, univerſum dominium. Et eâ cauſâ magis crediderim Neptuni filium dictum, quàm quòd, Theſeo juſſi paterni immemore, Cretâ nigris revertente velis, in mare ſe dederit præcipitem; ut maximo Voſſio viſum: imò eâdem magis Neptunum ipſum, quàm quòd genuerit filium animâ elatum; ut Tzetzes, cui nimis laxè filiorum Neptuni patet nomenclatura, inter alios voluit Chil. 2, hiſt. 51:

Θησεὺς υἱὸς ἦν Ἀττικοῦ Αἰγέως, καὶ τῆς Αἴθρας.
Ὡς δ' ἀνδρεῖον, ἔφασαν παῖδα τοῦ Ποσειδῶνος.

Τὰς

Τοὺς θυμικοὺς γὰρ σύμπαντας, καὶ πάντας τοὺς ἀνδρείους,
υἱοὺς, καὶ φίλους, ἐραστὰς φασὶ τοῦ Ποσειδῶνος.
Theseus filius erat Attici Ægei, & Æthræ.
Tanquam autem strenuum, vocârunt filium Neptuni.
Animâ enim elatos cunctos, & omnes strenuos,
filios, & amicos, amasiosque dicunt Neptuni.

Æthram verò tertiam Ægei uxorem dicas; si verum est, quod scriptum Phanodemo l. 5. rer. Attic. Αἰγεὺς ὁ Πανδίονος υἱὸς βασιλεύων Ἀθηνῶν, γαμεῖ Μήτιν πρῶτον τὴν Ὁπλήτος, δεύτερον Χαλκιόπην Ῥηξήνορος. *Ægeus Pandionis filius, cùm regnaret Athenis, Metam primùm Hopletis filiam duxit: secundò Chalciopen Rhexeronis.* Nisi Æthram duxerit antequam rex esset: vel *Metam* quoque *Æthram* eodem modo, ut Ægeum Neptunum, dictam velis. Quin & memoriæ prodidit Apollodorus l. 1, Medeam post crematam Creontis Corinthi regiam, currum junctis, qui traherent, draconibus accepisse à Sole, & Athenas contendisse; ubi nupserit Ægeo. Vnde natum dicunt Medum; qui postea Mediæ ex suo nomine sic dictæ imperaverit. Sed valdè fabulosum mihi hoc videtur, præcipuè cùm mirus ea de re inter scriptores sit dissensus. Suspicor enim nonnullos ob nominum similitudinem in errorem inductos, Metam Hopletis, ut Phanodemus vocat, & Medeam Æetæ Colchorum regis, ex Idyia Oceano prognata, teste Hesiodo, filiam confudisse. Præsertim cum Medeam cum filio suo profugam, in patrocinium suum, ut videtur, receperit Ægeus. Nam eam circa discessum Ægei Athenis degisse, argumento sit; quòd Theseus eandem, mortuo patre, insidias ei machinantem, Athenis cum Medo aufugere coëgerit: ut testis est Apollodorus loco adducto.

Atque ita ex his patet, quales illi fuerint, unde genus suum tam paternum, quàm maternum traxerit Theseus. Iccircò non historicè, sed poëticè scribere amat Ovidius, cum Theseum sic alloquitur:

Nec pater est Ægeus, nec tu Pittheidos Æthræ
filius: auctores saxa, fretumque tui.

Cæte-

Est autem Pleiadum sidus in se conglobatum, & confertum, ita ut admodum parvum occupet spatium, Lucidâ tertiæ magnitudinis in meditullio ferè hærente: unde Manilius l. 3 Astronom.

Aversus venit in cœlum, divesque puellis,
Pleiadum parvo referens glomerabile sidus.

Atque sic quoque eâdem ferè loquendi formulâ Valerius Flaccus l. 5 dixit, *Pleiadum globos*; & easdem ὀλίζωνας, hoc est, *exiguas* vocavit Nicander. Cæterùm Plinius l. 18, c. 15, Vergiliarum sidus dixit *vestium institorem*: quia

Mense Novembri
matutina parùm cautos jam frigora mordent.

Porrò *Hyades*, Græcè ὑάδες, Tullio Tyroni, M. Ciceronis Alumno & Liberto, οὐκ ἀπὸ τῶν ὑῶν, sed παρὰ τὸ ὕειν, id est, *pluere*, dictas, quia ortu suo, aut Soli, vel Lunæ junctæ, pluviam excitant, quinque, cum Hesiodo, & plerisque hodiernis Astronomis, stellis constare diximus. Sed Thales Milesius posuit duas, Borealem unam, alteram Australem; Euripides in Phaëthonte tres; Achæus quatuor; Pherecides cum Proclo sex; Hyginus autem additâ illâ in extremo cornu septentrionali, Martiali & Mercuriali, aliàque in australi trium ultimâ, ejusdem naturæ, septem; quas cum plerisque caput taurinum constituere dicit. Hinc Ovidius Fastor. 5:

Ora micant Tauri septem *radiantia* flammis,
Navita quas Hyades *Grajus ab imbre vocat.*
Pars Bacchum nutrisse putat: pars credidit esse
Tethyos has neptes, Oceanique senis.

Harum autem maxima in austrino ♉ oculo dicitur λαμπαδίας, *Lampadias*, quasi lampas, & facula; Romanis *Palilicium*, vel *Parilicium*, quòd ortus ejus congrueret cum Paliliis, hoc est, Pastorum feriis, Palis deæ in honorem, pro pecoris partu, celebratis, teste Varrone l. 5, & Ovidio 4 Fastorum: item *Subruffa*; Arabicè *Aldebaran*, quod planè idem denotat ac λαμπαδίας, id est, *succularum lucida*; Schickardo *Debiron*, aut *Addebiris* cum articulo, quod est *ductor*. Aben Ezra ait, Amos 5, 8, Ebraicè

Ebraicè propter claritatem vocari אמיה id est, λαμπρόν; ut eandem etiam Ptolemæus dixit. Rabbi Ionas autem, citante Kimchi, Ies. 13, 10, scribit eam esse, quæ dicitur in Bibliis כסיל. *Hyades* autem filiæ dicuntur Atlantis, æquè ac *Pleiades*; quòd ille primus & ipsas has stellas, & quas in rebus humanis exercent vires, observaverit. Ac in stellas conversæ sunt à Libero patre, ob educationis beneficium: ut testis est Apollodorus l. 3, & Ovidius loco adducto. Vnde & ὑάδες videntur dictæ. Ὕης enim vocatur, teste Suida ex Clidemo, Bacchus, quia sacra ejus fiebant, cùm plueret: & Ὕη, *Hye*, nominatur quoque ipsa Semele Bacchi mater; ut est apud Pherecydem, & Hesychium.

Cæterùm oriente hoc sidere nascuntur immundorum gregum pastores, nempe *subulci*: unde & *suculorum sidus*, ut modò dictum, vocârunt. Hinc Manilius:

Pastoremque suum *generant*.

Et his stellis emergentibus nascebatur Eumæus, Vlyssis subulcus. Atqui toto Tauro oriente *Cinædos*, seu *saltatores* nasci dicunt. Quod propterea fieri censeo; quia *puellas* illas *saltatrices*, nempe *Atlantiades*, comprehendit: & sic illis orientibus, non aliâ aliquâ parte Tauri, natos evadere saltatores, & inquietos, magis concederem. Tutelam denique, ut concludamus, quòd attinet: Tauro tribuitur à veteribus *Scythia*, *Asia*, *Arabia*. Moderni longè plura recensent loca, & inter illos Argolus in Ephemeridibus suis p. 34, uti & Mazzotta.

Sed ut veram & huic signo ex sacris historiis, demptâ fictitiâ, tribuamus expositionem, aptandum ei censemus illum *Taurum*, seu *bovem*, *quem Ebræi Adamum, Protoplastum nostrum, primùm sacrificâsse testantur*: aut *quem ex Lege fœderis divini, Israëlitas Deo obtulisse*, Moses historiæ suæ libro 3, cap. 1, v. 3, testatum reliquit.

III. GEMINI; die Zwillinge / sive Zweelinge / das Zwillings-gestirn / sive das Zwillings-zeichen:

Manilio *Phœbi sidus*; *Apollo*, & *Hercules*; *Triptolemus*, & *Iasion*; *Amphion*, & *Zethus*; *Pollux*, & *Castor*, *Ledæi Iuvenes*, ac *fratres*, *Horatio Helenæ fratres*, *Tyndarides*, *Tyndaridæ*, *Pueri Tyndarei*, *Oebalii*, *Oebalidæ*, *Gemini Lacones*, *Cygno generati*, *Dioscuri*, id est, *Iovis filii*; *Dii Samothraces*; *Dii Germani*: Græcè Δίδυμοι, id est, *Gemini*; Plutarcho Ἄνακες, Anaces; Theodoreto Ἐφέσιοι, id est, *Familiares*; Lacedæmoniis apud Plutarch. in Apophth. Lacon. Σιώ, in duali, à Dorico, vel Æolico σιὸς, id est, *Deus*: Arabicè quibusdam *Elgeuze*, vel *Algeuze*; hinc stellam in capite Gemini præcedentis dicunt *Ras algeuze*, hoc est, *caput Gemini*; sed potiùs pertinet ad Orionem, seu Gigantem: aptiùs igitur *Abrachaleus*, vel *Abracaleus*; & *Afelar*, Apiano *Anelar*, aliis *Anhelar*, sed minus rectè, rectiùs *Aphellan*: quorum primum videtur fluxisse ex Arabico *Ab*, hoc est, *pater*, & Græco Ἡρακλῆς, *Hercules*; estque nomen posterioris Geminorum, nempe *Pollucis*: alterum verò ex Græco Ἀπόλλων, vel Germanico Abbolle / hoc est, Sol, qui manè ex *aquis*, & vesperi rursus in *aquas* volvi videtur, ut in Rosenmahnd sive Majo nostro p. 131 indicavimus; estque nomen prioris Geminorum: quem Manilius, Varro, & Ptolemæus *Phœbum*, sive *Apollinem* nuncupant, nos verò cum plerisque

risque Romanis *Castorem*, vel etiam *Theseum.* Sunt autem duo corpuscula in globo nostro 25 stellis insignita, consertis brachiolis, & cruscu-lis, antiquam Cancri sedem occupantia, ac intimam amicitiam, fraternitatem, conjugia, confœderationes, & ejusmodi alia significantia. Et deprehenditur hoc signum in meridiano circa medium noctis decedente Decembri, & ineunte Ianuario.

Postellus huic signo intrinsecus attribuit novem, & extrinsecus 7 stellas: Bayerus autem 32; *nempe duas in capite, & unicam in pede Pollucis sinistro secundæ magnitudinis; item* 4 *tertiæ;* 7 *quartæ;* 9 *quintæ; &* 8 *sextæ, per totum signum sparsas. Cæterùm stella illa tertiæ magnitudinis informis, hoc est, extra signum posita, eclipticam ante pedem Castoris attingens, Proclo dicitur* Propus, *vel* Præpes; *Basso Cæsio* Tropus, *cùm Tropico sit vicina, & conversionem Solis pede quasi indicet. Sed utrumque nomen huic stellæ non semper convenire potest, ob causas à Bayero in Vranometria allatas, quem adi.*

Cùm Gemini, quibus

— conjuncta manent alterno brachia nexu;
dum surgens *alter florentia tempora veris*
sufficit, æstatem sitientem provehit alter:
nudus uterque tamen sentit quia uterque calorem;

ut cum Marco Manilio loqui liceat, unam in duobus animam, hoc est, indissolubilem fraternitatem ac amicitiam, denotent; variæ eâ causâ de hoc signo natæ sunt opiniones. Quidam enim nominant *Apollinem*, & *Herculem*, suspicor Ægyptios illos si non fratres, tamen sanguine pariter, ac amicitiâ conjunctos: quippe quorum ille Osiridi, sive Mizraimo regi fuit frater; à quo laurus, uti ab ipso Osiride hedera, reperta: hic verò genere propinquus, & exercitus præfectus: ut ex Diodori libro primo constat. Vide sis quid ad Lyræ, & Herculis signum de iis diximus.

Alii nominationem facientes, cooptant *Triptolemum*, & *Iasionem*. Hic erat Iovis, & Electræ, hoc est, ut vero nomine vocat Isacius, Minois, & Phroniæ filius;

cum quo in novali dormiente congressa fingitur Ceres; ut est apud Homerum l. 5 Odysseæ : unde natum esse Plutum divitiarum deum testatur Scholiastes Theocriti. Ille verò fuit Cranai Atheniensium regis ex filio Rharo, & Hyona nuru nepos, ut ex Cœrilo visum Pausaniæ in Atticis; vel ex Celeo nepote, ut mavult Suidas, pronepos: qui Virgilio 1 Georgicorum, ut videtur, est ille puer

— unci monstrator aratri.

A Græcis enim elogio inventoris agriculturæ passim celebratur: imò utrumque à Cerere adamatum, & ad sidera perlatum tradit Hyginus: fortè quod primi filiæ Proserpinæ raptum Cereri indicàrint : ut vulgò creditum.

Rursus alii, ut Cæsius Bassus in Aratea Cæsaris Germanici scribit, appellant *Amphicnem*, & *Zethum*, *ideò unus Lyram, alter Zonam habet*; quos videbimus ad signum Lyræ: vel etiam *Theseum*, nullo addito socio, quod miror. Suspicor tamen eos subintelligere Herculem Thebanum; cùm hujus ope, & virtute, quam & imitatus est, ex Orco liberatus sit Theseus; ut ad signum Herculis parebit: vel potiùs *Pirithoum* ex uxore Ixionis regis Larissæ in Thessalia, à Iove quodam tralatitio genitum; qui cum Theseo arctissimam inivisse legitur amicitiam : idque in loco quodam Atticæ haud procul à Serapidis templo esse factum indicat Pausanias in Atticis. Theseus autem, teste Plutarcho in ejus vita, Ægei illius, qui mari Ægeo nomen dedit, ac rex fuit Athenarum, ex Æthra Pittheo Trœzeniorum rege natâ, filius erat, ac successor, atque adeò nepos Pandionis II, & pronepos Cecropis II. Vt mendum non inscitiâ auctoris horum scientissimi, sed typothetarum incuriâ irrepsisse suspicer apud maximum Vossium in primo de Idololatria pag. 116; ubi Pandion ille *Thesei* dicitur *proavus*, cùm ejus fuerit avus. Quippe Erichthonio, quarto, vel, juxta alios, quinto Atheniensium rege, quem Vulcani, & Athenæ sive Minervæ Græcanicæ ex Cranao genitæ filium fuisse ad signum Aurigæ demonstravi-

ſtrabimus, natus erat Pandion I; hoc Erechtheus, eo Cecrops II, illo Pandion II, iſto Ægeus Theſei pater: qui omnes in regnum Atticum alter alteri ſucceſſerunt.

Sed mirè confundere ſolent plerique tempora non diſtinguentes, hunc, quem filium diximus Erechtei, Cecropem II, & Cecropem 1 Moſi æqualem: qui ex Ægypto profectus, Athenienſium primus condidit regnum, ac urbem; iiſque, ut Chares Mytilenæus tradit, nomen impoſuit à Palladis Saiticæ nomine: quæ Νηϊθ, *Neith* Ægyptiis dicta, teſte Heſychio, & Platone in Timæo; non *Sais*, ut idem Chares appellat, uti & inter alios Arnobius; qui eandem *alteram Nili prolem*, ut Tullius *Nilo ortam*, dixit: ſed fortè *Saitica Dea*; cum præſes fuerit urbis in Saitica præfectura maximæ, cui nomen Sais: ut ſimiliter ex Strabone l. 17 conſtat. Verba Platonis ſunt: Τῆς πόλεως θεὸς ἀρχηγός ἐστιν, Αἰγυπτιστὶ μὲν τοὔνομα Νηΐθ, ἑλληνιστὶ δὲ, ὡς ὁ ἐκείνων λόγος, Ἀθηνᾶ. Atque hinc ſuſpicer nomen *Athenæ*, quod Phurnutus δυσετυμόλογον vocat, levi literarum immutatione, & tranſpoſitione, ne tralatitium, ſed novum, ac Græcis proprium videretur numen, formatum fuiſſe ex Ægyptiaco *Nieth*, vel, ut eſt apud Heſychium, *Neitha*. Niſi factum malis, ex Chaldæo הגי, hoc eſt, *meditari, ſtudere, docere*; ut Ἀθηνάα, vel Ἀθηνᾶ ſit doctrinæ, ac ſtudiorum præſes: vel ex θεὸς, *Deus*, & νοῦς, *mens, conſilium*, præpoſitâ particulâ intenſivâ α; æquè ac *Sibyllæ*, unde *Kabala*, ſeu *Kybilla* dicta, ex Dorico, vel Æolico σιὸς, hoc eſt, *Deus*, & βουλή, *voluntas*. Vt *Athena* ſit quaſi *Mens divina*, quæ propriè loquendo eſt *Sapientia*, Memoriæ filia; juxta illud Afranii apud Agellium l. 13, c. 8:

Vſus me genuit, mater peperit Memoria,
Sophiam vocant me Graji, vos Sapientiam.

Vnde & eadem dea, quibuſdam, teſte Arnobio l. 3, *Mentis*, vel *victoriæ filia*, Phurnuto ἡ τοῦ Διὸς σύνεσις, *Iovis intellectus*, hoc eſt, *providentia*, dicta (reſpectu ſcilicet numinis naturalis, non animalis) Romanis vocatur *Minerva*, quaſi *Meminerva*: quod eſt, uti & *mens*, ac *me-*

moria, ab antiquo verbo *meno*, vel *meneo*, vel *memino*, ſive adhuc uſitato *memini*; quæ valent, *in mentem revoco*, *reminiſcor*, *animo meo*, *vel alterius conſilium ſuggero*, zu gemühte führen / meinen / erinnern / gedenken / eingedenk machen / in die gedanken ziehen. Et huc quoque collimare videtur Arnobius loco adducto, ubi ſic ſcribit: *Minervam dixerunt Memoriam nonnulli: unde ipſum nomen Minerva, quaſi quædam Meminerva, formatum eſt.*

Cæterùm ſi nomen *Athenæ* non ex Ægypto profectum, ſed in ipſa Attica natum exiſtimemus, valde veriſimile eſt id nominis non Cranai filiæ, ſed urbi ab ipſo Cecrope conditore primùm fuiſſe datum: quia antequam illa naſceretur, hæc procul dubio

condita ſurrexit tectis, ac mœnibus altis.

Atque ſic urbs nomen dederit Athenæ, non Athena urbi. Vulgatiſſima opinio eſt, controverſiâ inter urbis conditores obortâ, utrum à Minerva, an Neptuno, ei eſſet dandum nomen, Minervam prævaluiſſe. Vnde ſuſpicor conditorum duas fuiſſe partes; alteram populi primorum Senatum, Minervæ nomine, conſtituentium, quorum præſes, ac princeps fuerit Cecrops: alteram plebis Neptuno, hoc eſt, rebus nauticis imprimis deditæ, cui cum imperio archithalaſſico fortè præfuit Cecropis ſocer, & Cadmi ex Autonoë filius, Actæon indigena: & hinc ſuſpicor eſſe, quod à quibuſdam primus in Attica regnâſſe dicatur. Si jam Minerva, hoc eſt, Cecrops, qui διφυὴς, id eſt, *biformis* fingitur, fortè ob divinam, & humanam, qua præditus fuit, ſapientiam, cum proceribus priores tulit: poterit eſſe, quod urbem nominaverit ἀθῖνας, quaſi dicas *planitiem*, *abſque aggeribus*, vel, ut θῖνας ſignificare ait Hieronymus in Ezech. c. 47, *arenarum tumulis*. Nam *Megarenſis ager, ſicut & Atticus*, inquit Strabo l. 9, *aſper, miniméque ferax, cujus partem ampliorem continent montes, quos Oneos, id eſt, Aſinarios vocant*. Et paullò ante: *Montanæ Atticæ plaga multis inſignita nominibus Bœotiam disjungit ab Attica.* Sed *urbs*, ait idem eodem libro, *ſaxum eſt in plano quaqua verſum habitato*. Verùm regionem ipſam vocatam autumo

mo *Atticam*, vel *Acticam*, quasi dicas *littoralem*, uti & ipsum *Actæonem* q. d. *Principem littoralem*, vel *juxta littus cum remigibus suis, & nautis habitantem*, ab ἀκτῇ, hoc est, *littus*; unde ἄκτιος *littoralis*, & ἀκταῖος, *maritimus*: quia *Atticæ maxima pars ad mare est extenta*: ut loquitur idem Strabo. Cui tamen non assentior, cum scribit; *urbem etiam ab Actæone Acticam dictam*; *Attidem verò*; *& Atticam ab Attide Cranai filia*; *à quo & inquilini Cranai vocentur*: *Athenas denique ab Athena, id est, Minerva, appellationem deorum sortitam.* Sed hodie cum ipsa urbe & nomen obsolevit: quippe quæ vicus nunc est, & ab Italis, ac Turcis, Vadiano teste, *Satines* vocatur, quasi *Saitines à Sais, sive Saitica Dea.*

Atque eodem modo, ut ad semitam nostram, unde paulisper digressi videmur, redeamus, confundunt etiam sæpissimè duos illos Pandiones: nempe primum, Erichthonii ex Pasithea, sive, ut alii malunt, Phrasithea; & secundum Cecropis II ex Metiadusa Eupalami filium. Quorum ille ex matertera sua Zeuxippe, prodente Apollodoro l. 3, suscepit Prognen & Philomelam; item Erichtheum, & Butem Heroa, teste Pausania in Atticis, Geminos: ac Prognen Tereo Martis & Nymphæ Bistonidis filio, Thraciæ Phocidisque regi, nuptam, sed postea in Philomelam, seu Lusciniam, quæ & Aëdon ab ἀεὶ, & ἄδω, quòd semper canat, dicta; Philomelam verò, cui Tereus princeps ad furorem usque libidinosus stuprum intulerat, linguamque ne turpe hoc facinus sorori indicaret, præciderat, in hirundinem, vel, ut Pausanias tradit, in sui nominis avem; Itymque Prognes filium in Phasianum, vel Phasidis avem, imò ipsum Tereum in Upupam conversos vidit; idque cum summa suæ familiæ ignominia: ut indicat Horatius l. 4 Carminum:

Nidum ponit, Itym flebiliter gemens,
infelix avis, & Cecropiæ domus
æternum opprobrium; quòd malè barbaras
regum est ulta libidines.

Texit autem Ovidius l. 6 Metamorph. integram hanc fabulam, seu potius mythihistoriam. Nam historia est, sed commentis interpolata rei naturam exprimentibus.

Quippe

Quippe Tereus nefario ſtupro propriam polluit familiam: atque hinc putidus factus, in Upupam avem obſcœnam, fœtidam, ac ſtercore humano nidum ſuum conſpurcantem, converſus fingitur. Sic dicuntur in aves querulas converſæ & uxor, quòd filium Itym Tereo comedendum adeò malè conſulta appoſuerit, ut Horatium innuere modò vidimus; & uxoris ſoror ob virginitatem amiſſam; imò filius Itys ob matris inconſideratam crudelitatem. Vnde Sophocles in Electra de luſcinia Veris nuncia:

Ἃ Ἴτυν αἰὲν Ἴτυν γ' ὀλοφύρεται,
ὄρνις ἀτυζομένα Διὸς ἄγγελος.
Quæ Itym ſemper Itym queritur,
avis querula, Iovis nuncia.

Similiter ferè ille Homerica l. 7 Odyſſ. vertens:

Sic canit, ut vernis arrident floribus arva,
& primi ſurgunt Zephyri, Pandione nata,
conſidens ramis florentibus arboris altæ,
mille modis varians vocem, cùm ſilva querelis
perſonat, & flet Itym dilectum. —

Alter verò Pandion, ut ex Strabone l. 9 conſtat, quatuor habuit filios, Ægeum, Lycum, Pallantem, & Niſum: quibus & duas addit filias Tzetzes Chil. 7, hiſt. 142. Eò Atticam in quatuor diviſit regiones filiis diſtribuendas: ut traditum Sophocli, Philochoro, & Thriaſio. Vbi ſoli Ægeo ut natu maximo ſorte obvenit ſola quidem regio maritima; ſed tamen ſimul annexum Neptunium, hóc eſt, maris unà cum reliquo imperio, quòd & pater ſolus poſſederat, univerſum dominium. Et eâ cauſâ magis crediderim Neptuni filium dictum, quàm quòd, Theſeo juſſi paterni immemore, Cretâ nigris revertente velis, in mare ſe dederit præcipitem; ut maximo Voſſio viſum: imò eâdem magis Neptunum ipſum, quàm quòd genuerit filium animâ elatum; ut Tzetzes, cui nimis laxè filiorum Neptuni patet nomenclatura, inter alios voluit Chil. 2, hiſt. 51:

Θησεὺς υἱὸς ἦν Ἀττικοῦ Αἰγέως, καὶ τῆς Αἴθρας.
Ὡς δὲ ἀνδρεῖον, ἔφασαν παῖδα τοῦ Ποσειδῶνος.

Τὰς

Τὺς θυμικὺς γὸ σύμπαντας, κὴ πάντας τὺς ἀνδρείους,
υἱὺς, κὴ φίλυς, ἐραστὰς φασὶ τοῦ Ποσειδῶνος.
Theseus filius erat Attici Ægei, & Æthræ.
Tanquam autem strennuum, vocârunt filium Neptuni.
Animâ enim elatos cunctos, & omnes strenuos,
filios, & amicos, amasiosque dicunt Neptuni.

Æthram verò tertiam Ægei uxorem dicas; si verum est, quod scriptum Phanodemo l. 5. rer. Attic. Αἰγεὺς ὁ Πανδίονος υἱὸς βασιλεύων Ἀθηνῶν, γαμεῖ Μήταν πρῶτον τὴν Ὁπλῆτος, δεύτερον Χαλκιόπην Ῥηξήνορος. *Ægeus Pandionis filius, cùm regnaret Athenis, Metam primùm Hopletis filiam duxit: secundò Chalciopen Rhexeronis.* Nisi Æthram duxerit antequam rex esset: vel *Metam* quoque *Æthram* eodem modo, ut Ægeum Neptunum, dictam velis. Quin & memoriæ prodidit Apollodorus l. 1, Medeam post crematam Creontis Corinthi regiam, currum junctis, qui traherent, draconibus accepisse à Sole, & Athenas contendisse; ubi nupserit Ægeo. Vnde natum dicunt Medum; qui postea Mediæ ex suo nomine sic dictæ imperaverit. Sed valdè fabulosum mihi hoc videtur, præcipuè cùm mirus ea de re inter scriptores sit dissensus. Suspicor enim nonnullos ob nominum similitudinem in errorem inductos, Metam Hopletis, ut Phanodemus vocat, & Medeam Æetæ Colchorum regis, ex Idyia Oceano prognata, teste Hesiodo, filiam confudisse. Præsertim cum Medeam cum filio suo profugam, in patrocinium suum, ut videtur, receperit Ægeus. Nam eam circa discessum Ægei Athenis degisse, argumento sit; quòd Theseus eandem, mortuo patre, insidias ei machinantem, Athenis cum Medo aufugere coëgerit: ut testis est Apollodorus loco adducto.

Atque ita ex his patet, quales illi fuerint, unde genus suum tam paternum, quàm maternum traxerit Theseus. Iccircò non historicè, sed poëticè scribere amat Ovidius, cum Theseum sic alloquitur:

Nec pater est Ægeus, nec tu Pittheidos Æthræ
filius: auctores saxa, fretumque tui.

Cæte-

Cæterùm postquam multa præclara facinora perpetrâsset, varias item feminas rapuisset; ut inter alias Phædram, cujus raptus mentio fiet ad signum Coronæ Septentrionalis; uti & Antiopen, ac Helenam; quæ tamen illibatâ virginitate, ut ipsa testatur contra Erasistratum, & Pausaniam, apud Ovidium, à fratribus Castore, & Polluce, post Colchicam expeditionem in patriam reversis, Theseumque jam quinquagesimum ætatis annum agentem persequentibus, teste Strabone l. 9, iterum recepta est: tandem in Scyro insula per insidias, Lycomedis jussu, obtruncatus dicitur. Mortem tamen Thesei ulciscens Cimon, urbem Scyron funditus delevit, ossibus ejus Athenas reportatis.

Sed receptiori opinione Geminos dicas *Sidera Ledæa*, sive *Sidus Ledæum*, hoc est, *Pollucis* & *Castoris*. Leda enim, quæ Apollonio Α'ἰτωλὶς dicitur, Tyndarei, vel, ut aliter scribitur, Tyndari Laconiæ, sive, ut ab Oebalo patre vocatur, Oebaliæ regis uxor, cum qua Iupiter ille, quem Cicero in tertio de Nat. Deor. tertium dixit, in cygnum transformatus, teste Servio, & Manilio l. 1 Astron. concubuit, ex eo congressu duo fingitur peperisse ova: ex quorum altero nati sint *Pollux*, & *Helena*; ex altero *Castor*, & *Clytemnestra* Agamemnonis uxor: quibus nonnulli addidere sororem *Timandram*. Hinc Helena apud Ovidium in epistola sua ad Paridem:

Dat mihi Leda Iovem Cygno deceptâ parentem,
quæ falsam gremio credula fovit Avem.

Et Sidonius Antipater, omnes Iovis amores complectens:

Ζεὺς κύκνος, ταῦρος, σάτυρος, χρυσὸς, δι' ἔρωτα
Λήδης, Εὐρώπης, Α'ντιόπης, Δανάης.

Quod Latinè sonat:

Fit *Taurus*, *Cygnus*, *Satyrusque*, *Aurumque*, ob amorem
Europæ, Ledes, Antiopes, Danaës.

Castorem, & Pollucem in Lacedæmone juxta Taygetum Laconiæ montem natos dixit Homerus in Hymnis: nempe Pephni, quæ urbs erat maritima in insula ejus-

ejusdem nominis ad Lacedæmonios spectante. Quamvis inter Messenios, & Lacedæmonios de horum ortu non exigua intercesserit controversia; cùm utrique apud se natos contenderent. E Pephno autem Alcman in cantico quodam tradidit à Mercurio deportatos fuisse Pellenen, ut inibi nutrirentur; hoc est, quemadmodum ego interpretor, in locum fuscum, ac tenebricosum, sive occultum; quòd ex adulterio essent nati. Hinc quoque ex ovo, hoc est, ex loco quodam in superiori ædium parte, qui ab ovali figura Lacedæmoniis ὦον, ex ὠὸν, id est, *ovum*, dicebatur, abscondito, ac fortè itidem ovi formâ rotundo prorepsisse finguntur: ut fusiùs demonstraturi sumus ad signum Cygni.

Nonnulli tamen Pollucem, & Helenam tantùm ex Iove conceptos, eòque immortales fuisse crediderunt: Castorem verò & Clytemnestram ex Tyndareo: unde mortales censeantur. Imò alii omnes Tyndareo prognatos, & fortè Iovis filios fictos, ut gloria iis eo major conciliaretur, non inani conjecturâ fulti existimârunt. Vt ansam arripuerit Vossius suspicari Tyndareum ipsum fuisse illum Iovem. Qui fortè, ut mihi videtur, Castorem, & Clytemnestram mortales genuit, ubi in Deorum numerum nondum receptus erat: at eo receptus Pollucem, & Helenam immortales. Sanè à Tyndareo Helena dicitur *Tyndaris*; imò ab avo Oebalo Anguli filio, & Tyndarei patre, *Oebalis*: ut apud Ovidium in Epistolis:

Tyndaris *infestis fugitiva reposcitur armis:*

& Virgilium l. 2 Æneidos:

Non tibi Tyndaridis *facies invisa* Lacœnæ.

Quin & Castor, & Pollux ab eodem patre dicuntur Τυνδαρίδαι ipsi Homero loco adducto; quamvis cum Theocrito in Διοσκούροις, eos ex Iove furtim conceptos tradat: Latinis *Tyndarides*, vel *Tyndaridæ*, & *Pueri Tyndarei:* ut apud Ovidium 8 Metamorph.

Tyndaridæ gemini præstantes:

& Senecam:

Hinc clara *Gemini signa Tyndarida* micant.

Item

Item *Fratres Oebalii*, & *Oebalidæ*, ab avo. Vnde Politianus:

Nec tanta Oebalios *tenuit concordia* fratres.

Sed & alia his Tyndaridis tribuerunt nomina: ut testis est Theodoretus l. 8 Græcanic. affectionum: Καὶ μέν τοι, καὶ Τυνδαρίδας θεοὺς ἐκάλεσαν Ἕλληνες, καὶ Διοσκούρους ὠνόμασαν, καὶ Ἐφεστίους, καὶ Ἄνακας· καὶ τεμενῶν οὐκ ἐν Σπάρτῃ μόνον, ἀλλὰ καὶ Ἀθήναις, τούτους ἠξίωσαν. *Tyndaridas Deos vocârunt Græci, & Dioscuros nominârunt, & Familiares, & Anaces. Et templis non Spartæ tantùm, sed & Athenis, sunt dignati.*

Dioscuros autem vocant, quasi dicas *filios Iovis*. Nam ut Bacchus videtur Διόνυσος dictus, ex Διὸς, *deus*, vel δῖος *divinus*, *Iove oriundus*, & υἱὸς, *filius*, trajectis literis mediis, & ι ex υἱὸς in υ converso, ut sit quasi *filius Dei*, vel *Iovis*; quemadmodum & idem κατ' ἐξοχὴν *Liber*, quasi *Iovis Liber*, hoc est, *filius*, ut in singulo numero antiqui dixere, apud Latinos vocatur: sic nomen Διοσκούρων compositum est ex genitivo Διὸς, *Iovis*, & κόρος, vel epenthesi poëticâ τοῦ υ facto κοῦρος, *filius*, vel *puer*.

Deinde *Familiares* dixerunt, quod familiis, seu rebus domesticis præesse crederentur. Hinc verisimile est, quod etiam Vives ad Augustin. de Civ. Dei l. 1, c. 3, censet, illos juvenes duos, quos Dionysius Halicarnassensis Romæ in æde humili, & obscura hastatos habitu sedentium, se vidisse scribit, cum epigraphe *Denates*, vel potiùs, ut Vossius legit, *Penates*, fuisse simulachra Castoris, & Pollucis: non autem Apollinis, & Neptuni Trojæ conditorum ab Ænea in Italiam advecta; ut aliis creditum. Et in hac opinione firmor, quod Romani eos coluerint, ac fortè crediderint Vrbis præsides, ac custodes; cùm in bello Latino non fortiter solùm, sed etiam consideratè se gessisse dicantur: imò quod iis, teste Halicarnassæo Antiquit. l. 6, & Livio l. 2, A. Postumius Dictator eo ipso inductus, durante adhuc bello, anno Vrbis CCLVII, templum voverit, ac condiderit: quod vulgò *Castoris*, & *Castorum* dictum; ac fortè illud ipsum fuit, quod modò dictus Dionysius Romæ se vidisse

vidiſſe ait. Sed & Cæſar Caſtori dicâſſe dicitur ædem: in qua Pollucis nulla mentio.

Præterea appellati ſunt *Anaces*, tanquam *viri principes*, & *magni non ſtaturâ, ſed dignitate*; eò quòd genus ducere viderentur ab Anac, ſive Ænac: qui & Ebræis dicuntur ענקים; Septuaginta Interpretibus Ἐνακείμ, aliis *Anakim*, Luthero Num. c. 13, v. 34, Enaks-kinder/ & Ioſuæ 11, 22, Enakim in numero ſingulo. Hinc quoque Dioſcurorum Athenis templum dicebatur Ἀνακαῖον: ut eſt apud Heſychium, & Harpocrationem. Nam veriſimile eſt eos deſcendiſſe ab Anakim Cananææ, ſive Palæſtinæ: unde Cadmus Phœnix cum Cananæis à Ioſua profligatis, fugâ ſibi conſulens, in Græciam conceſſerat. Atque ex his videmus, quòd ἄνακες, (pro quo nonnulli poſtea, ut Latini à *lac*, *lactis*; ſic ab *Enac*, *Enactes* dixere) non ſit ab ἀνακῶς, hoc eſt, *curiosè, ſtudiosè, conſideratè*; ut viſum eſt Plutarcho in Theſeo, & Euſtathio in Odyſſ. α: neque ab ἄνω, id eſt, ſupra, quòd Tyndaridarum in cœlo ſit ſedes. Quippe ſi hoc eſſet, ſoli Tyndaridæ ἄνακες ſint appellandi: ut monitum quoque noſtro Voſſio. Verùm obſtat, præterea, quæ jam diximus, quòd Cicero in tertio de Nat. Deor. Tritopatreum, Eubuleum, Dionyſum ex Iove, & Proſerpina Athenis natos, eodem vocabulo appellet: imò quod Cyprii, teſte Harpocratione, & Athenæo l. 6, ſic quoque dicant reges, eorumque liberos, ac fratres.

Denique Nigidius, ut ex Cæſio Baſſo Aratæi commentatore conſtat, ab inſula Thraciæ finitima, Dardania priùs vocatâ, ſed à Samiis eò pulſis nomen *Sami Thracum* adeptâ, *Deos Samothraces* dixit; quorum argumentum nefas ſit ememorare, propter eos, qui myſteriis præſunt. In hac autem opinione Nigidius ſecutus eſt Orpheum; qui in hymno, ſive carmine eo, quod Κυρήτων θυμίαμα inſcribitur, de iis ſic cecinit:

Οἵτε Σαμοθρῄκην ἱερὴν χθόνα ναιετάοντες.
Κυρῆτες, Κορύβαντες, ἀνάκτορες δ' ὠὐαλοί τε
ἐν Σαμοθρῄκῃ ἄνακτες· hoc eſt,

Quique Samothracen *ſacram tellurem habitantes.*

Divi Curetes, Corybantes, & induperantes,
Dîque Potes, Reges Samothraces.

Et mox:

Οἵτε καὶ οὐράνιοι Δίδυμοι κλήζεσθ' ἐν ὀλύμπῳ·
& qui cœlestes Gemini *vocitamini Olympo.*

Sed alii negant eos in Samothrace cultos; cujus numina sint *Tellus*, & *Cœlus*, hoc est, Terra, & Cœlum: de quibus sic Varro l. 4 de L. L. *Terra, & Cœlum, ut Samothracum initia docent, sunt Dii magni, & hi, quos dixi, multis nominibus. Neque quas ante portas statuit duas virileis species aheneas, dei magni; neque ut vulgus putat, hi Samothraces dii, qui* Castor, & Pollux: *sed hi mas, & femina; & hi, quos augurum libri scriptos habent sic, DIVI POTES: & sunt pro illis, qui in Samothrace* θεοὶ δυνατοί.

Quòd verò alter horum, nempe *Pollux*, quibusdam quoque dicatur *Hercules*, item *Alcides*, non adeò operosum est rationem investigando elicere. Vtrumque enim commune quasi virorum fortium est cognomentum: ut ad signum Herculis fusiùs explicaturi sumus. Et Hercules Amphitryoniades sive Thebanus priùs *Alcides* dictus, postmodum quoque à Pythia, cùm consultum venisset oraculum, cognomen *Herculis*, & id quidem primus accepisse fertur: ut testis est Apollodorus l. 2. Quin & utrique tam Castori, quàm Polluci nomen *Alcidis*, ob bellicam fortè virtutem, quæ Græcis ἀλκὴ, attributum fuisse, indicare videtur Tacitus de Morib. vet. Germanor. *Apud Naharvalos*, inquit, *antiquæ religionis lucus ostenditur. Præsidet sacerdos muliebri ornatu: sed Deos interpretatione Romani* Castorem, Pollucemque *memorant. Ejus numinis nomen* Alcis. *Nulla simulachra, nullum peregrinæ superstitionis vestigium: ut fratres tamen, ut juvenes venerantur.* Hîc uterque communi nomine *Alcis* in singulo numero videtur dictus: quòd conjunctim, ut unum numen, sit cultus. Et valde verisimile est Germanos hæc sacra à Romanis accepisse; cùm eorum proceres, nempe Segestes cum filio Segimundo, Flamius Arminii frater, Iulius Paullus, & Claudius Civilis regiâ stirpe orti, aliique in Italia educti, ac Romanâ civi-

tate

tate donati, Romanis militârint, eorumque ſacris fuerint initiati; adeò ut in Germaniam reverſi ea cum popularibus ſuis procul dubio communicârint. Nam ſi modò dictus Segimundus, teſte Tacito l. 1 Annal. ipſe Vbiorum Aræ ſacerdos, reliquique Germanorum duces & principes facti; quid obſtat ſuſpicari illos principum ſecutos exemplum, Patriæ Deos, & ſacra immutâſſe. Nam *totus*, ut cum Claudiano ex 4 Conſ. Honorii loquar,

componitur orbis
Regis ad exemplum: nec ſic inflectere ſenſus
humanos edicta valent, ut vita regentis.

Et non de nihilo eſt, quod Tacitus dicit *nullum peregrinæ ſuperſtitionis veſtigium* in illis ſacris fuiſſe; ſcilicet quod à Romana conſuetudine abiret: item quod addat; *ut fratres tamen, ut juvenes venerantur.* Imò ipſi Romani omnibus nervis contendebant, ut Deos ſuos in peregrinas introducerent terras: quod ipſum non obſcurè indicat Tacitus l. 11 Annalium: *Fruſtra*, inquit, *Arminium præſcribi: cujus ſi filius hoſtili in ſolo adultus in regnum veniſſet, poſſe extimeſci infectum alimonia, ſervitio, cultu omnibus externis.*

Invitus quidem receſſero à maximo Voſſio, cui lib. 1 de Idololatr. p. 280, prorſus contraria fovetur opinio: tamen recedere me jubent rationes modò adductæ.

Quin & eâdem cauſâ haud crediderim Germanos per duo hæc numina intellexiſſe principium unum boni, alterum mali. Deos quidem tam malos, quàm bonos coluiſſe, non nemini notum: ſed nuſquam legas, eos bonum, & malum ſociato cultu, ut hîc in Caſtoris, & Pollucis numine factum fingunt, proſecutos fuiſſe. Quippe princeps bonorum Deorum, qui nonnullis, Munſtero Coſmograph. l. 3 teſte, erat *Belbuch*, ubi malim *Belbok*; aliis, nempe Rugianis, Bohemis, & Brandenburgi incolis poſtea *Swantewit* (cujus ſimulachrum, ut Saxo Grammat. l. 14 Hiſt. Dan. teſtatur, quatuor capitibus, raſâque barbâ, & cornu, quod in dextra geſtabat, ex vario metalli genere conflato conſpicuum) ſeparato

cultu honorabatur: uti & princeps malorum; quem *Zernebuch*, vel *Zcernebok* nominabant. Hic quoque cultus in Marchionatu Brandenburgico: unde Menander in Deſcriptione orbis terræ p. 124: *Brandeburga, ubi olim fuit Πανθεῖον Vandalorum, quorum dii fuerunt tum alii, tum etiam* Zornebof, & Swandewitz, *quomodo id narratur in Chron. Brandenb. rg.*

Nomine *Belbok* videtur ſignificari quaſi *Dominus*, vel *amicus Deus*. Conflatum enim ſuſpicari quis poſſet ex *Bel*, aut *Baal*, ſive *Belenus*, (quem Noricum quoque deum fuiſſe Tertullianus Apologet. c. 24 aſtruere videtur; niſi potius ſcripſerit *Tibelinus*, pro quo Pithœus Subſec. l. 1, c. 4, *Norici Belenus*, & Nicolaus Loënſis Epiphyllid. l. 5, c. 15, *Dius Belenus* legunt) & Germanico *bok*; quod primo ſignificatu *hircum* denotat; ſed poſtea quoque Idololatris dæmonem hirci formâ colentibus, idem, ac *Dæmon* & *Deus*, ſignificare cœpit. Dæmon enim hirci ſpecie Zabiis, aliiſque populis non tantùm apparuit; ſed hirci ſimulachro cultus quoque fuit: eóque iiſdem ipſe vocabatur *hircus*. De illis teſtis eſt Rabbi Moſes Ben-Maimon l. 3 More Nebochim c. 47: de his autem alii ſubinde mentionem ingerunt; imò ipſa Scriptura vocabulo שעירים, Deut. 32, v. 17; quod LXX Seniores τοῖς τράγοις, hoc eſt, *hircos*, R. D. Kimchi *piloſos Dæmonas*, ſeu *Satyros*, & Lutherus Feld-teufel interpretantur. Sed ſi hæc non arrident, poteris etiam deducere à Germanico, vel Belgico **belle**, hoc eſt, *nola, tintinabulum*; & *bok*: ut *Belbok* merè ſit Germanicum, & idem ſignificet, ac Belgicum **Belhamel**, ſive Gallicum *clocheman*, hoc eſt, *vervex ſectarius*. Quod numini illi optimè convenit: præſertim cùm in ejus ſacris etiam nolas adhibuerint. Vt enim vervex noſter ſectarius dux eſt gregis; ſic Belbok ille dux quoque, & princeps fuit deorum bonorum. Niſi potiùs fuerit princeps malorum; ac idem ac *Zornbok*: cùm particula **bel** antiquis Germanis quoque *iram* ſignificâſſe videatur; unde Belgis adhuc in uſu eſt **belgen**, hoc eſt, *ſtomachari, iraſci, offendi*, & *offendere*. Et **bulbak**,

quod iisdem significat *larvam, spectrum,* sive *larvatum hominem*, fortè corruptum est ex *Belbok*. Nam valde vereor, ne falsus sit Munsterus, ac bonum dæmonem cum malo confuderit. Quo errore inductus, etiam *candidum deum* vocavit, ad differentiam saltem *Nigri Dei*, qui malorum princeps; non autem eò, uti Schedio de diis Germanis visum, quòd *bel* candidum, sive album, in quo mirum quantum fallitur, linguâ veteri Germanicâ, sive Vandalica significârit. Atque sic censet Belboc idem fuisse numen, ac *Swantewit*, vel Swandewitz. Quod magis placet de *Interbuck*, vel potius Guhterbok, quasi dicas, *bonus Deus*, vel *bonus dæmon*. Vnde adhuc hodie oppidum quoddam Saxoniæ Superioris, quod haud procul Witebergâ distat, Gühterbok dici videmus. Quidam nescio quam fabulam de *Juttæ* cujusdam capro fingentes, à *Jutta* sive *Jutha* deducere volunt. Sed satis est, si scimus, quòd guht *bonus* significet; & Guhterbock *bonus* fuerit *deus*.

Similiter errare videntur, qui *Swantewits* quasi *deum luminis* interpretantur. Potuit quidem fieri, quòd witz, à Belgico vel Saxonico *wit*, vel elegantiori Germanico weis, quod utrumque *candidum* significat, forte formatum, Vandalicâ, sive etiam veteri Germanicâ linguâ *lumen* significârit; quia quod *album* est, *lucem* quasi spargere videtur: unde & apud Græcos λευκὸς, hoc est, *albus*, à λύκη, quod *lucem* significat, originem ducit. Imò quamvis Swantewit *Deus* fuerit *luminis*, quia *bonus*; attamen vocabulum nudum absque numine consideratum, nunquam *Deum luminis* significavit. Quippe reverâ compositum est ex Germanico Schwahn, quod *olorem*, vel *Cygnum* significat, & nomen fuisse fertur filii Herculis Germanici, sive Almanni, cujus mentionem faciemus ad signum Herculis; & itidem Germanico, licet inferioris dialectûs, vocabulo *wit*, hoc est, *albus*. Vt *Swantewit* tantundem sit, ac *Cygnus albus*, ein weisser schwahn. Quin & Latinè scribentibus idem Alemanni filius vocatur Cygnus: unde urbs Voytlandiæ *Cygnea*, vel *Cygneum*, vulgò Zwickau dicta, nomen quoque

accepisse scribitur. Vbi in epitaphio quodam pervetusto *Schwanhildis*, Schwanii sive *Swenonis*, ut quibusdam Germanis, vel, ut Latinis dicitur, Cygni filiæ, inter oracula ad Cygneos plurima, habetur & illud: *CYGNORVM meorum CANDOREM sollicitè servate.* Vnde suspicor illum Alemanni filium fuisse ipsum Swantewit; vel saltem unà cum Swantewiti idolo cultum. Hoc autem Helmoldo vocatur *Zuante Vith*; ubi Vossius addit; *hoc est, Sanctus Vitus: uti nunc Polonicè Swiety Wit.* Hic Corveiæ patronus, ac postea Ranorum sive Rugianorum Deus summus, temporibus Diocletiani, circa annum à Christo nato ccc, martyr obiit cum Modesto, & Crescentia: ut est apud Surium in Vita ejus, & in Martyrologio Bedæ, Vsuardi, & Adonis. Rugiani enim à Carolo Cæsare expugnati, atque ad religionem Christianam adacti, jussique tributis colere S. Vitum Corbegiensem, defuncto victore, in cultu quidem S. Viti perstitisse dicuntur, sed sic, ut ad religionem redierint gentilem, imò suo Vito quotannis hominem Christicolam litare consueverint. Sed videatur de hoc Saxo Grammaticus l. 14, Dubravius l. 1, Crantzius Vandaliæ l. 3, c. 37, & l. 5, Atlas Ioh. Blaeuwii in Marchionatu Brandenburgico; imprimis autem Helmoldus l. 2 Annal. Slavor. c. 12, uti & l. 1, c. 6, & 53; ubi inter alia hæc legas: *Sub nomine Deorum, boni scilicet, atque mali, omnem prosperam fortunam à bono Deo, adversam à malo, dirigi profitentur. Ideò etiam malum deum suâ linguâ* Diabol, *sive* Zeernebock, *id est, nigrum Deum appellant.* Sed vocabulum *Diabol,* cum Slavicum non sit, nec Crantzius habeat in Vandalia sua l. 3, c. 37, ubi Helmoldum ad verbum exscripsit, tacito auctore; fortè de *diabolo* ex glossemate in contextum irrepsit: ut Vossius quoque suspicatur. *Zeerneboch* verò, sive *Zcernebuch*, vel *Zoernebok*, qui Saxonibus antiquis, Fabricio l. 1 Origin. Sax. teste, *Tybelinus* dicebatur, (quod est ex Germanico teufel, aut Belgico **dievel**, sive **duivel**, vel **dubel**, hoc est, *cacodæmon, diabolus*, cùm habitet in abysso, **in der tuft**, sive **tieffe**, & **im abgrunde der erden/ oder**

höllen,

höllen, sic dictus; non autem ex Ἀλάζονος) verè Slavicum, imò & merè Germanicum æstimamus. Nam conflatum est ex Germanico zorn, hoc est, *ira*, & bok; quo Idololatræ priùs malum dæmonem, imò postea & bonum appellâsse supra ostendimus. Vt *Zernebok*, vel Zornebok sit quasi *Iræ deus*, sive *iracundus*, vel *irascens*, ac *malus dæmon*, ein zorniger böser Gott. Quem quoque, quia *hirci nigri* figurâ apparuit, & cultus fuit, *Nigrum Deum* appellârunt. Atque hinc est, quod Slavis, sive Vandalis non primo, sed secundo significatu *Zerne* tantundem sonet, ac *nigrum*. *Zernewitz* enim iis dicitur *nigrum lumen*: quod primo significatu est *iracundum album*, ein Zorniges weiß. Vt *Zernewitz* propriè dictum sit quasi *ira*, ac *malitia*; quæ ex merè *candido* sive *bono*, ac *lucido* pectore nunquam procedit, sed ex *nigro*, hoc est, *malo*, *iracundo*, ac tenebricoso, obfuscans *albedinem*, sive *lucem*, vel *amicæ lucis candorem nigris iracundiæ*, ac *malitiæ* tenebris. Ejusmodi *nigrum lumen* est ipse Satanas hypocrita, sive Lucifer lumine suo tenebris offuso. Sic *Zernebitz* iisdem est *niger fundus*, ob eandem rationem.

Cæterùm si quando Germani per numina illa, quæ *ut fratres*, *ut juvenes* venerati sunt, non intellexerint Castorem, & Pollucem: magis mihi arrideret, si capias cum illustri Vossio illos Deos, qui Romanis *Cœlus*, & *Tellumo*; puta Cœli, & Terræ numen: vel Romanorum *Iovem*, & *Neptunum*; qui fratres, ac semper juvenes finguntur. Præsertim cùm Diodorus l. 4 tradat, Dioscuros à Celtis maris accolis, quibus & Germani accensentur, fuisse cultos. Sed & Dioscuri fuerunt numina marina, sive nautica: imò Pollux, quia immortalis, pertinet quoque ad cœlum, & Castor, ob mortalitatem, ad terram. De illo testis est Theocritus Idyllio in Dioscuros:

Vos tamen ex undis naves servatis, & ipsos
nautas in summo positos discrimine vitæ.
Continuo venti cessant, fremitusque minacis
æquoris, aufugiunt nubes, ursæque nitescunt:

apparet præſepe ſimul tenue inter aſellos. &c.
Item Horatius l. 1 Carm. Odâ 12:

Dicam & Alciden, puerosque Ledæ;
hunc equis, *illum ſuperare* pugnis
nobilem : quorum ſimul alba nautis
Stella refulſit,
defluit ſaxis agitatus humor;
concidunt venti, fugiuntque nubes,
& minax (quod ſic voluere) ponto
unda recumbit.

Et Homerus, vel alius Hymno in Dioſcuros: ubi nautas iis, tanquam diis bonis & fauſtis, agnos candidos ſacrificâſſe legas. Quippe antiquitus, non ſolùm Græcis, ſed & Batavis, teſtè Ioh. à Someren in Deſcriptione Bataviæ p. 135, pro *diis rerum nauticarum, & marium* ſunt habiti: *quòd hi principes,* ut Ampelius loquitur, *mare tutum à prædonibus præſtitiſſent.* Vnde eorum imagines Neptuni idolo ſociatas coluere Corinthii: æquè ac eoſdem Romani, tanquam bellorum, victoriarumque præſides, ſuetis ceremoniis bellicis, venerati ſunt; poſitis eorum idolis ante templum Iovis. Imò nautæ veteres navium proras eorum effigiatis, aut pictis ſignis exornabant, quò familiariores Deos haberent: ut traditum Luciano Navig. Perſio Satyrâ 6, Statio l. 8 Theb. & Lutatio. Ac navem illam, qua S. Lucas, & S. Paulus ex Alexandria navigabant, inſigne Caſtoris habuiſſe ſcribit Gretſerus in libro de Cruce.

Quin & Caſtor, & Pollux à quibuſdam in magna tempeſtate è cœlo, ubi eos jam degere dicunt, deſcendere, ac navigantibus quaſi ſtellæ velo inſidere creduntur. Et adjuvari tunc periclitantes his numinibus ajunt: ut traditum Senecæ l. 1 Nat. Quæſt. c.1. Sed flammæ illæ, quas ſpectra Xenophanes credidit, ac Galli, & Hiſpani nunc *S. Hermi,* aut *S. Telmi ignes,* Itali *S. Petri,* & *S. Nicolai,* teſte Fromondo Meteorol. l. 2, c. 2, artic.2, appellant, nihil aliud ſunt, quàm *ignea* in mari *meteora* aëri fluctuanti innatantia, ejuſdemque naturæ, ac *ignis fatuus* in terra. Videatur de hoc Voſſius Idol. l. 3, p.774.

Hæ

Hæ Flammæ, inquit Natal. Comes l. 8 Mythol. c. 9, *cùm geminæ apparent, salutiferæ putantur navigantibus. At si una tantùm, periculosa est navigiis: & eò magis, si terribilis illa, & dira pestis, quam nautæ* Helenam *vocant, suo adventu geminas flammas fugaverit.* Hîc miror, quòd nautæ, flammulam illam unicam, *Helenam* dixerint: cùm eam unà cum fratribus in cœlum receptam, navigantibus præsidere, ac salutarem esse scribat Euripides in Oreste. Sed forte id factum, quòd ea multis exitii fuerit causa. Quin & geminæ illæ unico nomine à quibusdam *Castores* dictæ; quòd aëri fluctuanti inequitare quasi videantur, more Castoris, qui eques erat; ut testis est Horatius Serm. l. 2:

Castor gaudet *equis: ovo prognatus eodem*
pugnis:

& Ovidius:

Tyndaridæ fratres, hic *eques,* ille *pugil:*

item Stasinus in rebus Cypriis:

Κάςορά θ' ἱππόδαμον, ᾧ ἀεθλοφόρον Πολυδεύκεα.
Castora equorum domitorem, & fortem Pollucem.

Qui versus, unico saltem vocabulo mutato, etiam in Homeri hymno in Dioscuros occurrit:

Κάςορά θ' ἱππόδαμον, ᾗ ἀμώμητον Πολυδεύκεα·
— & inculpatum *Pollucem.*

Hinc sæpenumerò in equo candido videbatur, à Iunone accepto, teste Pindaro in Pythiis ode 1: vel à Mercurio; quem *Cyllarum* vocant, ut ad Signum Equulei videbimus: vel à Neptuno; quem *equos utrique donâsse, potestatemque, quò naufragis saluti essent, dedisse*, traditum Hygino in poët. astron. c. de Geminis. Et Romæ in æde Castoris ad forum dicatus erat equus stellatus. Illa autem opinio de Castorum descensu navigantibus salutifero inde profluxit, quòd circa Pollucis, & Castoris capita, cùm ingens tempestas Argonautas è Sigæo digressos invasisset, ac Orpheus pro illorum salute vota concepisset, geminæ apparuerint flammæ; iisque secuta sit mirabilis ventorum, marisque tranquillitas. Vnde creditum quandam his juvenibus inesse divinita-

D 5 tem;

tem; eosque navigantibus, ignibus istis postea apparentibus, præsentiæ suæ, ac favoris mittere symbola. Atque hinc simulachra eorum viros juvenes hastatos, & galeâ probè munitos, addito lateri ense, *capiteque flammis cincto*, plerumque repræsentabant. Sed & eandem paullò aliter nobis exponit supra dictus Cæsius sive Calpurnius Bassus commentario in Aratea Germanici; ubi sic scribit: *Nigidius dicit*, Castorem, & Pollucem, Tyndaridas, *Geminorum honore decoratos, quòd principes pacationis dicantur: quòd mare totum prædonibus, maleficisque pacatum reddidissent; & quo in tempore navigaverint cum Iasone, atque Hercule ad pellem inauratam auferendam, multis laboribus, tempestatibusque conflicti, periculorum atque animorum experti, impendia laboribus liberare studuerunt: atque cùm à Iove essent elati, petierunt à patre, ut sibi liceret in eo cæli loco constitui, unde mortalibus auxiliantes prospicere possent.*

Cæsus autem fertur Castor à Lynceo Apharei ex nympha Arene Oeacli, teste Stesichoro, vel, ut aliis placet, ex Arne Æolo prognata filio, ob raptum Phœbes (quam Tzetzes Ilairam, alii Elairam, vel Naëiram vocant) & Talaytæ filiarum Leucippi, item Philodices Inacho natæ: ac sepultus est non procul à Sciade Laconiæ loco; ut proditum Pausaniæ in Laconicis. Quippe filiæ illæ desponsatæ erant Lynceo, & Idæ fratribus germanis, genus à Perseo ducentibus: unde in raptores Castorem, & Pollucem impetum facientes, Lynceus Castorem interfecit: Pollux verò Lynceum primum illum metallorum inventorem. Ac Ida similiter Pollucem interemisset, nisi rex Ceraunus, teste Tzetze Hist. 48, chil. 2, Polluci suppetias tulisset. Hinc nata est fabula, cùm *κεραυνὸς fulmen* significet, quòd Iupiter Idam, ut est apud Theocritum, fulmine percusserit. Post quadragesimum autem demum ab eo bello annum Dioscuri inter Deos relati, sive potiùs culti dicuntur: & caussam hujus receptionis indicat Horatius Epistolarum l.2:

Romulus, & Liber pater, & cum Castore Pollux
post ingentia facta Deorum in templa recepti,
dum terras, hominumque colunt genus, aspera bello

com-

componunt, agros assignant, oppida condunt.

Cæterùm mortuò Castore, ac instituto in ejus honorem Tripudio Castoreo, in quo, ut est apud Pindarum Pyth. Ode 2, armati tripudiabant juvenes; Pollux fertur à Iove petiisse, ut Castori immortalitatem largiretur. Verùm eo tum denegato, denique impetrâsse, ut dimidium suæ ipsius immortalitatis illi impertiret. Icircò cum fratre sex mensibus alternis vivere, ac sex quoque alternè mori, hoc est, altero in astris occidente, alter protinus apparere dicitur. Hinc Virgilius l. 6 Æneidos:

Si fratrem Pollux alternâ morte redemit,
Itque, reditque viam toties.

Atque sic inter hos fratres, quos uno partu in ædibus Tyndarei editos dixere Horatius loco adducto, & Apollonius l. 1, tam perpetua, & indissolubilis intercessit amicitia; imò uterque utrique adeò cordi fuit, ut Pollux immortalitate donatus, eam dimidiatam cum Castore communicaverit. Quod innuit Baptista Pius:

Vt non Pollucem tam benè Castor amet:

& Strozza Pater:

Quod si notus amor provexit in astra Lacones. &c.

Sed cùm Arabes, ob quam rationem non video, his Geminis duos substituant Pavones; nobis potiùs licebit iisdem ex Geneseos c. 25, commate eodem, substituere *partum* illum *Rebeccæ geminum*, ac miraculosum; nempe *Esavum*, & *Iacobum*: in quibus

par numerus, sed enim dispar natura notanda est;

ut sidus hoc describit Manilius. Vel, si magis arridet, *Davidem* Israëliticum regem, cum suo *Ionathane* Israëlitici regis Saulis filio, quorum uterque alterum summo amavit ardore; ut constat ex Samuelis c. 2, commate 35.

IV. CANCER; der Krebs/ die Krabbe;

Nepa; *Astacus*, *Cammarus*, Manilio: *Cyllenium*, vel *Mercurii Sidus* Ebraicè סרטן: Græcè

Καρ-

Καρκῖν☉ ; *κάμμαρ☉*, Gallicè *Hommar*, Italicè *Gammaro* ; aliter *ἄσακος*, Italis Venet. *Astase* ; Hesychio *κάβειρος* ; Manilio *ὀπισθοβάμων*, i. e. *retrogradus*, quod & Scorpioni attribuitur ; aliis *ὀκτάπους*, *Octipes* ; item Πάγουρ☉, quod est cancri marini species : Arabicè *Alsartan*, sive *Asartan*, Schickardo *Assartano* : Italis *Granchio*, Romæ *Granzo*. Meridianum illustrat circa medium noctis post initium, reliquoque mense Januarii : & in globo nostro 16 stellas comprehendens, denotat humiditatem, solisque cancrorum in contrarium ac obliquè redeuntium more, ab hoc Signo obliquum regressum : unde & *prima Solis Porta* vocatur, æquè ac Capricornus *altera*. Rationem verò hujus denominationis vide sis ad signum Capricorni.

Postellus huic signo adjudicat 9 stellas intra, & 4 extra ; Braheus 15 : Bayerus autem 35 ; quarum duæ tertiæ magnitudinis, una ultimum pedem austrinum, altera chelam, sive brachium austrinum, in aliis picturis caput ; item quatuor quartæ ; 6 quintæ ; & 23 sextæ, reliquum corpus, & caudam occupant. Nam Cancrum suum fieri curavit Bayerus, qualem Neronis, & Antonini Pii numismata Zodiacum habentia exhibent.

Proximum Geminorum signum est *Cancer*. Vnde Ovidius :

Sol abit è Geminis ; & Cancri *signa rubescunt*.

In ejus pectore est stella nebulosa Martialis & Lunaris, aliis Martialis & Solaris, τὸ νεφελοειδὲς, συστροφὴ, id est, *densitas*, טלית, φάτνη, Arabicè *Mellef*, seu *Meeleph*, Schickardo *Mallephon*, id est, *conglomeratio*, Latinis *Nubilum*, *Vortex nebulosus*, & *Præsepe* vel *Præsepium* dicta. Huic adstant *duo Aselli*, ejusdem naturæ : quos Manilius *Jugulas*, Græci ὄνους, ὀνίσκους, *Sileni* scilicet, Nutricii & Pædagogi illius Bacchi, juxta Lactantium, appellant.

lant. Horum autem, uti & præsepii, ejusmodi exhibet descriptionem Avienus Aratæa vertens:

Convenit hîc etiam parvum Præsepe *notare.*
Id nubi nomen, quæ Cancro obvolvitur alto,
Græcia docta dedit. Quapropter denique Asellos
suspice; quorum unus Septem vicina Trioni
astra adolet, tepidum procul alter spectat in austrum.
In medio quod nube quasi concrescit adactâ,
id Præsepe *vocant. Porrò hoc Præsepe repentè*
si sese ex oculis procul auferat, ardeat autem
congruus aëriis latè rubor ignis asellis,
nequaquam tenues agitabunt stagna procellæ.

Chelas cancri, seu branchias, quæ Mercuriales & Martiales, versus Leonem tendentes, Arabes vocant *Zuben assartani*; item *Acubene*, seu *Azubene*, Schickardo *Azubeno:* Ovidius autem *Flagella*, Plinius *Acetabula*, & *Cirros*; Barbari *Grivenescos*; Alphonsini *Labia*; alii *brachia*, item *anteriores Vngulas.* Ipse verò Cancer, qui, quòd retrò, & in transversum gradiatur, Platoni, & Aristoni Philosopho Sophistarum est symbolum, aliis, fortè quia cerebro caret, dementium, veteribus dicebatur *Nepa*; ut apud Plautum: de quo videatur Varro. Africum esse vocabulum ostendit Festus, Afrorumque linguâ dici *Sidus*, quod *Cancer* appelletur. Sed potiùs Germanicum, vel Belgicum esse contendimus. **Een neep** enim Belgicâ linguâ idem significat, ac nostrum Germanicum **ein knip/** hoc est, *vellicatio*; à **kneipen/** vel **nypen** / *unguibus comprimere:* quod idem ferè ac **krabben;** unde **krâbs. Hy is genepen** dicunt Belgæ, quando quis vellicatus est. Et *vellicare* est proprium Cancrorum. Atque hinc *Nepa* propriè redditur Germanis **ein kneiper**/vel **kneip-fisch**. Sed & *Nepam* pro *Scorpione* usurpat Cicero uterque, Marcus, & Quintus; item Manilius, & Columella. Et Scorpiones, sole signum cancri transeunte, ex cancris exanimatis in sicco procreari, testis est Plinius H. N. l. 9, c. 30.

Dicitur autem Cancer à Iove in cœlum locatus, quòd Garamantida, Garamantis regis filiam, chelis suis apprehen-

henderit, vulnereque in calcaneum inflicto, Nympham Iovis concubitum fugientem, retardaverit; ut eam Iupiter facili negotio apprehendere, ac comprimere posset. Vnde Virgilius 4 Æneidos:

Hic Ammone satus raptâ Garamantide *Nymphâ*, &c.

Ampelius tamen censet Cancrum, beneficio Iunonis, in cœlum esse receptum: quòd, jussu Deæ, Herculem ad interficiendam Hydram Lernæam missum, ejus pedes, & crura vellicans, ac lanians, incommodiorem reddiderit, quàm ipsa Hydra: ubi tamen tandem ab Hercule sit conculcatus. Quod itidem testatur Germanicus in ἀνεκδότοις:

Te *quoque fecundam meteret cùm cominùs Hydram*
Alcides, ausum morsu contingere, bello
fidere donavit, Cancer, *Saturnia Iuno*
nunquam oblita sui, nunquam secura novercæ.

Vnde nos aliquando ad Rosimundam lusimus:

Daß ich so mager bin/ ist nicht vom vielen sitzen/
und lesen bei der nacht. Du machst es/ Du/ mein Licht;
weil du dich mir entziehst. Das völlige gesicht
des Mohndes nährt den Krebs/ der bei dem scheine weidet/
und wan es abnimt / auch des fleisches abwachs leidet
im dunkeln seiner gruft. Brich über mir hervor
gleich als ein voller Mohnd dem/ der das Sonnen-tohr/
am Herkules/ verdient: so leb' ich ausser leiden;
so wird mein angesicht bei deinem glantz sich weiden/
und in der fülle stehn.

Cancer enim nocte illuni, cùm scilicet luna decrevit, vel decrescere incipit, in cavernas se recipit: unde uti admoto lumine rursus elicitur; sic quoque Lunâ iterum crescente, evocatur, & ad pabula redit. Hinc tempore plenilunii pinguescit, quòd totâ tunc nocte pabulari possit: decrescente verò lumine latitans, fame maceratur.

Cæterùm credibiliùs videtur Cancrum, ut alii censent, inter sidera in eum locum, ubi Sol quasi retrorsum ferri cernitur, collocatum esse, quòd ipse quoque obli-

obliquato gradu retrorſum tendere ſoleat: unde Ariſtophanes ἐν εἰρήνῃ:

Οὔποτε νικήσεις τ̃ καρκίνον ὀρθὰ βαδίζειν·

Rectum iter ut carpat cancer, non viceris unquam.

Vbi mallem pro νικήσεις, legere ποιήσεις, hoc eſt, *efficies*, ſive *feceris*.

Sed & duo illi *Aſini* præſepio, quod meditullium ferè Cancri occupat, aſtantes, ille verſus boream, hic verſus auſtrum, pari propemodùm ratione inter ſidera ſunt tranſlati. Satyris enim, & Silvanis, Silenisque aſinis inſeſſis, Iovis in auxilium contra Gigantes venientibus, aſini umbrâ quadam perterriti, ſive,ut alii tradunt, magnitudinem, molemque Gigantum admirati, tantum rudendo ſonitum, ſtrepitumque excitârunt; ut ejus auxilio hoſtes formidabile quoddam monſtrum adverſus ſe adventâſſe ratos, vicerit, & in fugam verterit Iupiter. Atque ſic Aſini tantæ victoriæ Iovi cauſa exiſtentes, in cœlùm recipi meruerunt.

Verùm hanc Aſinorum hiſtoriam, ſive potiùs fabulam Cæſar Germanicus paullò aliter refert: *Cum bellum*, inquit, *inter Gigantes, & Cœlites intercederet; illi à Libero, Vulcano, & Satyris, Aſinorum, quibus inſidebant, præſidio, victi ſunt. Atque hinc Aſini, cum præſepi, à Divis Cancri ſigno illati.*

Quidam unicum tantùm aſinum præſepio aſtare dicunt: quod etiam ex Theophraſto de ſignis futuræ ſerenitatis videre eſt, cum inquit: *Aſini præſepe, cùm purum ſplendidumque apparuerit, ſignum eſt futuræ ſerenitatis.*

Cæterùm hoc ſigno ſignificari volunt *Cancrum illum*, ut Latinè nonnullis vocatur, *Iuſtitiæ*, τ̃ θώρακα τ̃ς δικαιοσύνης; cujus mentionem ingerit Apoſtolus in Epiſtola ad Epheſ. c. 6, v. 14: *Præſepioque*, & *Aſinis* aſtantibus, Ieſu Chriſti recens nati *præſepe*, cum *aſino, & bove*, Luc. c. 2, v. 12.

V. LEO;

V. LEO; der Leue/ das Leuen-zeichen;

Cleonæus, *Nemeæus*, *Herculeius*, *primus* ſcilicet *Herculis labor*; Statio *Cleonæum ſidus*; aliis *Bacchi ſidus*; *Nemees terror*, *Nemees Alumnus*; Manilio *Iovis* & *Iunonis ſidus* : Ebraicè אריה : Græcè Λέων, à λάω, *video*, quòd perſpicaci oculorum acie polleat, Homero Iliad. *o*, v. 586, κατ' ἐξοχὴν, θὴρ, hoc eſt, *fera, bellua, animal*, & quidem *ſolare* Plutarcho : Arabicè *Aſit*, *Aſid*, vel *Aſida*, Schickardo *Aſedaton*, hoc eſt, *Leæna*, *Beſtia*, ſcilicet *Centauri*, in Globis; item *Alezet*, *Alaſit*, vel *Aleſit*, Schickardo *Alaſado*, id eſt, *Leo*: Peruanis *Puma*. Hic anteriori medietate ſuum proprium occupans locum, poſteriori verò Virginis, in Globo noſtro 36 inſignitur ſtellis; ac æſtum & calorem ſignificat : unde Aquarium, qui hiemis ſymbolum, Leoni, qui æſtatis, adverſum eſſe dicit Macrobius l. 1 Somn. Scip. c. 12. Meridianum pervagatur nocte mediâ, menſe Februario.

Poſtello conſtituitur ex 27 ſtellis, additis inſuper extra ſignum octo: Bayero autem ex 43; quarum 2. una cordis, & altera caudæ, primæ magnitudinis; duæ circa jugulum, & lumbos ſecundæ; 5 tertiæ; 13 quartæ; 7 quintæ; 14 ſextæ per corpus, & pedes diſperſæ.

Cordis ſive *pectoris* in Leone ſtella, Martialis & Iovialis, Arabibus communiter vocatur *Kalbeleced*, Kalbeleceid, *Kalbelaſit*, *Calb-elez-id*, *Calb-eleſit*, in globo *Calb-alezet*, Schickardo *Kalbol aſadi*, id eſt, Καρδία Λέοντος, *Cor Leonis*; Chaldæis ἀρχὴ τῶν οὐρανίων; Græcis Βασιλισκὸς, id eſt, *Regulus*, fortè Βασιλικὸς, vel βασιλικὸς ἀστὴρ, Tuberoni *Regia*, aliis *Baſilica ſtella* : illa verò in extremo *caudæ* fulgens Saturnina, Venerea & Mercurialis, Arabicè

bicè *Deneb eleced*, *Deneb alecid*, ſeu *aleſit*, vel *elaſit*, *Nebulaſit*, *Nebolaſit*, corruptè *Denebola*, pro *Denebolaſit*, *Deneb-elezid*, in Globo *Deneb-alezet*, Schickardo *Dhanbol-aſadi*, id eſt, *Cauda Leonis*, ἡ τοῦ λέοντος οὐρὰ; Græcis ἀλκαία, quia caudam quatiens leo, ſibi *robur* excitat.

Aſteriſmo autem huic, Sole permeante, calidiſſimo ac maximè ferventi nullum Signum, ac nomen convenientius videtur, quàm Leonis: quippe qui temperamenti eſt calidiſſimi, & ſicciſſimi, imò ignei; unde & Vulcano ignis artificialis Deo, & Cybeli ſive Veſtæ, tanquam itidem ignis Deæ, ſacer: quod ab acriori cordis æſtuatione promanat. Hinc maribus ob nimium ſæpe calorem coire non valentibus, leænæ cum pardis congreſſæ, leopardos, item cum pantheris, fœtum non jubatum; & cum hyenis, crocutas pariunt. Atque eâ quoque cauſâ eſſe ſuſpicor, quòd leo *animal ſolare*, utpote ſic ad ſolis naturam propiùs accedens, unde & Apollini pariter ac Herculi ſacer, nuncupetur. Quamquam Plutarcho videatur, id inde eſſe, quòd ſolæ leænæ inter quadrupedia aduncis unguibus prædita catulos videntes eniti ſoleant; ſive, ut aliis placet, quòd in aperto apertis oculis dormiat, ac ſomni, ob ſiccitatem, & calorem innatum, parciſſimus ſit; quare apud Ægyptios etiam vigilantiæ, ac cuſtodiæ ſymbolum erat, æquè ac Sol perpetuò vigilans. Qui tamen, præſertim Manethon ad Herodotum, perperam cenſebant leones nunquam dormire: nempe oculorum ſaltem ſplendore, & commotione caudæ inter dormiendum continuâ, qua vigilantium arguitur animus, perſuaſi. Incredibile enim eſt ullum animal perpetuâ uti vigiliâ. Et dormientibus, imò naſcentibus leonibus oculi eò aperti, quòd illos ob magnitudinem incumbente breviori palpebrarum pelle non poſſint obtegere. Iccircò nihil mirum, quòd glorioſiſſimus pariter ac bellicoſiſſimus ille Suecorum Heros CAROLVS GVSTAVVS hoc ſibi hieroglyphicum elegiſſe dicatur: quippe qui continuis ferè vigiliis, continuéque meditando, agendo, nec unquam procraſtinando ſolaris ac verè regii

hujus animalis naturam imitatus est. Ac in hoc secutus quasi videtur exemplum Alexandri Magni, qui præter alia, quæ in principem præclara cadere possunt, etiam vigilantissimus fuit: unde & suspicor imaginem ejus leonino spolio tectam in quodam numismate visam: cujus altera facies Iovem habebat lævâ baculo innixum, ac dextrâ aquilam tenentem, cum epigraphe, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Nisi potiùs fuerit, quod per Caranum primum Macedoniæ regem ab Hercule Thebano duceret genus: cujus insigne fuit, ut in ejus Signo videbimus, spolium leonis Nemeæi. Sanè leoninum nomen eidem Alexandro adeò gratum erat, ut urbem, quam in Ægypto somnio monitus condidit, Leontopolin vocarit: cui postea Alexandriæ nomen successores ejus indiderunt.

Atque ex eo unà cognoscimus, cur veteres, imprimis Ægyptii, ut traditum Theoni in Aratum, portis urbium, ædiumque tam profanarum, quàm sacrarum vestibulis leonum effigies adhibuerint; imò annulos illos ferreos sive æreos cornices vulgò dictos, quibus ostium pulsatur, capitibus leoninis, uti adhuc apud omnes gentes in usu est, plerumque ornârint. Quin & apud easdem ferè receptum, ut canales, siphones, ac tubi, qui aquam tam fontanam, quàm pluvialem excipiunt, eandem per terebrata foramina ex capitibus sive rictibus leoninis ad id opportuno loco præfixis, eructare videantur. Ac de capitibus istis constituendis, ritéque disponendis fusè satis egit Vitruvius. Verùm hæc canalibus & tubis affixa non vigilantiæ, sive custodiæ symbola sunt; sed aquarum redundantiæ: cùm Leo cœlestis apud Ægyptios, à quibus, tanquam primis auctoribus, ea accepimus, aperire pariter ac claudere videretur aquarum cataractas. Sol enim in hoc signum ingressus, incrementum Nili, quod *Num*, quasi dicas, *aquam novam* sive *recentem*, vocârunt, adeóque diluvium excitat: quo aridum ac sterile solum humectatum, ac pinguefactum, exutâ sterilitate, miram, sole ex eodem egresso, ac Nilo decrescente, induit fertili-

tilitatem : ut in Eridani Signo pluribus demonſtraturi ſumus.

Cæterùm ob innatam, quam diximus, calidiſſimam ſiccitatem Leo adeò ſubtiles, ac generoſos fovere videtur ſpiritus, cum iracundia tamen conjunctos; ut ab Ægyptiis, aliiſque ad varia hieroglyphica adhibitus ſit. Quippe Leonis picturâ ſignificabant *dominium*, imò *regiam majeſtatem*; unde & rex dicitur omnium quadrupedum, æquè ac Aquila volatilium : item *magnanimitatem, fortitudinem, ferocitatem, corporis & animi robur*, quod Cicero in Officiis Leoni, æquè ac fraudem vulpeculæ, peculiare dixit; item *perſpicacitatem, calliditatem, caſtigationem, terrorem, excandeſcentiam, juſtitiam, injuriæ vindictam, furorem domitum*, item *indomitum, clementiam, gratum animum, erga parentem obſequium, religioſam formidinem*, ac ejuſmodi alia quamplura; quorum explicationem videre poteris apud Pierium Hieroglyphic. l. 1. Sanè cùm oculi Leonis, in quibus omnis ejus vis, ac majeſtas conſiſtere dicitur, prorſus ſicci ac ignei ſint, non eſt, quòd mireris illum ignem, teſte Æliano H. A. l. 6, c. 22, & l. 7, c. 6, ac igneum, albumque colorem refugere; imò facibus prætentis domari : quò reſpexit Homerus:

> Καιόμεναί τε δέται, τὰς τρεῖ ἐσσύμενός περ· ---
> *Ardenteſque faces, quas, quamvis ſæviat, horret.*

Ignem enim ſubtilis ac igneus ille oculorum ſpiritus ferre non poteſt : uti & eadem de cauſa mappam albam; quia ſplendet, & oculis quaſi caliginem inducit. Hinc quoque extimeſcere dicitur cantum gallorum, non quòd gallus etiam ſolare ſit animal, ac, tanquam ſolis ortus, & horarum nuncius Menſi ſacer, ſolaris virtutis magis capax, ac ille; ut quibuſdam videtur : ſed quòd criſtam gerat rubentem & igneam; præſertim cùm albus pennarum color accedat. Nam gallum album maximè formidare teſtatur Ambroſius. Atque hinc ſuſpicor eſſe, quòd Græci Cecropis Athenarum conditoris animam, quam in leonem migrâſſe credebant, immolatis gallis gallinaceis, characteribusve qui-

 buſdam

busdam subscriptis, evocari sibimetipsis persuaderent: quos tamen Æneïus Enxitheus meritò irridet. Verùm audiamus quoque Lucretium:

— Gallorum in corpore quædam
semina, quæ, cùm sunt oculis infusa leonum,
pupillas interfodiunt, acremque dolorem
præbent, ut nequeant contra durare feroces. &c.

Idem Lucretius causam quoque furoris, ac iracundiæ leonis hanc profert:

Est etiam calor ille animo, quem sumit in ira,
cùm fervescit, & ex oculis micat acriùs ardor.

Et paullò post:

Sed calidi plus est illis, quibus acria corda,
iracundaque mens facile effervescit in ira.
Quo genere imprimis vis est violenta leonum,
pectora qui fremitu rumpunt plerumque frementes;
nec capere irarum fluctus in pectore possunt.

Index autem excandescentiæ ejus præcipuus est agitatio caudæ: qua initio irarum terram flagellat, post increscente furore terga etiam verberat. Vnde Catullus Galliambico in Attin:

Age, cæde terga caudâ: tua verbera pateant.
Face cuncta mugienti fremitu loca retonent.

Et videtur hoc fieri, cùm anima eorum vehementiùs movetur, ac caudâ quasi robur suum incitat ac exerit: quod itidem observamus in equis, cùm aures arrigunt. Hinc quoque caudam leoninam à robore, quod Græcis ἀλκή, ac in ea maximè consistit; iidem dixere ἀλκαίαν; ut supra indicavimus. Atque sic, occultâ satis diu animi quasi dormientis ferociâ, pedetentim exerit vires suas, donec tandem cum impetu incomparabili hostem adoriatur: ut dictum Valerii Maximi huc optimè quadrare possit, cùm inquit: *Vegeta & strenua ingenia, quò plus recessus sumunt, eò vehementiores impetus edunt.* Quod æquè ex parte applicari poterit & somno, & imbellitati catulorum: qui simul ac nati sunt, tribus diebus, & tribus noctibus dormire dicuntur, donec patris rugitu, tanquam incitamento ad virtutis indolem,

ex-

expergefacti, & validiores redditi, quod elapso mense secundo demum fieri solet, erumpant, ac aliis formidinem incutere assuescant.

Innata verò Leonibus videtur terroris illa incutiendi potentia & actus, cùm vel solo aspectu alios attonitos consternent: imò etiam horrendo rugitu, sive mugitu; ut Virgilio vocem eorum exprimere placuit: quos tamen Mancinus, uti & Volaterranus, quoque *fremere* dixit, sed fortè iratos; quomodo alii *frendere*, cùm dentes, corrugatâ insimul fronte, ex iracundia concutiunt. Quo respectu Philippus Macedo, sive, ut alii malunt, Chabrias Atheniensium dux, haud ineptè dicere solitus est; *formidabiliorem esse Cervorum exercitum duce Leone, quàm Leonum, duce Cervo.* Quippe cervis timidus & despicatus, æquè ac horridus & truculentus Leonibus, innatus videtur aspectus. Huc pertinet numisma Augusti Cæsaris; in quo validissimus Leo Cervum superans, dentibus in armos affixis: fortè cusum post Actiacam victoriam Apolline favente consecutam; de qua Maro Æneid. l. 9:

Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabæi.

Atque hinc Agamemnon Mycenarum rex, Atrei, sive, ut alii malunt, Plistonis filius, & Menelai frater, Græcorum omnium consensu imperator ad expeditionem Trojanam electus, Leonis picturam, teste Pausania, gessit in clypeo: qui, Agamemnone à conjuge Clytemnestra, Tyndarei & Ledæ filia, auxilio Ægysthi, interfecto, in Olympiæ templo suspensus est, cùm hac epigraphe:

Οὗτος μὲν φόβος ἐστὶ βροτῶν, ὁ δ' ἔχων Ἀγαμέμνων.

Terror hic est hominum, quique hunc gerit, est Agamemnon.

Sed cauda Leonis mota, & crispata, uti index est iracundiæ; sic immota clementiam, ac mansuetum, tranquillumque ejusdem indicat animum. Et clementia ejus ex eo apparet, quòd telo, aut ferro invasus, sed non vulneratus, invadentem correptum non laceret, sed solummodò sternat, & leviter quatiat. Vnde Ovidius:

Corpora magnanimo satis est prostrâsse leoni.

 Exem-

Exemplum de hoc legimus apud Albertum de venatore quodam; quem lanceâ leonem confodere tentantem, sed fallente ictu, humi collapsum fera non vulneravit, sed galeâ saltem compressâ perterritum dimisit. Quò respexit fortè numisma Severi Pii Augusti; in quo mulier leoni exporrecto insidens, manu alterâ hastam terræ affixam tenebat, alterâ fulmen quasi abjiciebat, non jaculandi gestu, cum hac epigraphe, INDVLGENTIA AVG. IN CAR. Mansuetudo quoque ejus ex multis patet exemplis. Quippe jugo leones subjecisse dicitur Cybele Deorum mater. Vnde & currus ejus, pariter ac Solis, à leonibus trahi fingitur; ut testis est Virgilius Æneid. 3:

Et juncti currum Dominæ subiere Leones.

Quod tamen Diodorus eò factum putat, quia Cybele à leonibus sit educata: & Varro in Curru Cybeleio, quòd, cùm terræ symbolum sit leo, ac in remotissimis locis habitet, nulla inveniatur terræ pars, quæ non coli, & subigi possit. Idem Romæ primus fecit M. Antonius bello civili, cùm dimicatum esset in campis Pharsalicis, non sine ostento temporum generosos spiritus jugum subituros significante. Vnde Cicero in Epistolis ad Atticum, qui prodigium illud formidabat: *Tu Antonii Leones pertimescas, cave. Nihil est illo homine jucundius*, &c. Antonium enim, quòd leones jugo subjecerit, & ad currum junxerit triumphalem, se ipsum jugo invidiæ subjecisse, imò imperiosi hominis crimine quasi insimulâsse dixeris: quod ei etiam Cicero in Philippicis objicere videtur. Sanè Hanno Carthaginensis qui omnium primus leonem mansuefecisse dicitur, ob id patriâ excedere jussus est; quòd malè credi libertatem adeò artificis ingenii viro, cui in tantum cessisset etiam feritas, ut ignaras societatis humanæ beluas demulceret, atque eâ causâ persuasurus, quicquid vellet, videretur. Quin & Heliogabalus exarmatos, ac ita edoctos habuit, ut ad secundas accumberent mensas. Augustus adeò cicuratos, ut cum leporibus luderent. Simile exemplum de leone, & ariete habes apud Martialem

Epigr.

Epigr. l. 9, e. 73. Beronices leo linguâ faciei adulabatur. Sic quoque adulabantur ingredientibus leones Templi Adonidis in regione Elimea. Et leo procumbens ad arborem, in quam se Elpis Samius fugâ receperat, hiatu, quo terruerat ante, & ejulatu, veluti precibus, miserationem quærebat. Quippe morsu avidiore os inhæserat dentibus: quod Elpis intuitus, rictum præbenti, ac se accommodanti extraxit: unde ille gratiam retulit, feras venatu captas aggerens. Simile ferè narratur de Leone illo, qui Mentori Syracusano vestigia lambens adulabatur, ut surculum in pede hærentem eveleret.

Contra vindicandi animus ejusdem feræ ex eo conspicitur, quòd vulnerata percussorem mirâ internoscat observatione, & in quantâlibet appetat multitudine. Idipsum testatur apud Ælianum H. A. l. 2, c. 5, proprio exemplo juvenis ille in exercitu Iubæ Maurorum regis per deserta Africæ proficiscentis: quem leo, anno præcedente ab eo sagittâ percussus, eâdem redeuntem tam violentissimo cursu aggressus est, ut ex media militum turba correptum, miserum in modum dilaceraverit, nemine aliorum læso. Quin & idem Ælianus ex Eudemo refert, Leonem, Vrsam, & Canem eodem contubernio educatos, pacatissimè aliquandiu convixisse; sed cùm ursa impetu quodam percita, canem contubernalem dilacerâsset, leonem tanquam violati hospitii scelere commotum, in ursam confestim proruisse, eâque pariter dilacerata, ultionem pro cane sumsisse.

Inprimis autem pænas gravissimas exigit à leæna in adulterio deprehensa, pariter ac ab adulteris. Iccircò leæna culpam, & odorem ex congressu cum pardis, sive pantheris contractum, fluvio abluit; aut adulterum comitatur. Ea enim ob insignem calorem adeò petulanter lasciva deprehenditur, ut meretriculis optimum præbeat symbolum. Et petulantiæ hujus causâ Ezechiel Propheta Hierosolymam vocat Leænam, ac Heliachim, qui in Ægyptum ductus est, ejus catulum, quasi dicat spurium. Imò hinc quoque in tumulo Laidis famigera-

 tissimæ

tissimæ meretricis, quod ante urbem Corinthum uxta Veneris erat templum, conspiciebatur simulachrum leænæ, arietem fovens inter pedes priores: nempe quia aries insignitè lascivus.

Quòd verò in Scripturis modò Christus, modò Diabolus, ut hoc quoque investigemus, Leonis nomine notetur, hoc ita intelligendum censemus: nempe ut Christo attribuatur Leonis pars anterior ac superior, tanquam cœlestis, ac fortitudinis & regiæ dominationis symbolum; quod illum ex quatuor Evangelistis Leonis imagine insignem digito quasi monstrâsse, ait Irenæus: Diabolo autem posterior & inferior, ut terrena, ac fugacitatis, insidiosæque malitiæ hieroglyphicum.

Cæterùm Leonis imaginem, in memoriam Leonis Nemeæi omnium ferocissimi ab Hercule Thebano superati, Iunonis beneficio inter astra locatum esse fabulantur. Missus enim dicitur ab ipsa Iunone ad interitum Herculis, quem illa implacabili, ac prorsus novercali prosequebatur odio, in silvam Nemeæam, sive regionem inter Argos, & Thebas sitam: quam irruens in feras & homines, totam ferè vastabat. Iccircò Hercules illum primò sagittis, sed frustra, deinde clavâ Molorchi tum primùm adeptâ adoriens, sive, ut aliis placet, prorsus inermis, juxta oppidum Cleonas, ubi armenta sua laniabat, confecit. Et hoc eò fingi suspicatur Heraclitus Ponticus, quòd Hercules furorem ex atra bile, qua laborabat, ortum, tandem superaverit. Qui morbus leoni valdè familiaris; unde & catulos suos furore impotentiùs exardescens, discerpere dicitur; ut proditum Horo l. 2, c. 38. Eodem quoque furore, Iunone immittente, Herculem correptum uisse, ac usque adeò sævire cœpisse, ut filios ex Megara susceptos interemerit, sive ut alii malunt, in ignem conjecerit, traditum Aristophani, Apollodoro l. 2, ac multis aliis, imprimis autem Euripidi in Hercule furente, & Theocrito in Megara, quam sic loquentem inducit:

Infelix, qui missilibus de munere Phœbi,
sive ea Parcarum, vel Erynnios impia tela,

gnatis

gnatis ipse suis Furiis agitatus, ademit
charam animam: ut domus ipsa cruore aspersa nataret.
Hos ego confossos manibus cecidisse paternis
jussa oculis spectare meis, miserabile visu.

Atque ob hanc quoque insaniam ad inferos descendisse fictus est.

Illam verò de Leone Nemeæo fabulam paullò aliter enarrat Chrysermus rer. Peloponnes. l. 2: ubi ait Iunonem supplicio Herculem coërcere tentantem, in auxilium accivisse Lunam; quæ magicis artibus cistam spumâ impleverit: unde natus sit hic Leo. Quem Iris postea in gremio stringens, in montem Opheltam, alii in Teumessum Bœotiæ, deportaverit: ubi statim eodem die Apæsamptum dilaniâsse refert Demodocus in reb. Heracl. Pellis ei erat nullo telo penetrabilis: quam, eo occiso, Hercules unguibus detractam vice scuti gestavit; ut Euripidi traditum loco adducto. Et Herculis exemplum secuti omnes ferè heroes, imposterum pellibus pro scutis usi sunt: ut Theseus, Argus, Ancæus, qui interfuit expeditioni Colchicæ, alii; ut est apud Apollodorum non uno in loco. Videatur quoque de hoc Signum Herculis; item Dionys. Halicarnass. Antiqu. Rom. l. 1, & 2, Ptolemæus, Hephæstion, Xenophon l. 2 de dictis & factis Socratis, & Ampelius in Libro memoriali.

Sed substituatur huic fabuloso Leoni potiùs ille, quem David occidit, 1 Samuel. c. 17, v. 36: sive etiam is, quem Simson discerpsit; in cujus cadavere postea examen apum cum melle repertum; ut legere est Iudic. c. 14, v. 6, & 8.

VI. VIRGO; die Jungfrau / das Jungfer-zeichen;

Ceres, Spicifera Dea, Manilio *Virgo spicea munera gestans*; Avieno *Isis*; *Erigone* Virgilio, aliisque; *Atargatis, Dea Syria*; Posidippo *Thesbia*; aliis

aliis *Fortuna*, Iovis nutrix; item *Concordia*, *Pax*, *Panda*, vel *Pantica*; Græcè εἰρήνης θεός: multis *Astræa*, *Themis*, *Iusta*, rectius *Iustitia*; Græcè Arato ἡ δίκη: item ἡ παρθένος, vel παρθένος θεός, hoc est *Dea Virgo*: Arabicè *Eladari*, quod *Virginem* sonat, *Sunbala*, Schickardo *Sunbalon*, id est, *spica*, στάχυς, denominando scilicet totum à parte (in Mappa enim Arabica pingitur *Manipulus spicarum*, vel *farraginis*, δέσμη τοῦ χόρτου, pro tota Virginis forma) aliis quibusdam *Adrenedefa*; quod juxta Persicum hujus Signi nomen, *Secdeidos de Darzama*, Latinè *Virgo munda puella* sonat. Videatur Albumasar lib. 6 Introductorii in ejus Astronomiam c. 2. Stellas complectitur in globo nostro 33; denotatque sterilitatem, & maturitatem frugum penè omnium. Media nocte in meridiano apparet sub finem Martii, & ineuntem Aprilem.

Huic Signo Postellus intra 26 *stellas tribuit*, *&* *sex extra*; *Bayerus verò* 42; *quarum una in Spica*, *quam manu tenet*, *primæ magnitudinis*; 5 *tertiæ in perizomate, cingulo, axillâ, &c.* 6 *quartæ*; 11 *quintæ*; 19 *sextæ, in capite, humero, brachiis, syrmate, & pedibus.*

Virgo, quia *Signum* est *Iustitiæ*, ab altera habet *Libram*, ab altera *robur Leonis*. In meditullio *spicæ*, seu *aristæ*, quam manus sinistra ostendit, fulget notissima illa, quæ vulgò vocatur *Spica Virginis*, Arabicè *Azimon*, vel *Alzimon*, item *Azimech*, & *Alazel*, vel *Alaazel*, Ios. Scaligero conjunctim *Hazimeth-alhacel*, vel *alazel*, aliis *Elgazel*, hoc est, ἀπεακλυλὶς, *fusus*, τὸ νῆθρον; Hermeti *Alhaiseth*, Schickardo *Huzimethon*, hoc est, *manipulus* vel *fascis aristarum*; in Tabulis *Asimech inermis*, ad distinctionem *Hazimeth*, *hastilis Bootæ*; Latinè *Vindemitor*, seu *Vindemiator*; Græcè ἡ στάχυς, id est, *Spica*; Postello *Sunbeleh*. In extremitate verò alæ dextræ gerit προτρυγητὴν, *Protrigeteh*,

trigeten, ſeu Προτρυγητῆρα Proclo, & Columellæ, hoc eſt, ſtellam Iovialem, & Mercurialem *Antevindemiatorem*, ſive *Provindemiatorem*, vel *Prævindemiatricem*, tertii luminis, Vitruvio προτρυγητὸν, id eſt, *provindemiam majorem*, à deſignatione temporis vindemiæ dictam: Arabicè *Almucedie*, *Alaraph*; veriùs *Almuredin Alcalſt* appellitant.

Alboaſar Arabs primo Sphæræ Perſicæ Decano, ſive primis decem gradibus, *Virginem* adſcribit. *Virgo* nempe *pulchra, capillitio prolixo, duas ſpicas manu geſtans, reſidens in ſiliquaſtro, ſive ſolio auleato, lactans, & cibans Eum, in loco, cui nomen Ebræa: puerum dico, à quibusdam nationibus nominatum IHESVM, quem nos Græcè CHRISTVM dicimus.* Et hanc I. Picus pro ſymbolo cœleſti nativitatis Ieſu reputat. Videatur de hoc Rogerius Bachonus Opere 3, ubi Alboaſaris verba ab Hermanno Dalmata Latinè verſa citat.

Horoſcopus in hoc ſigno, & in eodem Mercurius, & Venus, & Mars pariliter collocati eloquentiſſimos facit: quales maximè eſſe decet qui *Iuſtitiæ*, ſive juri dicundo præſident. Et ejuſmodi Hermodori, & Demoſthenis fuiſſe genituram legimus.

Cæterùm hæc, ut Ciceronis utar verbis,

Spicum *illuſtre gerens ſpectanti corpore* Virgo,

variis inſignitur appellationibus. Nonnullis enim appellatur *Ceres*, quæ Saturni, & Rheæ ſive Opis eſt filia, ac frugum dea, die Zehr- oder Zehrungs-göttin; vel *terra frugifera*. Hinc Manilius:

Spicifera eſt Virgo Cereris:

Aliis dicitur *Iſis*, ab Ebræo אשה *Iſcha*, hoc eſt, *virgo*, ſive *virago*: cujus mentionem quoque fecimus ad Signum Tauri. Et hæc Ægyptiis φυσικῶς, non hiſtορικῶς, eadem eſt, ac *Ceres* Græcis, vel potiùs Romanis, & Germanis. Hinc Feſtus Avienus in Arati Phænomenis:

Aut Peluſiaci magis es Dea littoris Iſis,
digna tori conſors, & cura latrantis Anubis:
ſeu tu diva Ceres.

& clarius Cedrenus p. 24: *Sic & Ceres dicitur reperiſſe frumentum, & hordeum. Hæc eſt, quæ Iſidis nomine colitur*

ab

ab Ægyptiis. Item Herodotus in Euterpe : Ἶσις δέ ἐστι, κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσαν, Δημήτηρ· Isis *verò secundùm linguam Græcorum est* Ceres. Ac Augustinus l. 8 de Civ. Dei, c. 27 : *De Iside, uxore Osiris, Ægyptiâ Deâ, & de parentibus eorum, qui omnes reges fuisse scribuntur : quibus parentibus suis illa cum sacrificaret, invenit hordei segetem ; atque inde spicas marito regi, & ejus consiliario Mercurio, demonstravit : unde eandem &* Cererem *volunt.* Atque ut Ægyptiaca *Isis* eadem est, ac *Ceres* Germanorum : ita eadem quoque est, ac illa Syrorum *Atergatis*, vel *Derceto*, sive *Dea Syria*, cujus mentio facta in Piscibus ; eò quòd terram, imò omnem naturam Soli subjectam denotet. Quin & hinc quoque à quibusdam ad *Virginis Signum* refertur, cùm ea spicas teneat : ut testatur Cæsius Bassus in Germanici tralationem Arateam; & Nigidius, qui addit : *Quidam verò* Fortunam (Virginem esse censent,) *pro eo, quòd sine capite astris inferatur*; vel, ut Hyginus habet, *quòd caput ejus nimium obscurum videtur.* Atqui sine capite pingebatur Ægyptiis *Iustitia*, cum palma in manu sinistra : ut tradit Alex. Aphrodisæus. Esse verò *Cererem*, vel *Isidem* magis, quàm *Fortunam*, inde liquet, quòd spicam manu teneat : ut testis est idem modò dictus Avienus, cùm inquit :

— *Sic nam fragrat* arista,
& *seu Siriaco torretur* Spica *calore*
protentata manu : *seu quæ pernicibus alis* &c.

Quin & nonnullis est *Erigone :* quæ non Ægisthi, & Clytemnestræ, ut quidam, hanc cum illa ejusdem nominis confundentes, autumant; sed Icarii filia, cujus mentionem quoque ~~fecimus~~ *faciemus* ad signum Heniochi, & Canis. Hæc auditâ patris morte, quem Attici pastores, ut indicat Lucianus in Nigrino, vino inebriati interfecerant, seipsam laqueo suspendit; Deorumque commiseratione, ob pietatem erga patrem, in cœlum translata, Virginis nomen, & locum obtinuit, teste Hygino fab. 226. Vnde Ovidius Metamorph. 10 :

— *Primus tegis,* Icare, *vultus,*
Erigoneque *pio sacrata parentis amore.*

& Vir-

& Virgilius lib. 1 Georgicorum:

Quà locus Erigonen *inter, Chelasque sequentes:*

Hîc incidit mihi in memoriam Orphei præceptum: *Cavendum est, ne Lunâ Virgini Signum præcurrente, vites plantentur.* Quos Virgo eò aversari dicitur, quòd vinum sit omnis nequitiæ fomentum; sive potiùs, quòd Erigones patrem à vino inebriatis interfectum recordetur.

Præterea quoque *Thespiam* in Virginis signum mutatam tradit Posidippus libro de Diis, & Heroibus. Ea autem filia erat Asopi Thebani, & Metopes Ladone prognatæ: cui Apollo tria munera concessisse dicitur: scilicet ut civitas Bœotiæ juxta montem Heliconem de ejus nomine diceretur; ut in Virginem cœlestem converteretur; denique ut vaticinia edere posset.

Sed receptiori opinione dicitur *Astræa*; item *Themis.* Fuit autem *Astræa*, Astræi Arcadiæ regis, (quidam scribunt Titani fratris Saturni) & Auroræ, sive, ut Hesiodus, & alii volunt, *Iovis*, ac *Themidis* Cœlo, & Terrà prognatæ filia, ob æquitatem suam *Iustitia* dicta. Quæ aureo illo seculo è cœlis in terram migrâsse; & tandem, in subsequenti cupreo, & ferreo, vitiis hominum crescentibus offensa, in cœlum iterum subvolâsse fingitur. Vnde in Octav. Seneca:

Neglecta terras fugit, & mores feros
hominum, & cruentâ cæde pollutas manus
Astræa Virgo, *siderum magnum decus.*

Item Ovidius Metam. 1:

— *&* Virgo *cæde madentes*
ultima cœlestûm terras Astræa *reliquit.*

Recepta autem dicitur Astræa in cœlum, quòd leges à se conditas, ut testamentum, hominibus reliquerit: vel quòd impiis Patris, fratrumque restiterit ausibus; qui montes montibus superimponentes, cœlum expugnare, Iovemque è sede sua exturbare conati sint. Et caput nubibus velatum videtur; quia solum Deum intuens, justitiam administrat. Iudex enim, ne minis, aut precibus ab æquo dimoveatur, oculos claudat, & aures, ac solo Deo leges dictitanti pateat oportet. Hinc

Athe-

Athenis in Areopago, reus velato capite, ne Iudicum moveat affectus, causam dicere jubebatur.

Attamen & sunt, qui *Astraeae*, sive *Iustitiae*, & *Cereris* memoriâ hîc, ut videtur, extinctâ, Virginem repraesentant imagine *Concordiae*, sive *Pacis*. Talem efformavit in Arateis Germanici illustris Hugo Grotius; & in veteri MSS· Hygini sui Comelinus: ubi manu dextrâ *olivam*, sinistrâ *caduceum* ostendit. Bayerus autem utrumque, scilicet *Pacis*, & *Cereris* numen conjunctim repraesentare volens, in Vranometria sua Virginis dextra indidit *olivam*, sinistrae verò *aristam cum culmo evulsam*. Eadem vocabatur *Panda*, & *Pantica*: de qua Gloss. Philoxeni: *Panda*, εἰρήνης θεός. Et apud Arnobium l. 4 legas, *quòd Tito Tatio Capitolinum ut capiat collem*, viam pandere, *atque aperire permissum esset*, *Deam* Pandam *esse appellatam*, *vel* Panticam. At in Capitolio, juxta aedem Iunonis Monetae, *Concordiae* erat templum; ut *Pacis* foro proximum. Aliis tamen placet *Pandam* esse *Cererem*; ut videre est apud Varronem l. 1 de vita populi Romani, ubi inquit: *Hanc Deam Aelius putat esse* Cererem: *sed quod in asylum qui confugisset, panis daretur, esse nomen fictum à* pane dando pandere, *quod est* aperire.

Denique quòd Virginem hanc quidam appellent *Fortunam*, non praestantiorem video causam, quàm quòd *Iupiter cum Iunone in gremio Fortunae mammam apprehenderit*: ut Cicero testatur l. 2 de Divinatione. Atque eâ causâ Altricis Deae nomen, aequè ac Isis, sive Ceres, meruisse videtur: apud Stoicos imprimis, quibus & eadem est ac divitiarum Dea; scilicet quatenus divitias, quas exinde *fortunas* dicunt, largitur. Imò fortè non aliunde est, quòd Bupalus, qui Fortunae simulachrum omnium primus effinxit, Amaltheae cornu ejus indiderit dextrae: ut traditum Pausaniae in Messeniacis. Videatur & de hoc Arnobius l. 3 advers. gentes; ubi inter alia haec scribit: *Caesius & ipse assequens* Fortunam *arbitratur*, *&* Cererem, *& Genium Iovialem*, *ac Palem*; *sed non illam feminam, quam vulgaritas accepit: sed masculini nescio quem ministrum Iovis, ac villicum.*

Quid

Quid multis? Cùm Virgo cœlestis & Astrææ, sive Iustitiæ, & Cereris, h. c. Deæ frumentorum sit symbolum; quid impedit, quò minus credamus illam unà esse symbolum, sive signum Pacis, ac Fortunæ: quia Fortunâ favente, Paceque florente, etiam floret Iustitia, sive legum observantia, ac viceversâ; imò his tribus florentibus, insimul floret, si non semper actu, tamen potentiâ, ipsa Ceres, hoc est, agricultura, ac frumentatio. Atque sic in unum numen coalere, & confluere quasi videmus has quatuor Deas *Fortunam, Pacem* sive *Concordiam, Iustitiam,* & *Cererem*. Quippe Ceres sua munera, suasque fruges fundere, ac ritè distribuere non potest, si Fortuna non adsit, si Pax sive Concordia homines destituat, si denique leges non observentur. Atque hinc est, quòd Ovidius l. 5 Metamorph. de Cerere scribat:

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro;
prima dedit fruges, alimentaque mitia terris:
prima dedit leges. *Cereris sunt omnia munus.*

Ac Cicero Actione 7 in C. Verrem de Cerere, & Proserpina scribens, in hæc denique erumpat verba: *A quibus initia vitæ, atque victus, legum, morum, mansuetudinis, humanitatis exempla hominibus, & civitatibus data, ac dispertita esse dicuntur.* Imò non alia de causa *terram* ipsam vocat *justissimam* Virgilius in primo Georgicorum:

Fundit humo facilem victum justissima tellus.

Vbi *Astræa*, & *Ceres* in unum quasi numen conjunctæ videntur.

Verùm nos pro omnibus istis vanis, ac merè fictitiis nominibus, potiùs vera ex ipsis sacris literis eligamus, & aut substituamus Chilionis viduam illam Moabiticam *Ruth*; quæ cum Socru sua Naëmi in Iudæam profecta, in agro Boasii, futuri mariti, aristas collegit: aut, si mavis, ipsam benedictam, & perpetuam *Virginem MARIAM*, Christi Salvatoris Matrem, Luc. 1. 28, &c.

VII. LI-

VII. LIBRA; die Wage/ die Wag-schale/ das Wagegestirn;

Ciceroni *Iugum*; Ampelio *Mochos*; Manilio *Vulcani ſidus*, aliis *Veneris*; *Chelæ*, Scorpionis ſcilicet, olim hucusque produci ſolitæ, *Noctipares*, Arato Φαέων ἐπιδευέες luminum indigæ: Ebraicè מאזנים, *librile cum trutina*: Græcè Ζυγὸς, Σταθμὸς, Στατὴρ, Λίτρα, Χηλὴ: Arabicè *Almiſan*, *Mizan*, *Mizin*, Schickardo *Midſanon*, id eſt, *bilanx*; quibuſdam *Azubene*, vel *Acubene*, quod tamen magis Signo ♋ convenit. Atque hinc Lanx ejus ſeptentrionalis juxta Scaligerum Arabicè vocatur *Zubeneſchemali*, Schickardo *Zubenos-ſemali*, id eſt, *Scorpii Chela ſiniſtra*; Græcè χηλὴ βόρειος: auſtrina autem *Zubenelgenubi*, Schickardo *Zubenol-genubi*, id eſt, *Scorpii chela dextra*, *ſive meridionalis*, Græcè χηλὴ νότιος: quod Bayerus planè invertit. Meridianum mediâ nocte occupat hoc Signum, ineunte Majo: & decem tantummodo ſtellas in Globo noſtro complectens, deſignat æquitatem, ſive naturæ æquilibrium; eò quòd tempus æquinoctii auctumnalis limes eſt inter apparentem, & latentem naturæ partum, hoc eſt, inter tempus naſcentium, nempe ver & æſtatem, & denaſcentium, nempe auctumnum & hiemem.

Poſtellus Libræ 8 *ſtellas aſſignat intra, & extra novem: Bayerus autem* 15; *quarum una in lance, & altera in Scapo, ſive librili ſecundæ magnitudinis; tertia tertiæ; octo quartæ; duæ quintæ, & rurſus duæ ſextæ, hinc inde conſpicuæ.*

Hoc Signum Libra videtur dictum, quia Sol in eo exi-

existens, dies & noctes quasi trutinat, & æquilibrium, hoc est, æquinoctiale Auctumni tempus, ut Veris Aries, constituit. Hinc Virgilius 1 Georgicorum:

Libra *die, somnique pares ubi fecerit horas,*
& medium luci, atque umbris jam dividit orbem,
exercete, viri, tauros.

& Manilius:

Libra, Ariesque *parem reddunt noctemque, diemque.*

Est autem *Libra* in Globis nostris Signum inanimans; cui in veteri astrothesia addebatur *Libripens*; fortè *Mochos*: qui primus libræ pondus invenit; ideoque in numerum stellarum receptus, Libraque, sive potiùs Libripens appellatus videtur. Alii à Virgine, fortè cùm ea signum sit Iustitiæ, gestari volunt: ut Kalendaria ambo rustica Romana. Quin & adulatores Poëtæ Imperatori Augusto à Vulcano fabricatam, & inter astra numeratam in manus tradunt: & id quidem propterea, quòd, anno ordinato, Augusti natalis in principium Libræ inciderit; ut Scaliger in Manilium annotavit: sive, ut Bersmannus ait ad Virgilii librum 1 Georgicorum, quòd Signum hoc horâ natali Augusti in medio cœli fuerit, oriente Capricornio. Virgilii verò Augustum alloquentis versus sunt hi:

Anne novum tardis sidus Te *mensibus addas:*
quà locus Erigonen *inter*, Chelasque *sequentes*
panditur: ipse tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpius, *& cœli justâ plus parte relinquit.*

Iccircò miror Ioannem Micrælium in Manuductione sua ad Globi cœlestis & terrestris usum, hæc verba protulisse: *Scorpius vocatur Arato* Fera magna, μέγα θηρίον, *quia per duo Signa olim chelas extendit, quas Virgilius l.* 1 *Georg. finxit contractas*; *ut* Stella Iulii Cæsaris *eo loco reciperetur, ubi jam pingitur Libra.* Sed confundit *Stellam Augusti Cæsaris,* cum *Cometa*; qui post *Iulii Cæsaris* mortem in Chelarum Scorpii, sive Libræ partibus apparuit; ac Iulii Cæsaris animam esse creditus est. Vnde Ovidius Metamorph. l. 15:

Hic tamen (Æsculapius) accessit delubris advena nostris.

Cæsar *in urbe suâ Deus est: quem Marte, togâque*
præcipuum, non bella magis finita triumphis,
resque domi gestæ, properataque gloria rerum,
in sidus *vertere* novum, stellamque comantem,
quam sua Progenies. ---

Ludis enim, quos primò consecratos ei edidit *hæres Augustus*, stella illa crinita per septem dies continuos fulsit: ut traditum Suetonio Tranquillo in Cæsare l. 1, cap. ultimo. Videatur de hoc quoque & Vossius de Idololatria l. 3, pag. 774. Constat autem Libra, præ cæteris, duabus claris, quæ *Lances* appellantur, ut supra diximus.

Verùm ad hoc Libræ Signum non incongruè quoque referre possumus illud *Tekel*, sive *Trutinam* Belsazarum explorantem: de quo videatur Daniel cap. 5, v. 27.

VIII. SCORPIUS; der Schorpion;

Scorpio, Marco, & Quinto Ciceroni *Nepa*; Manilio *Martis sidus*: Ebraicè עקרב: Græcè Σκορπίος, Arato Μέγα Θηρίον, hoc est, *Fera magna*, Manilio ὀπισθοβάμων, i. e. *retrogradus*: Arabicè *Hacrab*, *Alatrab*, rectiùs *Alacrab*, Schickardo *Alacrabo*. Hinc chelæ ejus Arabibus propriè vocantur *Zuben-hacrabi*, sive etiam aliter *Zuben elakrabi*, & *Zubenelgenubi*, ad differentiam *Zuben Essartani*, hoc est, *chelarum cancri*. Stellas autem complectitur hoc signum, quod mediâ nocte in meridiano sistitur Majo deficiente, & emergente Iunio, in globo nostro 23 aëris infectionem, morbosque pestiferos, item dolos, & insidias denotantes.

Iuxta Postellum in ipso Signo 22 *reperiuntur stellæ, & extra illud* 3: *Bayerus autem numerat* 29; *quarum una prima magnitudinis, cor; rursus una secundæ frontem; novem tertiæ*; 10 *quartæ*; & 8 *quintæ, chelas, & caudam, imò adhuc aliæ parvulæ pedes occupant.*

Cor Scorpionis Græcis quibusdam dicitur ὁ ἀντάρης, quod Sophocli *Vespertilionem* significat; aliis ἀντάρης, hoc est, quasi *Martis vicarius*, & Hesychio *Tyrannus*, ob violentiam Martialem cum Ioviali mixtam; item *Insidiator*, quia quem Scorpius cœlestis nascentem excepit, Ambrosio ipso ex Astrologorum sententia teste, ejusmodi homo, imò & percussor evadit: atque eâ causâ Scorpius terrestris, qui hujus signi naturam imitatur, insidiarum est symbolum; unde Sophocles in Captivis:

Ἐν παντὶ γὰρ τε σκόρπιος φρουρεῖ λίθῳ.

& Nicander in Theriacis:

Σκορπίος ἀκρεΐδης ὀλίγῳ ὑπὸ λᾶϊ λοχήσας·

Scorpius insidias parva sub caute tetendit.

Præterea Tabulis est *Tendens ad rapinam*: Arabibus *Kalb elakrab*, sivè *Kalbalacrab*, Schickardo *Calbolacrabi*, hoc est, *Cor Scorpii*.

Cauda verò *Scorpionis*, Græcis est τὸ Κέντρον τοῦ σκορπίου, hoc est, *Centrum Scorpii*; Arabicè *Alascha*, id est, *arcuatio caudæ*, aliter *Leschat*, sive potiùs *Lesath*, Schickardo *Laschaton*, id est, *ictus*, non *morsus*, sive *aculeus scorpii*; aliis *Schomlek*, Scaligero *Moschlec*, i. e. *flexus*, *illaqueatio*, *arcuatio caudæ*: Ebraicè עקיצה. Atque sic dicitur stella, quæ caudam occupat.

Chelæ succedunt in partem Libræ: unde Libra Scorpionem dicitur attrahere; *Chelarumque* etiam nomine *Libra* intelligitur. Libra enim, & Scorpio unum olim erant Signum: & hinc est, quòd Scorpionem Aratus Μέγα θηρίον, das Große tier, vocaverit: imò Ovidius de illo ipso dixerit:

Porrigit in spacium Signorum membra duorum.

Scorpius autem inter sidera relatus fertur; quòd talum Orionis Hyriei & Coloniæ, Hesiodo & Tzetzi Brylles, Pherecidi & Apollodoro Euryales filii viribus suis nimium fidentis, & jactantis nullam esse feram, quam non conficeret, gravissimè percusserit: idque jussu Dianæ factum ajunt, aliis nimium sibimet ipsis confidentibus in perpetuum exemplum. Ampelius tamen scribit, quòd Diana *Scorpium*, ejus jussu, in monte

insulæ Chiûs Pelenæo ad Orionis perniciem natum, illi Deam inter venandum stuprare conanti ipsa supposuerit, quo vitâ privaretur. Et eâ quoque privatum prodidit Euphorion. Quod Horatius sagittâ factum fuisse canit Carminum l. 3:

--- *Et integræ*
tentator Orion *Dianæ*
Virgineâ domitus sagittâ.

Sed plura de hoc ad Signum Orionis.

Verum enimverò sub hoc Signo etiam intelligi poterit ille *Scorpius*, quem Rehabeamus, ut populum eò graviùs puniret, flagellis afflixit; quemadmodùm legere est 1 Reg. c. 12, v. 11.

IX. SAGITTARIUS; der Schütze/ das Schützen-gestirn;

Arcitenens; *Centaurus*, *Taurus*; *Croton*, sive *Crotus*; *Chiron*, *Phillyrides* sive *Philirides*; *Eumenes*; *Semivir*; Capellæ *Telum*, *Sagitta arcui applicata*, Arato *Arcus*, *Thessalicæ Sagittæ*, in Mappa *Pharetra*; Manilio *Dianæ sidus*; Græcè Thucididi, & Xenophonti Τοξότης, id est, *Sagittarius*, item Arato, & Oppiano Τοξευτὴρ, *arcitenens*, Arâto ῥυτὼρ τόξȣ, id est, *tractor sagittæ*, βελοκεράτωρ, id est, *Sagittipotens* Ciceroni, Arato ἱππότης, h. e. *Eques*: Ebraicè קשת: Arabicè *Elkusu*, *Elkausu*, *Elkuschu*, Schickardo *Alkavuso*, id est, *Arcus Sagittarii*. Meridianum permeat nocte mediâ, circa discessum Iunii, & ingressum Iulii: comprehenditque in globo nostro 32 stellas caliditatem, & siccitatem significantes.

Postellus hoc Signum 31 *absolvit stellis*; *Tycho Brahæus* 14. *scilicet Ovidium secutus, qui Fastor.* 5 *sic canit:*

Nona dies aderat, cùm tu, justissime Chiron,

bus septem stellis corpora cinctus eras:

Bayerus verò itidem, ac Globus noster, 32; quarum duæ primæ magnitudinis in dextro pede; 8 tertiæ; 9 quartæ; 8 quintæ; 5 sextæ, in capite, collo, ἐφαπτίδι, sagittâ, arcu, manu, & pedibus conspiciuntur. Est autem ἐφαπτὶς H. Grotio injectum quoddam superhumerale, purpurei coloris, militibus, ac venatoribus usitatum.

Arabes loco Sagittarii *Pharetram* tantummodò ponunt; quia humanas facies non pingere solent. Hinc etiam dicitur à quibusdam *Arcus*, *Sagitta arcui applicata*, &c. ut supra. Hic autem Sagittarius non est *fictitius* ille *Puer, qui*, ut Misoponerus eum depingit, *aureâ cæsarie ambrosiæ veluti guttis saturâ decorus, nativum & rosæ puræ, quam & insidiosa Cupidinis mater cruore suo tinxit, mixtum pulchrâ facie splendorem referens, blandis oculorum nictibus amabilem risum comitantibus, amorem spirat, ac omnes Charitatum amores extinguit; imò sagittâ valde parvâ, auréâque armatus, corpusculo prorsus denudato incedit.* Quippe in globo nostro, ut Anthropophagus quidam, truculento vultu, arcu minaci, & ferreo, ac quasi trabali telo exitium minitans, chlamydatusque figuratur. Chlamydem autem illam asterismi vocant ἐφαπτίδα; quo brachium pugnaturi, sive cum feris congressuri olim involvebant. Suspendebatur enim nodo è collo, instar paludamenti Romani, hoc uno discrepans, quòd brevior esset. Videatur de hoc Pollux, & Athenæus de equitibus; item Lazarus Baifius de re vestiaria l. 1, c. 11.

Cæterùm de hoc *Sagittario* variæ sunt opiniones. Quidam memorant illum esse *Chironem* Centaurum Saturno in equum mutato, ac Philyrâ sive Phillyrâ Oceani filiâ, teste Apollonio l. 2 Argonaut. & Ovidio Metamorph. l. 6, prognatum. Vnde etiam apud eundem Apollonium l. 1 Φιλυρίδης appellatur: &, ut reliqui Centauri, biformis, hoc est, parte superiore homo, inferiore equus fingitur: ut ad Centauri signum, quod adi, fusiùs dicturi sumus. Saturnus autem ille, sive ut aliis quoque dicitur, Neptunus Thessalicus, fuit rex Larissæ in Thessalia, & vero nomine vocabatur Ixion; quomodo Suidas, qui Chironem Ixionis filium dixit,



indicare videtur. Hic primus artem equestrem docuisse fertur gentem suam; unde ad Græcorum alios se illa diffuderit. Et hinc quoque nomen Neptuni, non quidem illud, quod latiùs patet, & maris simul negotium comprehendit; sed Ποσειδῶνος ἵππιος, ut Aristophanes in Nubibus vocat, hoc est, *Neptuni equestris*, quem Romani *Consum* dixere, cum aliis, qui arte equestri excellebant, in continenti principibus, adeptus est. Vnde etiam hujus ludi solemnes à Romulo instituti, teste Livio l. 1, & Varrone l. 5 de Lingua Latina, *Consualia*; illius verò, nempe, ut distinctim dicitur, Ποσειδῶνος Σεισίχθονος, *Neptuni terram quatientis*, hoc est, θαλασσοκρατοῦντος, *ejus; qui maris haberet imperium*, *Neptunalia* dicebantur. Quorum solemnitas diversa diversis quoque mensibus celebrabatur: nempe Neptunaliorum mense Martio, Consualiorum Augusto; ut Plutarchi Romulus contra Servium ad 8 Æneidos, aliosque perperam ea confundentes testatur. Videatur de hoc quoque Tertullianus de spectacul. l. 5; item Dionysius l. 1, & Diodorus l. 5. Sanè Neptunus ille, quem primum in Thessalia equum exhibuisse ex Aristophane in l. 1 Georgic. annotavit Valerius Probus, non alius fuit, si ad historiam referatur, quàm Saturnus sive rex Thessalus *Ixion*. Imò ea ipsa res Poëtis occasionem præbuit, ut Saturnum cum Philyra in insula Philyreide concumbentem, interventu uxoris, in equum mutatum amorem suum occuluisse fingerent: quomodo fecit Apollonius Argonaut. l. 2, & Virgilius, cujus verba ad Signum Equulei videbimus. Nempe quia equo; quem primus exhibuerat, sive condocefecerat, conscenso fugam capesserat.

Quòd attinet Chironem: ille, prodente Pausania in Laconicis, & Staphylo Rer. Thessaliæ l. 3, præceptor constitutus dicitur Achilli à patre Peleo Æaci, & nymphæ Daidis filio, fratreque Telamonis, ac Phoci: idque propter ejus bonitatem, ac justitiam, qua ætatis suæ homines omnes longè superaverit; ut testis est Euripides in Iphigenia. Sed non præceptor solùm fuit Achil-

Achillis; verùm etiam omnium pœnè sui temporis Græciæ Principum, ac Heroum: ut Herculis, Iasonis; imò ipsius Æsculapii Medicorum principis. Quippe qui medicus, ac chirurgus, medendi artem eos imprimis docuit. Quòd empiricus fuerit, hoc est, longa rerum experientià herbarum vires, & medicamenta invenerit, idipsum testatur Pindarus Nem. & Pyth. ode 3, item Plinius l. 7. Hinc quoque nomen herbæ; quam à Chirone Centauro quod ad vires primùm inventam, Græci dixere κενταύριον, *Centaureum*, ut est apud Dioscoridem l. 3, c. 8; sive κενταύρειον, & κενταυρεῖαν βοτάνην, hoc est, *centauream herbam*: quod Germani originem vocabuli ignorantes, malè **tausend gulden kraut** reddidere. Nam ad literam, ut vulgò dicitur, rectiùs reddidissent **Stachel-reiters-kraut**, sive **Ochsen-treibers-kraut**: quia compositum est ex Græco κεντεῖν, *pungere, stimulare*, & ταῦρος, *taurus*; non autem, ut illi putârunt, ex Latino *centum*, **tausend**, & *aurea*, vel *aureum*, **gülden**: ut ad signum Centauri pleniùs parebit. Quin & idem non solum herbis, sed etiam citharà, cujus pulsandæ mirificè expertus dicitur, nonnullos sedavit morbos: ut Boëtius in Musicis, & Staphylus loco memorato prodidere. Cæterùm Chiron ille sagittà Herculis veneno Hydræ Lernææ tinctà, teste Cratino, & Acusilao, ex improviso læsus, ac brevi post vità functus, unà cum sagitta translatus dicitur in cœlum: ubi juxta Capricornum Sagittarii efficit Signum. Vnde Virgilius de Signis Zodiaci scribens:

Armatusque arcu Chiron, *& corniger Hircus*, &c.

Et Ovidius Fastor. l. 5:

Nocte minus quartà promet sua sidera Chiron
Semi-vir, & flavi corpora mistus equi.

Verùm nonnulli contendentes Chironem potiùs efficere illud Signum, quod *Centauri* nomine in globis repræsentatur, affirmare conantur hunc Sagittarium, ut habes apud Hyginum, esse *Minotaurum* ex Pasiphaë, Solis & Perseidis filia, natum: cum qua, absente viro, sive, ut nonnulli vocant, fratre, Minoë II, Creten-

sium rege, Taurus, qui Servio Minois Notarius creditus, aliis exercitus Præfectus, in domo Dædali lignea, ut vaccam, quam ad id fecisse fingitur, ligneam interpretor, concubuerat: adeò ut occasionem dederit fabulæ, qua Pasiphaë rem habuisse dicitur cum invento Dædali tauro. Atque hinc nota Dædali in Siciliam ad Cocalum regem fuga; & Minois Dædalum persequentis in eandem adventus. Idipsum quoque, præter Pausaniam in Atticis, Achaicis, & Bœoticis, Lucianum in dial. de Astrol. Ovidium, Greg. Gemistum Rer. Græc. l. 1, aliosque, innuit Maro Æneid. l. 6; ubi de Labyrintho, Dædali è stirpe Metionidarum regia oriundi invento, agens, sic scribit:

Hic crudelis amor Tauri, suppostaque furto
Pasiphaë, mistumque genus, prolesque biformis
Minotaurus *inest, Veneris monumenta nefandæ.*
Hic labor ille domus, & inexplicabilis error.

Alii tamen suspicantur Pasiphaën in amorem Tauri incidisse fictam; quòd, cùm Dædalum de stellis loquentem audivisset, in amorem scientiæ astrorum, imprimis autem Tauri inter astra collocati, inciderit: ut pluribus indicat Lucianus loco jam memorato. Ejus autem filius, nomine ex duobus composito, vocabatur *Minotaurus*; quia, cùm ex Tauro adultero diceretur natus, filius tamen Minois vulgo creditus est. Vnde & *biformis*, scilicet alterâ parte homo, alterâ taurus fingebatur; ut est apud Ovidium in Ariadna:

Nec tua mactâsset nodoso stipite, Thesea,
dextera parte virum, dextera parte bovem.

De hoc adeatur quoque Signum Coronæ Septentrionalis, & Herculis; item Vossius in Theologia Gentili l. 1, pag. 117.

Alii denique nominant *Crotonem*; qui ex nutrice Musarum natus, inque Musarum consortio in monte Helicone vivens, brevi temporis spacio excellentissimus Poëta sit factus; imò in silva Bœotica ex equo venatum postea exercens, venator peritissimus. Vnde mutatus in semihominem, & semiequum, Musarum precibus à Iove in cœlum translatus fertur. Verùm

Verùm missis his Poëtarum nugis, substituere in ejus locum juvat veram historiam ex sacro Codice depromtam. Atque sic hoc Signo potiùs intelligamus *Ismaëlem*, Hagar ancillæ Abrahami filium, quem optimum in eremo Pharan venatorem evasisse testatum reliquit Moses Genes. cap. 21, v. 20.

X. CAPRICORNVS; der Bok/ sive Steinbok;

quibusdam *Capra*, *Amalthea*; Manilio *Caper*, *Imbrifer*, *Gelidus*, Virgilio *Corniger Hircus*, *Æquoris Hircus*, Poëtis *Neptunia Proles*, *Pelagi procella*; item *Pan*, *Ægipan*; aliis *Signum Hiemale* & *Ianuale*, ac *Altera Solis porta*; Manilio *Vestæ sidus*: Græcè αἰγόκερως, *Ægocerus*, Nonno ἀθαλπὴς, i. e. *caloris expers*: Ebraicè גְּדִי; item *Asasel*: *Alcantarus*: Arabicè *Algedi*, Schickardo *Algedio*; quod *Caprum*, sive *Capricornum* significat. Meridianum circa medium noctis pervagatur, sub finem Iulii, & inito Augusto: stellasque complectitur in globo nostro 27, pluvias, & frigiditatem denotantes.

Postellus numerat 28; *Bayerus vero* 29; *nempe quatuor tertiæ magnitudinis, in cornu sequente, fronte, & eductione caudæ, quarum antecedens Arabicè* Denebalgedi, *Schickardo* Dhanbolgædii, *i. e.* Cauda Capri *dicta*, ♃ *&* ♄, *Cardano* ♂ *&* ♀ *naturam participat*; *porrò unam quartæ*; *7 quintæ*, *& 17 sextæ hinc inde per totum corpus sparsas.*

Signum hoc vocatur *hiemale*; quia Sol in eo consistens, longissimè à nobis recessit, adeò ut hiemis impetum minùs impedire valeat: item *Ianuale*, sive *altera Solis porta*; quia cum primo quadrat mense, Iano universitatis parenti dicatus; vel quòd januam Sol recessu suo hiemi quasi aperiat, ejusque ingressum admittat; sive

quòd idem in hoc Signo instar capræ, quæ pascendo semper altum petit, ab imis in altum remeet. Duos enim Tropicos illos Signiferum secantes duas Portas vocârunt, per quas creditum vulgò fuit animas è cœlo in terras descendere, & rursum ascendere. Cancer autem putabatur hominum porta; Capricornus Deorum: quòd per illum descendant animæ ad mortales; per hunc rursus ascendant ad immortalitatem. Hinc Pythagoras Ditis imperium à Circulo lacteo incipere credidit; quòd animæ inde lapsæ à superis recesserint in corpora mortalia. Animæ verò, quamdiu in Cancro hæreant, nondum à superis recessisse: sed cùm ad Leonem pervenerint, in corpora defluere, ac vitæ exordium auspicari dicebantur.

Est autem *Capricornus* Signum δίμορφον, καὶ διφυὲς, Vestæ matri Saturni, sive potiùs, ut alii malunt, filiæ ejus Vestæ, quam nonnulli quoque Rheam dixere, ut alio loco videbimus, tanquam ejus Præsidi, dicatum. Nam pars *caper* est, pars *piscis*; cujus ultima cauda, sive caudæ fastigium, & eductio, Græcis πάρεργον dicitur. Hunc Augustus Imperator habuit horoscopantem: unde & in Nummis argenteis, & æreis apud Adol. Occonem pag. 42, & Rossinum l. 2 Antiquitatum Romanarum fol. 45, *Signum Augusti natale* vocatur. Quod itidem affirmat Germanicus Cæsar in ἀνεκδότοις, de Capricorno loquens:

> *Hic,* Auguste, *tuum genitali corpore numen*
> *attonitas inter gentes, patriamque paventem*
> *in cœlum tulit, & maternis intulit astris.*

Videatur de hoc quoque Scaliger in Manilium pag. 147; item Suetonius in Augusto, Caussinus de Symbolica Ægyptiorum Sapientia, pag. 110, & Bayerus in Vranometria.

Cæterùm *Capricornum*, quoad dimidiam partem imaginem esse dicunt illius *Capræ*, quæ Poëtis *Amalthea* vocatur: cujus lacte duæ Nymphæ, Adrastea, & Ida, Melissei regis Cretensis, ut quidam volunt, filiæ, Iovem ex Rhea recens natum, metu patris Saturni infantes devorare

rare soliti, in monte Insulæ Cretæ Ida, vel Dicte occultantes, nutriverint: ut auctor est Hermogenes in libro de Phrygia. Iupiter enim hujus beneficii memor, jam adultus, inter astra Amaltheam collocaverit; Cornu ejus altero, tanquam officii præmio, nutricibus suis concesso. Quippe magnam, Xantho teste in Reb. Ætolic. ei addiderat virtutem: unde & *Cornu copiæ* vocatur. De hoc vide sis Palæphat. in libello περὶ μύθων, sive ἀπίστων ἱστοριῶν. Pelle autem scuti vice, quod Græcè *Ægis*, ab αἴξ, hoc est, *capra*, ipse usus dicitur. Hinc Virgilius l. 8 Æneidos:

— — Arcades ipsum
credunt se vidisse Iovem, cùm sæpè nigrantem
Ægida concuteret dextrâ, nymbosque cieret:

Vide sis quid de ea diximus ad signum Aurigæ.

Quòd autem Capricornus pingatur formâ semipiscis, variæ sunt opiniones. Vnicam tantùm, & magis apparentem ex fabularum reconditoriis depromtam, hîc recensebimus. Convivantibus aliquando Iove, Mercurio, Dianâ, Pane, & aliis ejusmodi plurimis Diis in Ægypto, Typhoëus sive Typhon, Terræ & Erebi, juxta Hesiodum, sive, ut aliis placet, Titani fratris Saturni filius, Gigantum crudelissimus, interventu suo repentino, quibusdam convivis tantum incussit timorem, ut alii in hanc, alii in illam se transmutaverint formam. Apollo induit speciem Gruis, Mercurius alterius cujusdam avis, & ita consequenter reliqui Dii, usque ad Panem Mercurii, Homero teste, & Penelopes filium, pastorum, venatorum, atque adeò, ut Orpheus censet, totius Naturæ Deum. Qui in flumen proximum Nilum se conjiciens, ab anteriore corporis parte capræ, à posteriore serpentis, sive piscis formam assumsit, atque sic crudelitatem Gigantis evitavit. Sed quia formâ suâ mirabili ingentem risum per totum excitaverat cœlum, Iupiter ejus sic transformati imaginem, in perpetuam rei memoriam, juxta Sagittarium, postea inter astra locavit. Meminit quoque hujus fabulæ Ampelius, sed rebus gestis paullulùm immutatis. *Quó tempore*, inquit, *Python*

speluncas

ſpeluncas incolens in monte Tauri, *Ægyptum profectus eſt ad bellum*; Pan *ſe in capræ figuram convertit. Igitur dii, poſtquam Pythonem dignâ pœnâ affecerunt*, Pana *aſtrorum memoriâ decorârunt*.

Sed juvat ad hoc ſignum potiùs applicare *Caprum* illum *conciliatorem Aſaſel*, quem Aaron omnibus populi Iſraëlitici peccatis *onuſtum*, in eremum abegit; de quo legere eſt Levit. cap. 16, v. 8, 20, 21, & 22.

XI. AQVARIVS; Der Waſſerman/ Tränker/ Becher-diener/ Mund-ſchenke; Sündfluhts-man;

Iunonis aſtrum; *Deucalion*; *Ariſtæus*; *Ganymedes*, *Puer Iliacus*, Ovidio *Idæus*, *Iovis Cynædus* ſive *Catamitus*, *Iovis Pincerna* ſive *Pocillator*; Hygino *Cecrops*; *Fuſor aquæ*, *Amphora*, Apiano *Hydridurus*, Palingenio *Hydrochoos*, Horatio *aquæ Tyrannus*; Ægyptiis *Monius*: Ebraicè דְּלִי: Græcè ὑδροχόος; Arabicè *Edeleu*, *Aldalu*, Schickardo *Addelwu*, hoc eſt, *Situla*, ſcilicet *Aquarii*; Græcis ἡ κάλπις, ſive κάλπη; item ὑδραγώγιον, i. e. *aquarium*, Theoni οἰνοχοεῖον, *urna*, dictus, eò quòd humiditatem deſignet, & inducat. Meridianum mediâ nocte tenet circa finem Augusti, & principium Septembris; ſtellaſque comprehendit in globo noſtro 42: ex quibus illa Mercurialis & Saturnina, in termino fuſionis aquæ, ante os Piſcis, Poſtello Arabicè *Fomelhaut*, aliis *Fomahant*, rectiùs *Phomol-chuti*; Arato, & Proclo Græcè ὕδωρ, aliis ἔκχυσις, id eſt, *effuſio*, Arato χύσις ὕδατος ἔνθα καὶ ἔνθα σκιδναμένη vocatur: & alia in tibiâ ſiniſtrâ, nonnullis dextrâ,

trâ, quæ Venerea & Saturnina, Arabicè *Scheat*, id eſt *crus*, à *fulciendo*; rectiùs tamen Schickardo *Saidon*.

Poſtellus, extra ſignum tribus ſuperadditis, intra totidem numerat ſtellas; Bayerus autem 41; *nempe quatuor tertiæ, quibus continetur* Saidon; 7 *quartæ*; 23 *quintæ*; *& 7 ſextæ magnitudinis, in corpore, urna, & procedente ex illa fluxu conſpicuas.*

In Calendario Romano Ruſtico ſculptus eſt *Iuvenis humeris urnam bajulans*. Arabibus autem eſt *Mulus clitellatus cum duobus doliis*. At in noſtro Globo pingitur *Iuvenis planè nudus, qui dextrâ manu tenet urnam, ex qua profluit* diluvium; unde Pontanus:

Hinc tener humentes reſupinat Aquarius *undas*.

Siniſtrâ verò *oſtendit* mantellum, *ſive mappam abſterſoriam*; quæ Græcis dicitur φανόλης μανδύη, χειρόμακτρον λάσιον, hoc eſt, *ſindon*, ſive *linteum hirſutum ad abſtergendas manus*, ὠμόλινον, quod Hippocrati, & Galeno eſt *linum crudum*; item ἱμάτιον, συςρεμματίον τι περὶ χειρὸς. Et hinc eſt, quòd hoc Signum à quibuſdam in quatuor particulares conſtellationes dividatur, nempe in *Aquarium*, *Mantellum*, *Vrnam*, & *Profuſionem aquæ*.

Cæterum *Aquarius* à Nigidio vocatur *Deucalion Theſſalus*: qui cum uxore Pyrrha maximo cataclyſmo relictus in monte Ætna, demum propter reparatum genus humanum, inter aſtra ſit relatus. Eſt autem hic fictitius *Deucalion*, quem vulgò Iovis ex Iodamâ filium fuiſſe fabulantur, φυσικῶς, nullus alius, quàm *Noah*, ſub illa fabula latens: de quo legatur Moſes Geneſ. c. 8, v. 4, &c.

Aliis eſt *Ganymedes*, Iovis ille Phrygii, ſeu potiùs Tantali Phrygiæ & Paphlagoniæ regis Pocillator, & Pincerna, Trois Dardaniorum regis, Dardani nepotis, teſte Homero Iliad. l. 20, & Oroſio l. 1, c. 12, filius, ac Ili, qui Ilium, ſive Trojam condidit, & Aſſarici proavi Æneæ frater. Quem cùm dictus Iupiter ob eximiam

miam pulchritudinem deperiret, ab aquila, hoc eſt, quod Epiphanio viſum, *nave*, cujus inſigne *aquila*, vel *celeritate aquilinâ*, raptum, dum in Troadis monte Ida, aliis in Harpagia luco, venatur, in cœlum, nempe ſuam Phrygiæ aulam, portari juſſit,

cum Dîs ut tranſigat ævum;

canente Apollonio l. 3. Argonaut. Et tum *Aquarii* nomen nactus dicitur; quòd ſtans ad Iovis cyathum, cyathiſſans, ac nectar, ſive aquas fundens, Hebes Iovis ex Iunone filiæ, ac Herculis in cœlum recepti poſtea uxoris à munere, ob lapſum inconſideratum ac pudendum, remotæ, locum ſuppleret. De hoc teſtatur Virgilius Æneïd. lib. 3, & 5.

Dilectuſque Iovi puer. —
Intextuſque Puer *frondoſa* regius *Ida*
veloces jaculo cervos, curſuque fatigat
acer, anhelanti ſimilis: quem præpes ab Ida
ſublimem pedibus rapuit Iovis armiger uncis.

Item Ovidius l. 10 Metamorph.

Rex ſuperûm quondam Phrygii Ganymedis *amore*
arſit, &c.

Echemenes tamen Cyprius tradidit à Minoë Cretenſium rege ad concubitum raptum Ganymedem. Et Xenophon in Sympoſio, propter animi potiùs, quàm corporis, pulchritudinem in cœlum aſcitum ſuſpicatur. Hinc Cicero l. 1 Diſceptationum Tuſcul. *Nec Homerum audio, qui Ganymedem à Diis raptum ait, propter formam, ut Iovi pocula miniſtraret. Non juſta cauſa, cur Laomedonti tanta fieret injuria.* Sed fallitur Tullius, ſi per *Laomedontem*, Ganymedis patrem intelligit; ut hunc locum in Mythologia ſua accipere videtur Natalis Comes, cùm *Ganymedem Laomedontis filium* expreſſe dixerit, pag. 140, & alibi. Laomedon enim eſt Trois, unde *Troas*, & *Troja* dicta, ex filio Ilo nepos, & Ganymedis amitinus; Priami verò pater, ac Hectoris, & Alexandri ſive Paridis, qui rapuit Helenam, avus. At ego cenſeo, Ciceronem per *Laomedontem* minimè intellexiſſe *patrem Ganymedis*; qui Tros erat: ſed *amitinum*, qui Laomedon,

Ili

Ili fratris Ganymedis filius, fortè eductus in patrui Ganymedis, qui fratrum minimus, consortio, eoque illius intimus. Vt Cicero rectè dixerit, eo raptu Laomedonti Ganymedis amicissimo maximam fieri injuriam: quippe quo conjunctissimi disjuncti. Imò hinc quoque unà ad solatium consanguineorum, Ganymedes in cœlum receptus, ac inter astra constitutus fingebatur. Sed plura de hoc dicemus ad signum Aquilæ, & Antinoi.

Denique quibusdam, ut est apud Hyginum Poët. Astron. l. 2, in *Aquarium* post mortem conversus dicitur *Cecrops*, cognomento Διφυὴς, hoc est, *biformis*: qui ex Ægypto profectus, Athenas condidit, ac primus inibi regnavit: ut ex Charide constat. De quo vide sis quid ad signum Geminorum, & Aurigæ diximus.

Verùm commodissimè huic Signo applicari potest *Moses:* qui revera Aquilegis, sive Aquarii meruit nomen; cùm non solùm virgâ suâ miraculosâ aquas Maris Erythræi, sive rubri feriens, inque duas quasi diffindens partes, populum Israëliticum sicco pede transire fecerit, ut traditum Exod. c. 14, v. 21, & 22; imò in monte Horeb, & in solitudine Sin, eàdem virgâ vivam ex petra eduxerit aquam, ut ibidem legimus c. 17, v. 16, & Num. c. 20, v. 11: sed etiam ipse ex aquis, jussu filiæ Pharaonis regiæ Thermuthis, ut Atrapanus, Iosephus, & Suidas vocant, extractus sit. Vnde & Orpheo est ὑδρογενής, quasi dicas *aquigena*; imò sui ipsius testimonio Exod. c. 2, v. 10, dictus מֹשֶׁה *Mosche*, à משה, hoc est, *extraxit*; non autem, ut Flav. Iosephus à Græcis, quibus Μωυσῆς scribitur, deceptus, credidit, ex Syriaco μῶ, *aqua*; unde fortè *Monius*, uti ab Ægyptiis dictum ait Aben-Esra; & ὕσης, hoc est, *servatus*. Quod insuper etiam de *Ioanne Baptista* dicendum: sive, si fortè magis arridet, de *Noëmanno*; qui se aquis Iordani lavans, ex elephantiasi convaluit; ut ex 2. Reg. c. 5. v. 14. constat.

XII. PI-

XII. PISCES; Die Fische;

Piscis Gemellus, *Notius* & *boreus*, *Pisces Bambycii Hierapolitani*, *Dii Syri*; *Proles Dercia*, Ctesiæ Δερκετῶ, Theoni Δέρκις, *Dercis*, Δέρκη, *Derce*, *Derceto*, vel aliis *Dercetis*, &, quod idem est, *Atergatis*; item *Phacetis*, quam & *Facelitim* dicunt, Veneris filia, *Dea Syria*; *Dione* Veneris mater; *Vrania*; *Venus Syria cum Cupidine*; *Venus cum Adone*; *Dagon*; *Ichiguen*, forte *Ichthye*, filius Atergatidis Xantho; Manilio *Neptuni sidus*: Ebraicè דגים; Græcè τὼ ἰχθύε, ὁ ἰχθὺς νότιος, ϗ βόρειος; Διώνη; Οὐρανία; Arabicè *Elsemcha*, *Samch*, *Haut*, *Elhaut*, non *Elhautaine*, h. e. *pisces*; quia Arabes piscem boreum cum Andromedæ asterismo commiscent, & piscis australior non, ut in asterismis Græcis, vinculo, quod Ciceroni *nodus cælestis*, Ptolemæo λίνον dicitur, cum altero pisce borealiore, quem Chaldæi χελιδονίαν vocant, vinctus est: sed cum Ceto. Constat autem uterque Piscis in globo nostro 36 stellis; & denotat frigiditatem, & humiditatem simul: totoque ferè Septembri, & Octobri meridiano circumfunditur nocte mediâ.

Postellus numerat 34 *stellas intra*, *&* *extra signum* 4; *Bayerus verò* 37; *quarum una tertiæ magnitudinis in* nodo vinculi; 6 *quartæ*; 19 *quintæ*; *&* 11 *sextæ*; *in* utroque pisce, *&* vinculo *deprehenduntur*.

Pisces sunt signum aquosi Ianuarii, quo tempore ex latibulis suis rursus ascendunt. Alter dicitur *austrinus*, Ciceroni *australis*, Germanici Interpreti *Magnus*; ille scilicet sub Pegaso: alter sub Andromeda *Borealis*,

Chal-

Chaldæis *Piſcis Hirundinis*, ut ſupra diximus; ſuntque duplici faſcià, alterà auſtrali, alterà ſeptentrionali, colligati. Qui piſcibus his orientibus naſcuntur, aut erunt gemelli, aut gemelliparæ; ut Aſtrologis obſervatum. Gemellas enim, aut gemelliparas creare putantur omnia Signa δίσωμα, hoc eſt, ex duobus corporibus conſtantia.

Recepti autem dicuntur in cœlum, ut Hyginus ex Diogenete refert, hac imprimis ratione. Typhoëus ſive Typhon Terræ, ac Tartari vel Erebi, Heſiodo teſte, filius, qui Titanum, ſive Gigantum crudeliſſimus, Deorumque inimicus ac perſecutor acerrimus, cujus mentionem quoque fecimus in ſigno Capricorni, apparebat aliquando *Veneri* ex improviſo in ripa fluvii Syriæ Euphratis, quò ſe cum filiolo ſuo *Cupidine*, hunc hoſtem ferociſſimum fugiens, illa receperat. Is autem erat monſtrum horribile viſu. Quippe ex humeris centum capita draconum eminebant: crura maximis viperarum ſpiris obſita; corpus totum pennis tectum; crines è capite promiſſi ac impexi, barba prolixa, oculi ignei, ignis in ore multus; ut eum Poëtæ depingunt. Vnde Venus perterrita, ac metu conſternata, ſe cum filio ſuo in profluentem conjecit; ac in duos piſces, ut periculum eò meliùs vitarent, transformavit. Et de hoc apud Manilium Aſtronomic. l. 4 hæc habes:

Scilicet in piſcem *ſeſe* Cytherea *novavit*,
cum Babyloniacas ſubmerſa profugit in undas
anguipedem alatis humeris Typhona furentem;
inſeruitque ſuos ſquamoſis piſcibus ignes.
Nec ſolus fuerit geminis ſub piſcibus ortus.
Frater *erit, dulciſve* Soror, Materve *duorum.*

Quippe τὸ ὕψωμα, hoc eſt, *exaltatio* Veneris eſt in Piſcibus, ſigno humifico; uti ejùs ταπείνωμα, id eſt, *humiliatio* in Virgine ſigno ſterili. Hinc ait Manilius ortum ſub Piſcibus non ſolum futurum, ſed geminum: quod etiam modò attigimus.

Itaque hi Piſces, quorum formam Venus aſſumſerat, ἀποθέωσιν meruiſſe, ac Veneris, Cupidiniſque nomen

accepisse videntur; ut ex Ovidii libro 2 Fastorum, & loco Manilii adducto fusius cognoscere quis potest. Est autem μυθολόγημα Chaldæorum, & Syrorum; apud quos, cùm crederent ex Aqua, & Aëre naturam rerum imprimis constare, Aër Columbæ figurâ, Piscis verò Aqua, & *Venus*, cujus dextræ Philostratus quoque piscem indidit, colebatur; & hæc quidem sub nomine vel *Dagonis*, vel *Dercetûs*, vel *Atargatidis*. Atque

Inde nefas ducunt genus hoc imponere mensis,
Ne violent timidi piscibus *ora* Syri,

teste Ovidio loco memorato. Sed alii hanc fabulam de piscium colendorum ratione paullò aliter narrant. Vt Germanici interpres: *Piscis magnus*, inquit, *cujus nepotes* (Hygino *filii*) *dicuntur Pisces, qui in circulo Zodiaci constituti sunt, fertur in astra collocatus, eò quòd decidens in Boeth stagno Phacetis* (aliis *Aphacetis*) *filia Veneris, in Piscem sit transfigurata; quam Syri Deam* (fortè legendum, *Syriam Deam*) *nominaverunt*: Ac postea: *Quidam autem dicunt, quòd de stagno filiam Veneris salvaverit*. Item Diodorus Siculus l. II; ubi sic scribit: *Est in Syria urbs Ascalon, à qua non procul ingens, & profundus lacus piscium copiâ abundans, & in vicinia illustris Deæ templum; quæ Syris* Derceto *vocatur, facie mulierem, & toto alias corpore piscem referens; idque has ob causas accolarum hîc disertissimi fabulantur; nempe Venerem ab eâ offensam acrem adolescentis cujusdam Syri in sacrificantium turba haud inelegantis amorem* Deæ *injecisse*. Hanc autem *susceptâ è complexu Syri filiâ* (nempe Semiramide) *ubi ejus puduit concubitus, adolescentem necâsse, puellulâ in petricosum quendam locum, ac desertum*, (ubi columbarum vis nidularetur,) *expositâ; ubi occultè sit educata*, (*& à columbis nutrita*, quod Lucianus addidit) *usque dum eam domum suam receperit Simma, regiorum jumentorum magister, qui liberis carebat. Ipsam verò Deam postea pudore, ac mœrore compulsam, in lacum se abjecisse piscosum, & in piscem transformatam*, (pro quo apud Theonem, Græcum Arati interpretem, legas, *à piscibus esse servatam*.) *Hinc factum ut Syri etiamnum ab id genus animante abstineant, deorumque ritu pisces colant*. Sed videatur

tur de hoc quoque Baſſus Cæſius in Aratum, & Artemidorus l. 1, c. 9. Verba modò memorati Theonis ſunt hæc: οἵτινες Δέρκιν, τ᾽ Ἀφροδίτης θυγατέρα, ἐμπεσᾶσαν εἰς θάλασσαν, ἔσωσαν, ὅθεν εἰς τιμὴν τ᾽ θεᾶς οἱ Σύροι ἰχθύων ἀπέχονται τέτων· *Hi* piſces *ſunt, qui* Dercin, *filiam Veneris, cadentem in mare, ſalvârunt* (tranſvexerunt.) *Vade in honorem* Deæ, *Syri piſcium horum abſtinent eſu.* Ovidius tamen itidem innuit *eam credi in piſcem eſſe converſam,* dum 4 Metamorph. ſcribit:

—— Et dubia eſt, de te Babylonia narret
Derceti, *quam versâ ſquamis velantibus artus*
Stagna Palæſtini credant coluiſſe figurâ.

Athenæus l. 8. Dipnoſ. ex ſecundo Mnaſiæ de Aſia, commemorat, *Atergatin* reginam, teſte Antipatro Tarſenſe Stoico, libro περὶ δεισιδαιμονίας, *Syriam* vero nomine *Gatin* dictam, (quæ *Aſtartes* ſive *Europæ* creditur mater) durè rexiſſe; & edictum promulgâſſe, ne quis piſces ederet, ἄτερ Γάτιδος, *præter Gatidem*; unde poſtmodum *Atergatis* ſit dicta; quin & ut ſola piſcibus veſceretur, quicunque caperentur, ad ſe juſſiſſe deferri: indeque obtinere, ut adorantes Deam, aureos, & argenteos piſces offerant; ſacerdotes quoque ante ſimulachrum ejus, conſtituere piſces elixos, & aſſos, quos ipſi poſtea, in Deæ conſpectu, comedant. Quin & idem ibidem ex Xantho Lydo narrat, quòd regina hæc à Mopſo vate Lydo, Apollinis & Mantûs, ut fertur, filio, capta, & ob inſolentiam, injuriaſque multis illatas, tandem cum filio *Ichthye* (quod Græcis *piſcem* ſignificat) in lacu Aſcalonis ſit ſubmerſa, *& à piſcibus abſumpta.* Io. Tzetzes autem Chil. 9, c. 275 refert, *piſcem eam peperiſſe,* cum inquit:

Σύρων γραφαὶ δὲ λέγεσιν ἰχθὺν ἀυτὴν γενέσθαι,
ὅθεν ἐδὲ ἐσθίοσι τινῶν ἰχθύων Σύροι.

Alii *ovo prognatam* tradunt: unde Dii Syrii Arnobio dicuntur *ovorum progenies.* Qua de re Ampelius ſic ſcribit: *Dicitur in Euphrate fluvio ovum piſcis in ora fluminis columba adſediſſe dies plurimos, & excluſiſſe Deam benignam, & miſericordem hominibus ad bonam vitam.* Et Cæſaris

Germanici interpres: *Nigidius hos pisces dicit in flumine Euphrate fuisse, & ibi* ovum *invenisse miræ magnitudinis: quod volventes ejecerunt in terram, atque ita* columbam *insedisse, & post aliquot dies exclusisse* Deam Syriam, *quæ dicitur* Venus. Sed hæc potiùs ad filiam *Semiramidem*, quàm ad matrem *Atergatin*, spectare videntur: ut ad signum Columbæ pluribus demonstrabimus.

Atque sic fabulari de iis, qui in aquis submersi, aut servati, aut à morte piscis figurâ culti, veteres solent. Et Syros iccircò piscibus abstinere, præter Ovidium, Diodorum, & Tzetzem modò citatos, affirmat quoque Scholiastes Arateus; item Herodotus in Euterpe, Xenophon l. 1 de Expeditione Cyri, Artemidorus l. 1 Oneirocr. Clemens Alexandrinus in Protreptico, Phurnutus περὶ θεῶν, Hyginus fabula 197, Cicero in 3 de Nat. Deor. Iuvenalis, alii. Xenophontis verba de Chalo flumine loquentis hæc sunt: Πλήρη ἰχθύων μεγάλων, καὶ πραέων, οὓς οἱ Σύροι θεὺς ἐνόμιζον, καὶ ἀδικεῖν ὐκ εἴων, ὐδὲ τὰς περιστεράς. *plenum magnis, & mansuetis piscibus, quos Syri pro diis habebant, neque violari patiebantur; sicut nec columbas.* Timebant enim Syri, si piscibus ejusmodi vescerentur, ne illis venter, aut aliud membrum intumesceret; ut Menander apud Porphyrium l. 4. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων, luculentissimè testatur; uti & Plutarchus l. περὶ δεισιδαιμονίας, ubi sic scribit: *Syriam Deam superstitiosi existimant, si quis μαινίδα, & ἀφύας comedat, anteriora tibiarum arrodere, ulceribus corpus implere, & jecur colliquefacere.* Atque hinc *Deam Hieropolitanam*, sive Συρίαν Θεόν, ut Lucanus proprio ei dicato libro, & Plutarchus loco adducto, *Venerem in piscem mutatam* vocant, in sterquilinio se volutantes sacco operti placabant, eique supplicabant, quò, sicut tumorem immiserit, ita tolleret quoque. Videatur de hoc illustris Salmasius in Solini Polyhistora, p. 282.

Ex his non obscurè patet, *Atergatin*, & *Deam Syriam*, ut κατ' ἐξοχὴν dicebatur, eandem esse divam; præsertim cùm Strabo l. 16, postquam de Euphrate locutus esset, subjungat: *Bambyca, quam etiam Edessam, & Hierapolin,*

lin, sive Sacram Vrbem nuncupant. In qua colunt Deam Syriam, *quæ dicitur* Atargatis. Nec obstat, quod Lucianus (quem Cl. Vossius diversitatem harum Divarum astruere annitens, l. 1 de Origine, & progressu Idololatriæ, allegat) cùm dixisset *Atergatin,* sive *Decreto esse semimulierem, & semipiscem,* subjungit: *Sed quæ est in Sacra civitate, tota est mulier.* Videatur de hoc Isidorus Characenus in Stathmis Parthicis; nam & ipsa etiam in Parthia culta; & maximus ille Vossius loco citato, & l.2, p. 612, 699, &c. Macrobius l. 1 Saturnal. c. 23 de hac ipsa agens Dea, sic scribit: *Assyrii Deo, quem summum, maximumque venerantur,* Adad *nomen dederunt: subjungunt eidem Deam* Adargatin: *omnemque potestatem cunctarum rerum his duobus attribuunt, Solem, Terramque intelligentes.* Et mox: *Simulachrum* Adad *insigne cernitur radiis inclinatis; quibus monstratur vim cœli in radiis esse Solis, qui demittuntur in terram.* Adargatis *simulachrum sursum versus reclinatis radiis insigne est; monstrando radiorum vi supernè missorum, enasci quæcunque terra progenerat. Sub eodem simulachro species leonum sunt, eâdem ratione terram monstrantes, qua Phryges finxere matrem Deûm, id est, terram, leonibus vehi.* Sic *Atergatis* non solùm denotare videtur *Terram,* sive *vim terræ generatricem,* sed etiam *omnem Naturam Soli subjectam.* Atque ut *Atergatis* eadem est, ac *Venus*; ita numine *Adad* fortè adumbrabatur etiam *Ichthye,* sive potiùs *Cupido,* vel etiam *Adonis: quem Venus,* id est, *Solem Terra,* ab *apro,* hoc est, *hieme,*

— *cui sævior* apri
horret cana gelu facies —

ut verbis utar Ioviani Pontani, vel *Capricorno* occisum, lugere dicitur. Hinc idem Pontanus in primo Vraniæ:

Ipsa Venus, *postquam lachrymæ effluxere, genisque*
defecit liquor, & capiti coma longa revulsa est,
ter mensem exanimis jacuit. vix denique quarto
lucem hausit, vultus & adhuc suspirat amatos.

Et deinde:

Ergo ubi Sol *imo victor convertit ab Austro,*
tum gravidos aperitque sinus, & cæca relaxat

 spira-

spiramenta, novas veniat quà succus in herbas,
& tandem complexa suum lætatur Adonin.

Cæterùm hoc Divæ nomen ab auctoribus variè effertur. Crinitus l. 14 de honesta discipl. c. 8, habet *Adagartis* : Phurnutus περὶ θεῶν, Ἀρ[illegible]γά. Verba ejus sunt : *Videtur hæc* (*Rhea*, hoc est, ἔρα, sive veterum Germanorum terræ numen *Erthum* apud Tacitum ; unde forsan Syrorum *Ert-taga* vel *Art-taga*, i. e. terræ & aquæ numen) *esse eadem*, *quæ apud Syros est Artaga*. Imò & *Atarga* ; item *Athara*, ut habes apud Strabonem, & Hermolaum Barbarum, dicebatur. Quamquam Iunianus Iustinus in Compendio, præferat *Arathis*, sive *Ariathis*, vel, ut alii legunt, *Marathis*. Quæ simplex tantùm, nempe telluris, Hieropolitanum numen exprimere, & corrupta videntur ex *Atergatis*, vel *Atargatis*, vel potiùs ex *Aderdaga*, quod contractè effertur *Ærdaga* sive *Ærd-daga*, hoc est, Germanicè **ein Erd-fisch** ; cùm Dea fuerit & Præses telluris pariter ac maris. ארץ *ærets* enim Ebræis est *terra* sive *tellus*, **die erde**, Belgicè **aerde** ; & דג *dag*, *piscis*. Atque sic Phurnuti *Artaga* origini propius accedit, æquè ac Criniti *Adagartis* ; in quo tamen dictiones ארץ, & דג, ex quibus integrum Divæ nomen conflatum est, transponuntur, ita ut ab inferiore parte, nempe *pisce*, qui *aquam* designat, incipiat, & in *terram*, quæ superior, & hominis facie repræsentatur, desinat.

Patet igitur nomen Simulachro inditum, prout duplex erat, nempe homo, & piscis, adeoque duplex numen repræsentabat. Quam duplicem figuram, & virtutem ei auferunt, qui vocem *Atargatis* ex אדיר *addir*, hoc est, *magnus, potens, excellens*, & דג *dag*, id est, *piscis*, conflatam ajunt ; ut videre est apud Vossium loco citato, & Schedium de Diis Germanis, pag. 125. Atque sic ex duplici numine simplex efficiunt : ut apud Assyrios erat idolum *Dagon* ; quod, teste Helladio apud Photium cod. 279, cetaceâ pelle solummodò vestitum erat : licet aliis ἀμφίβιον fuerit, humano capite, manibusque præditum ; nempe Palæstinis. Hinc Eusebius ex Beroso : *Reliquum quidem corpus habuit piscis : sub capite verò*

aliud

aliud enatum caput deorſum ſub piſcis capite, & pedes ſimiles humanis, enatos verò ex piſcina cauda (adnatos enim ad caudam habebat pedes humanos.) *Vocem huic hominis eſſe ajunt: imaginem verò etiamnum cuſtodiri.* Sæpius in Scripturis memoratur בֵּית דָּגוֹן *beth-Dagon*, hoc eſt, *Domus Dagon.* Et 1 Sam. c. 5, v. 4, dicitur; cùm Arca Domini à Philiſtæis illata eſſet Azoti in templum Dagonis, ac juxta Dagonem collocata, poſtridie repertum eſſe caput ejus in limine avulſum, cum duabus manibus, relicto ſolùm Dagonis corpore, ſive trunco; רקם דגון נשאו עליו; quod R. David Kimchi vertit, *tantummodò piſcis in eo formâ relictâ.* Interpreti Sanchoniathonis Philoni, apud Euſebium in 1 Præpar. Evang. *Dagon* dicitur idem eſſe, ac Σιλὼν: quem unum ex quatuor Cæli filiis facit; & credit ei nomen eſſe à דָּגָן *dagan*, hoc eſt, *frumentum*: ita ut dictus ſit quaſi *frumentivus*, *frumenti Præſes*; nempe quia *frumentum*, & *aratrum* repererit. Sed de iſto fallitur: cum planè ſit à דָּג, h. e. *piſcis*: adeò ut aptiùs dicturus fuerit Ἰχθυὼν: quaſi *Piſcionem*, vel *Piſcinum* dicas. Puta, quia mari præeſſet, non terræ; eóque ſimulachrum ejus Syriis ſimplex, & *nil niſi piſcis erat.*

Sed reſtat adhuc nomen *Derce* ſive *Derceto*: quod planè corruptum eſt ex *Atergatis*, principe literâ reciſâ; & eandem, ac illud, Divam deſignat: ut Plinius N. H. l. 5, c. 23, non obſcurè indicat, cum inquit: *Ibi* (Hierapoli) *prodigioſa Atergatis, Græcis autem* Δερκετὼ *dicta, colitur. Dercetûs verò imaginem*, inquit Lucianus, *vidi in Phœnicia, ſpectaculum inſolitum. Erat dimidiâ parte mulier: quantum verò à femoribus ad imos protenditur pedes, in piſcis caudam deſinebat.*

Verùm repudiatis iſtis fabuloſis, & idololatricis applicationibus omnibus, ſubſtituamus iis potiùs *duos* illos *Piſces*, quibus quinque millia hominum ſatiavit Chriſtus, Ioh. c. 6, v. 9: præſertim cùm Chriſtiani, Tertulliano teſte, *Piſces* ſint nominati, ac in memoriam Chriſti, qui fuit Sibyllarum ἰχθὺς μυστικὸς, regnumque cœlorum reti in mare miſſo, quod omne genus piſcium con-

greget, ſimile eſſe dixit, piſcium effigiem cum cruce in annulo geſtârint: ut Nicolaus Cauſſinus in Obſervationibus ſuis ad Hori Apollinis Hieroglyphica pag. 95, annotavit. Videatur & Leo noſter Belgicus pag. 81.

MEMBRUM III,

de Signis extrazodiacalibus ſeptentrionalibus.

Expedivimus hactenus *Signa Zodiacalia*: ſequuntur *Extrazodiacalia*, & primò quidem *Septentrionalia*; quorum principem locum occupat

I. URSA MINOR; der kleine Beer/ das Beeren-geſtirn/ ſive der kleine Heer-wagen;

Ovidio *Fera minor*, *Arctos minor*; *Phœnice*; *Septentrio*; *Cynoſura*, id eſt, *Canis cauda*, ſive potiùs *collectio luminis*, *umbilicus ignis*, ab Ebræo אור hoc eſt, *lumen*, *ignis*, & כָּנַס *colligere*, ſive à Chaldæo כונש *umbilicus*, & אירא *ignis*;* quibuſdam *Catuli*, ſive *Canes Laconicæ*; vulgò *Plauſtrum*, ſive *Ploſtrum minus*: Ebraicè הָעֲגָלָה, & in Bibliis Amos 5, 8, עָשׁ juxta Aben-Eſram: Græcè Ἄρκτος μικρὰ, *Vrſa minor*; ἅμαξα, id eſt, *plauſtrum*; Φοινίκη, *Phœnice*, Heſychio ἀγάννα, q. d. *ſplendida*, *læta*: Arabicè *Erruccabah*, *Alrucaba*, *Rukabah*, *Alrukabah*, *Schickardo *Arrucabatho*, id eſt, *currus*, *plauſtrum*; *Dub Alaſgar*, *Dhub Elazguar*, Schickardo *Dubol-azgaro*, id eſt, *Vrſus minor*. In meridiano circa medium noctis apparet, menſe

menſe Martio, & Aprili. Abſolvitur autem in globis noſtris octo ſtellis: nempe duabus ſecundæ magnitudinis; quarum altera *Polaris*, altera in latere quadranguli borealiori, *Kochab*, dicitur: porrò unâ tertiæ; tribus quartæ; unâ quintæ; & itidem unâ ſextæ, in corpore hîc illic hærentibus, ac omnibus Iovis ac Veneris, juxta alios ♂ & ♀, naturam participantibus.

Antiquitùs in hoc Signo ſeptem *tantùm* ſtellas *numerabant*, ſeptem triones, *quaſi* terriones, *&* boves triturantes, *ſive* Icarios *Propertio, dictas. Et hinc eſt, quòd plaga illa, ubi Septem triones ſedem ſuam occupârunt*, Septentrionis *nomine notetur. Duæ autem harum ſtellarum in anteriori corporis, ſive quadranguli parte poſitæ, nautis dicuntur* Vigiles, *Germanicè* die Wächter; *æquè ac ſuperior earundem in quadrato præcedentium* Kochab: *& extrema in temone, ſive cauda, nautis notiſſima, quia ſcilicet illis mundi plagas indicans, viam quaſi monſtrat*, Stella polaris; *cùm Polo arctico omnium ſtellarum ſit proxima; Germanicè* der Angel-ſtern / Nord-ſtern / *item* der Leit-ſtern / *quaſi* nautas dirigens; *Latinè* Navigatoria, Stella maris, *item* Cauda extima, *vel etiam, communi alias totius Signi nomine, ob luminis excellentiam*, Cynoſura; *Italis navigantibus, quippe quibus trans Alpes cernitur*, Latramontana; *Hiſpanis* El Norte; *Arabibus* Rucabah, *ſive cum articulo* al-Rucabah. *Hujus in meditullio caudæ prima ſequens, eſt* χορευτὴς πρώτη, *id eſt*, ludens prima, *& altera ſequens in eductione ſive radice caudæ*, χορευτὴς δευτέρα, ludens *ſive* ſaltans ſecunda. *De* Stella *autem* polari *opinio quondam exorta, quòd ſe, poſt captam à Mahumede Conſtantinopolin, occultârit, æque ac* Stella Electræ, *poſt Trojæ excidium: de qua vidimus in Tauri Signo.*

Tres priores ſtellæ, quæ *Caudam Vrſæ* conficiunt, inſimul quoque repræſentare videntur *temonem currus:* uti *quatuor rotas inſequentes*, ſive *ipſum Currum*, totidem ſtellæ poſteriores, quadrangulum ferè conſtituentes; & *commiſſuram temonis cum curru*, quinta ſive intermedia. Atque hinc eſt, quòd hic aſteriſmus *Plauſtrum* vulgò audiat.

Cæterùm Thaletem Phœnicibus popularibus ſuis, *Cynoſuram*, ſive *Vrſam minorem*, quam etiam ἄρκτον, teſte

Herodoto, ipse appellavit, primùm indicâsse refert Callimachus in Choliambicis: unde quoque Φοινίκην, *Phœnicen*, vocari testatur Hyginus. Et sunt, qui dicunt, quòd hoc sidere denotetur *Callisto*, Lycaonis filia in Vrsam transformata: de qua in subsequenti Signo videbimus.

Aliis tamen, inter quos est Diodorus, videtur esse unus ex *Curetibus*, Melissei Cretensium regis filiis, ac Iovis Cretensis Curatoribus sive tutoribus in monte Cretæ Ida, vel Dicte: qui tympana pulsabant, & armati saltabant, ne puer vagiens audiretur à patre Saturno filios suos devorare solito: ut proditum Lucretio l. 2. Et dicti sunt hi Curetes vel à ministerio; quia Iovem κόρον, hoc est, *puerum*, educâssent: vel ab ætate; quia κȣ̃ροι, sive κόροι, hoc est, *adolescentes*, forent; quales erant, qui in armis saltabant: unde & *Corybantes* dicebantur: ut ex Scepsio, Orpheo, Eratosthene in Architectonico, Callisthene in primo navigat. & Euphorione constat. Quinque fuerunt numero, & totidem habebant sorores: ut juncti repræsentarent numerum τῶν δακτύλων, hoc est, *digitorum*: unde & *Dactyli* dicti *Idæi*. De hoc videatur Echemenes in Reb. Cret. Dionysius Chalcidicus, Pherecydes, Hellanicus, Mnaseas, Archemachus Euboicus, Semus l. 7, Apollodorus Biblioth. l. 2, & Posidippus in Epigram.

Sed nusquam invenio quendam ex fratribus hisce in Vrsum conversum: at tres tamen Nymphas, eorum fortè sorores: unde Iupiter quibusdam ubera ursarum suxisse dicitur. Cicero has nominat *Thisoam, Nedam*, & *Hagno*: quarum prima in Parrhasiorum finibus nomen dederit urbi; secunda flumini; tertia fonti in Lycæo monte Arcadiæ. In ursas verò mutatas tradidit Scholiastes Apollonii Rhodii: *Huic*, inquit, *Chersoneso mons adjacet, qui proprio nomine* Vrsus *dicitur, cùm Iovis nutrices ibi degentes in ursas mutatæ sint.* Et Pausanias scripsit in Messeniacis, fontem fuisse in Ithomes jugo, cui nomen *Clepsydræ*; in quo ab *Ithome*, & *Neda* nymphis nutricibus, Iupiter à Curetibus ob metum Saturni surreptus,

lotus fuerit: at huic fonti nomen hoc datum à *furto* Curetum. Quod tamen postea idem in Arcadicis, in fluvio *Lusio* Gorrynam præterlabente accidisse prodidit. Mihi verò videtur illas tres Nymphas non totam constituere Vrsam cœlestem: sed tantùm caudam; in qua tres fulgent stellæ† Cæterùm hinc alterum illum errorem irrepsisse suspicor, quo quidam inducti scripserunt, hanc Vrsam cœlestem esse unam ex illis Nymphis, quæ Iovem lacte caprino, in Ida monte Cretæ, nutriverint; atque à Iove jam adulto in cœlum, juxta polum arcticum, nomine *Cynosuræ*, collocatam fuisse.

† quarū extima Cynosura dicta.

Verùm nos, ne integrum Plaustrum, ut proverbio fertur, perculisse dicamur, intelligamus potiùs sub hoc Signo *Vrsum* illum, quem David occìdit, 1 Samuel. 17, 36: vel *Currum Iacobi*, quem Ioseph illi miserat ex Ægypto, ut illuc se conferret, cum tota familia sua, Geneseos c. 45, v. 27: vel si mavis *Currum Eliæ Prophetæ igneum*, quo sese in cœlum recepisse scribitur 2 Reg. c. 2, v. 11, & 12.

II. URSA MAJOR; der Große Beer/ sive der Große Heer-wagen;

Arctos major, *Fera major*, Ovidio *magna*, Hygino *maxima*; *Septentrio major*, *Septem teriones* sive *triones*, Propertio *Icarii boves*; *Cynosuris*; *Arcturus*; *Elix*, *Helice*; *Canis venatica*; *Filia Vrsæ*, *Vrsa cum puerulo*; Manilio *Lycaonia puella*, *Dianæ comes*, Ovidio *Phœbes miles*, *Parrhasis*, *Parrhasia Virgo*, *Parrhasium Sidus*, *Manalis Vrsa*, *Erymanthis*, id est, *Arcadica*, Ovidio *Virgo Nonacrina*, *Megisto*, *Callisto*; *Plaustriluca*; *Plaustrum*, sive *Plostrum majus*: Græcè Ἅμαξα μεγάλη, id est, *plaustrum magnum*; Ἄρκτος μεγάλη, *Vrsa major*; Arato ἑλίκη, *Helice*, παρὰ τὸ ἑλίσσεσθαι,

ϑαι, καὶ στρέφεσθαι περὶ τὸν πόλον, ἢ τὸν ἄξονα; Homero Ἑλικῶπις, i. e. *oculos volubiles & verſatiles habens* : Arabicè *Dubhelacbar*, *Dub Alechbar*, Schickardo *Dubol achbaro*, id eſt, *Vrſus major*; item Mahumedicis *Dubhe*, *Dubbe*, vel *Dubon*, abſque epitheto. Septentrionalibus populis ſupra horizontem manens, omni nocte videtur; mediâ verò medium cœli occupat, menſe Martio, & Septembri. Complectiturque in globo noſtro 32 ſtellas; inter quas ſeptem ſunt lucidæ, & eminentes, *ſeptem triones* dictæ, plauſtrum conſtituentes : unde & quibuſdam Germanicè **das Sieben-geſtirn** audiunt. Prima harum in extremitate caudæ, ſive temonis, Arabicè vocatur *Benenaim*, *Benenatz*, *Benecnacz*, *Benetnaſch* Tabul. Elkeid. Latinè *Cauda extrema*, ſive *Vltima Caudæ* : altera in meditullio Caudæ, *Alcor*, id eſt, *Eques*, Latinè *Penultima Caudæ*: & tertia in principio caudæ, ſive poſt eductionem prima, *Antepenultima Caudæ*, Arabicè *Riſalioth*, vel *Aliath*; quo & Ebraiſmus utitur; aliis *Aliore*; item *Mirach*, *Miraç*, Græcè λαγών, id eſt, *ilia*; quod inverſum pro *Micar*, vel *Miçar*, meliùs *Mizar*, Græcè ὑπόζωμα, hoc eſt, *ſeptum tranſverſum*. Sed potiùs ſtellæ in ilibus, quæ δευτέρα τοῦ πλινθίου, hoc competit; cùm *Mizar* locum præcinctionis ſignificet. Atque ſic illa in humero, quæ πρώτη τοῦ πλινθίου, Arabicè dicitur *Dubhe* κατ᾽ ἐξοχὴν, Germanicè **der erſte eſtern.**

Poſtellus in hoc Signo numerat 27 ſtellas, & extra illud 8 : *Bayerus verò* 32; *nempe 7 ſecundæ magnitudinis, Currum, vel caudam & qua-*

& quadrangulum, constituentes; 3 tertiæ; 14 quartæ; & 8 quintæ, omnes ♂ addictas.

Hoc Signum, teste Nicolao Trigautio in Literis Sinicis, olim Sinensibus annorum principium designabat. Observabant enim cujus mensis initio Vrsæ majoris stellæ, quæ in cauda hærent, post Solis occasum, in media noctis hora, circa axem boreum volverentur: & ab eo mense annum inchoabant. Volvitur autem hæc *Vrsa* circa polum arcticum spatio diei & noctis; atque hinc ab ejusmodi *circumvolutione*, vel *circumgyratione*, scilicet ἀπὸ τῆς ἕλικος, Græcis dicitur Ἑλίκη, *Helice.* Vnde Lucanus l. 2:

Parrhasis *obliquos* Helice *cùm verteret axes.*

& Ovidius 3 Fastorum:

Esse duas Arctos, quarum Cynosura *notetur*
Sidoniis: Helicen *Graja carina notat.*

Quin imò non adeò absurdè dixero, si ausim dicere ab ejusmodi hujus Signi circumrotatione, pariter ac figurâ, *currus*, & quatuor rotarum inventum processisse: atque inde idipsum *currus*, sive *plaustri* nomen accepisse. Sed est, quòd maximè mirer, nullum inter tot fabularum compilatores, quod sciam, rationem addidisse, cur septem illis secundi luminis in Vrsa majori stellis appellatio Currus sit attributa. Quid multa? Cùm inventum hoc vel Minervæ, vel ejus filio Erichthonio, cujus fabulam ad signum Aurigæ videbimus, adjudicetur; certè non absonum erit suspicari, veteres sub hoc curru cœlesti primitus inventum Erichthonii vel Palladis currum intellexisse.

Altera ratio, sive potiùs opinio, nempe cur hoc Signum *Callistûs* nomine notetur, apertior est; quippe quæ pueris etiam, ex Ovidio Fastor. l. 2, & aliis fabularum scriptoribus, notissima. Hæc fuit Lycaonis Erymanthidos, sive, ut postea ab Arcade Callistûs filio dixere, Arcadiæ regis filia, aliis, sed perperam, uxor. In consortium enim Dianæ, Deæ venationis æquè ac castitatis receptam, Iupiter Lycæus, sive, ut aliis placet, Apollo, facie cultuque Dianæ indutus compressit: unde

de Arcas natus. Qui puer quindecennis in matrem ex Dianæ consortio post facinus statim rejectam, & à Iunone Iovis uxore pariter ac sorore jam in Vrsam transformatam, dum feras venatur, incidens, eam in Iovis templum usque persequebatur: ac parentis ignarus

Vulnifico fuerat fixurus pectora telo.
Arcuit Omnipotens: pariterque ipsosque, nefasque
sustulit: & celeri raptos per inania vento
impoſuit cœlo, vicinaque sidera fecit.

ut canit Ovidius, quem adi, Metam. l. 2. Verùm hac Callistûs in cœlum tralatione Iuno permota, petiisse, ac obtinuisse dicitur à fratre Neptuno, ut prohiberet, ne Vrsa hæc siderea unquam in mare descenderet. Idipsum annuit idem Ovidius, cùm Iunonem ejus causâ queribundam inducit:

Gurgite cæruleo septem *prohibete* Triones,
sideraque in cœlum stupri mercede recepta
pellite, ne puro tingatur in æquore pellex.

Atque hinc est, quòd Signum hoc à Callistûs patre dicatur *Vrsa Lycaonia*; & ab ejus patria *Parrhasia*, sive *Parrhasis*. *Parrhasis* enim est regio in Peloponneso, postea ab Arcade *Arcadia* dicta, Callistûs patria: ubi mons Mænalus ad Argos; unde & *Mænalis Vrsa* Nasoni: item mons, & fluvius Erymanthus; unde *Erymanthis Vrsa* Ovidio, & *Monstrum Erymanthæum* Plinio. Plura de hoc vide sis ad Signum Bootis, & Lupi.

Quòd verò Callisto in Vrsam conversa fingitur, id ex eo esse suspicor, quia puella innupta, ac pudicitiæ causâ Dianæ deæ virginitatis ac castitatis, uti diximus, consecrata fuit. Nam Vrsæ pictura, cùm ea animalia se intra frutices, & speluncas suas, nisi pabulatum prodire cogantur, plerumque cohibere, ac aliorum commercia fugere soleant, symbolum olim erat puellarum; quippe quæ, antequam viro nupsissent, domi ferè clausæ custodiebantur. Hinc apud Pollucem est verbum ἀρκτεύεσθαι, *in Vrsas abire*: quod de ejusmodi puellis, quæ domi custodiebantur, sive in Dianæ consortium recipiebantur, dicere consueverunt. Et apud Euripidem in Hypsipile,

pile, & Ariſtophanem in Lemniis, ac Lyſiſtrate, puellas Athenienſibus olim Vrſas nuncupatas legimus. Vnde ſuſpicor Vrſà illà in Munychio Dianæ Sacello natâ, quam, prodente Euſtathio, Athenienſes interfecerant, qui eà cauſà famis ultione ab illa ipſa Dea mulctabantur, intelligi debere puellam quandam caſtitatem profeſſam, ſive inediam, hoc eſt, abſtinentiam à rebus Venereis ſummam ſuſtinentem. Vrſæ enim in antris deliteſcentes, inediam pati, ac priorum pedum ſuctu, quadraginta circiter dierum ſpatio, vivere dicuntur; ut traditum Theophraſto de animal. latitantibus, item Soſtrato, Æliano, aliis. Vnde & Vrſa Græcis ἄρκτος, ab ἀρκῶ *propello, auxilior, ſufficio*, dici videtur: nempe quia ἐπαρκεῖ ἑαυτῷ, *ſibi ipſi opitulatur.*, dum famem tempore præſertim hiemis, in Nova Zembla maximè, ubi horridiſſimum ingruit frigus, pedes ſaltem lambens, quaſi propellit, & fugam capere *urget*; unde etiam Latinum *Vrſus*.

Sed hic *Vrſus*, ſive *Vrſa* denotare poterit & unum ex duobus Vrſis, qui pueros illos quadraginta duos, Eliſam Prophetam, cùm verſus Bethel aſcenderet, ſannis, cavilliſque eludentes, dilaniabant, 2 Reg. c. 2, v. 24: quod fortè, ut ſuſpicari quis poſſet, duos illos Romanorum Imperatores Veſpaſianum, & Titum præmonſtrabat: quippe qui poſt duos & quadraginta ab aſcenſu Salvatoris noſtri annos, captis Hieroſolymis, Iudæis tantam latè ſtragem dederunt, ut regnum eorum fundittus everteretur. Sive, ſi *Currus* appellatio magis placet, intelligas potiùs *Currum* illum à *regio ſecundum*, quo, juſſu Pharaonis regis Ægypti, vectus eſt Ioſeph Patriarcha, Geneſ. c. 41, v. 43.

III. DRACO; der Drache/ das Drachen-geſtirn;

Draco magnus, Draco tortus, Serpens, Anguis, Heſperidum cuſtos, Palmes emeritus, Coluber arborem

rem conſcendens; Sidus *Minervæ*, item *Bacchi*; *Æſculapius*; *Python*; *Ladon*, *Audax*; Germanico *Monſtrum*, Ciceroni *Monſtrum mirabile:* Græcè *μέγα θαῦμα* Arato, communiter Δράκων; Arabibus *quinque Dromedarii*, *duoque Lupi*, vulgò *Aben*, Scaligero *Taben*, (hinc *Ras Taben*, rectiùs *Raſo Tabbani*, id eſt, *caput Draconis*, quod hoc ſigno ☊ pingi ſolet) aliis *Etabin*, Poſtello *Daban*, vulgò *Tanin*, ſive Atanin, in Mappa Turcica *Etanin*, Schickardo *Attanino*; quod cum Ebræo convenit, & quibuſdam eſt *Draco*. Meridianum circa medium noctis pererrat ſub finem Iunii: & comprehendit plerisque 32 ſtellas.

Poſtellus numerat 29: *Bayerus autem* 33; *quarum una in cauda, quam ejuſmodi notâ* ☊ *indicamus, ſecundæ magnitudinis*; 10 *tertiæ*; 14 *quartæ*, *quas inter eſt* Grumium *Barbaris dicta, ad genam*; *&* 8 *quintæ, omnes partim* ♃, *partim* ♄ *ſubjectæ.*

Draco tortuoſis ambagibus totam adeò cingere videtur Vrſam minorem, ut in ejus ſinu conſpiciatur Polus Zodiaci borealis, Scythis Hamaxobiis *Clavus ferreus* dictus. Vnde Manilius:

Has (Vrſas) *interfuſus, circumque amplexus utrinque*
dividit, & cingit ſtellis ardentibus Anguis;
ne coëant, abeantque ſuis à ſedibus unquam.

De receptione autem Draconis in cœlum duæ imprimis traduntur opiniones. Prima eſt: quòd Iuno hortum habuerit amœniſſimum, & nemore aurifero flaveſcentem, in extrema Heſperiæ ſive Occidentis parte, nempe Hiſpaniæ; illique Draconem inimicum ſomni, oculisque continuè patentibus vigilem, teſte Pherecyde l. 10, cuſtodem præfecerit; ne pomis illis, ſive potiùs ovibus, ut Argætas in Reb. Libyc. ſenſit, quibus præditus erat, aureis excellentiſſimisque, à filiis Heſperi fratris

fratris Atlantis privaretur. De hoc vide sis Io. Baptistæ Ferrarii Hesperides.

Filiæ autem *Hesperi*, hinc *Hesperides* dictæ, quas Eubulus Atlante, Chærecrates autem Phorco, & Ceto, prognatas credidit, erant *Ægle*, *Arethusa*, & *Hesperithusa*; sive, ut quibusdam placet, *Ægle*, *Arethusa*, *Vesta*, & *Erythia*. Quæ aliis dicuntur *custodes pomorum aureorum*, sive potiùs *ovium* lanam *purpuream* sive *puniceam* ferentium: μῆλον enim & *malum*, & *ovem* significat; ut in Arietis Signo vidimus. Sed suspicor per has Nymphas intelligi insulam Gaditanam, sive Erythiam, aliasque Hispaniæ circumjacentes: unde Hercules Geryonis boves sive oves abegisse fertur; ut ad Signum Herculis dicturi sumus.

Porrò fabulantur, quòd Hercules eam ingressus regionem, mala aurea decerpserit, Dracone illo pervigili occiso. Quem postea Iuno custodiæ ejus diligentissimæ haud immemor, posuerit in cœlum: ubi se etiamnum contra Herculem intorto corpore defendere quasi videtur. Dicunt autem hunc Draconem ex Typhone & Echidna natum, septem, imò alii centum, habuisse capita; ac usum esse vocibus variis. Videatur de hoc Cicero de Divin. & Apollonius l. 4: ubi Draco proprio nomine vocatur Λάδων, *Ladon*; quem Hesperides, sive Hesperidum sacerdos, ut Virgilius Æneid. l. 4 inquit, curârint. Ladon verò fuit fluvius fortè à λάω, *video* sic dictus.

Altera opinio est: nempe quòd Minervæ Iovis Atheniensis filiæ contra Gigantes pugnanti sese opposuerit Draco quidam ingentis ac monstrosæ magnitudinis: illa verò hunc apprehendens, fortissimo nisu vibraverit ad cœlum usque; ubi in æternam rei memoriam adhuc pendeat tortuosus renitentis in modum.

Cæterùm cùm Dracones animalia sint lubricissima, ac inter serpendum pandos, repandosque, & lubricos aquarum fluxus imitentur, suspicor per Draconem hunc, cujus imago in cœlum collocata fingitur, veteres intellexisse amnes quosdam, sive potiùs maris brachia,

quibus, tanquam Draconum ſpiris, mare circum Inſulas illas, ſive Hortos, uti diximus, Heſperiæ ſeſe explicaverat, ab Hercule, ſive potiùs Minervâ, hoc eſt, prudentiâ navigiis ſuperata. Et Typho nihil aliud eſt, quàm mare; æquè ac Echidna, quam dimidiâ ſui parte Nympham, dimidio altero Anguem fingebant, Genius loci: ex quibus Draco, hoc eſt, Cuſtos prognatus fertur. De quo videatur Heſiodus, & Plato in Phædone. Sanè Draco *cuſtodiæ*, & *vigilantiæ* ſymbolum erat: quippe qui etiam nomen ἀπὸ τοῦ δέρκειν, quòd acutè cernat, accepiſſe videtur. Vnde & omnibus Heroibus, ac Palladi γλαυκώπιδι ſive *Cæſiæ* maximè ſacer, cùm ea omnia perſpiciat, ac circumſpectè agat, tanquam prudentiæ ac ſapientiæ Dea: imò eâdem ferè cauſâ ipſi Iunoni Deorum reginæ; cujus dextra in numiſmate Iuliæ Mamææ Auguſtæ Draconem in ſpiras convolutum oſtendebat, lævâ haſtæ innixâ, cum epigraphe, IVNO CONSERVATRIX.

Sed hiſce Draconibus fabuloſis ſubſtituamus illum ingentem Draconem, quem Babyloniam incolentes adorabant, ac Daniel, regis permiſſu, necabat; ut ipſe teſtatur Prophetiæ ſuæ cap. 14; v. 26.

IV. CEPHEUS; der Mohren-König;

Regulus; *Dominus Solis, Flammiger, Incenſus Sonans*; *Iaſides*; *Nereus, Senex Æquoreus*, Manilio *Iuvenis æquoreus*: Græcis Κηφεύς, Βασιλήιος, & Βασιλικὸς ἀνὴρ, *vir regius*; ἅλιος γέρων, *ſenex marinus*: Babyloniis, & Arabibus *Phicares*, quaſi dicas, Πυρκαεύς, hoc eſt, *inflammatus, flammeus*; item ex Latino, & Græco, ut videtur, corruptè *Cheichius, Cheicus, Cleichius, Cancaus, Cheguius, Ceginus*, rectiùs *Chichus*, ſive, ut Schickardus legit, *Chiphus*; uti &, quemadmodum Azophi fragmenta oſtendunt, *Paſtor cum ovibus, & cane*;

alarum-

alarumque, sive pennarum hemicyclus. Summâ nocte in meridiano sistitur sub finem Augusti, & ineunte Septembri: complectiturque in globo nostro 11 stellas.

Postellus computat itidem undecim, sed & addit extra signum adhuc duas: Bayerus verò numerat 17; quarum 3 supra humerum sinistrum (nempe Alredat, *communiter* Aderaimin, Alderamin, Alderaimin, *vel* Alderajemin, *Schickardo* Addheraoiaminon, *quod* Brachium dextrum *significat) sub cingulo, & in femur dextrum locat, tertiæ magnitudinis; porrò 7 quartæ; & adhuc septem quintæ, in reliquas corporis partes, omnes partim ♃, partim ♄ colorem imitantes.*

Arabes hîc loco Cephei, quod & ipsum vocabulum mirè ab iisdem excarnificatum est, pingunt *Pastorem cum cane, & ovibus*; item *Alas*; sed separatim. *Cepheus* autem, cui in asterismis Albumasar *Solium* adsignat, fuit rex Æthiopiæ, teste Plinio N. H. l. 5, c. 13, & 31, sive Indiæ; ut terras omnes trans mare internum sitas antiquissimi Græci nuncupabant. Hujus filia unica *Andromeda,* virgo sanè egregia, & omnibus animi, ac corporis dotibus ornatissima, ob matris Cassiopes fastum, ut in sequenti Signo videbimus, Ammonis jussu, scopulo alligata, expositaque fingitur monstro marino, sive Ceto immensæ magnitudinis, ut ab eo devoraretur. Quod ita interpretor: desponsata erat à Patre, quò mare civibus suis præstaret liberum, Principi cuidam insulari piraticam exercenti: quales meritò, unà cum navibus suis piraticis, monstris comparantur marinis. Sed navi, cujus ab Signo, vel rapinâ, ceti nomen, inde jam avecta, liberabatur à *Perseo*, Iovis Argolici, sive Prœti, ut vero nomine vocat Chares Hist. l. 2, ex Danaë filio. Qui eam postea in uxorem ducens,

nigris portavit ab Indis;

ut loquitur in primo de Arte amandi Ovidius, testem Herodotum in Polyhymnia secutus: ac ejus beneficii causâ, quod Andromedæ exhibuit, in cœlum collocatus est, tradente Hygino fab. 224. Contigisse autem ista in

civi-

ſcribit Sophocles, & Silenus; quod omnium Nympharum maris formoſiſſimam ſe eſſe gloriata ſit: vel quòd ipſam Iunonem, ut alii tradunt, in certamen de pulchritudine provocaverit. Vnde Iuno mulieris temeritatem ægrè ferens, Neptunum rogâſſe dicitur, ut inſignitam ejus temeritatem reprimeret. Atque ſic Neptunus in regionem Cephei immiſerit horribilem cetum, ut ædificia funditùs demoliretur. Cepheus autem mandato oraculi obſequens, filiam Andromedam monſtro illi marino vinculis ferreis ligatam expoſuerit. Expoſitam Perſeus cum capite Meduſæ cetum expectans, eóque oſtenſo hunc in lapidem convertens, denique liberaverit: ut eſt apud Ariſtidem, Dionyſioclem, Libanium, alios. Vide ſis, quid de hoc in antecedenti diximus ſigno.

Sed nos in ejus locum ſubſtituamus *Deboram* in tribunali ſub Palma ſedentem; aut, ſi mavis, *Bathſebam*, Regis Salomonis matrem, ſolio inſidere dignatam, 1 Reg. c. 2, v. 19. aut Moſis uxorem Æthyopiſsam, quæ adūbrata videtur Eccleſia ex Gentibus congregata, Num. c. 12. v. 1.

VI. ANDROMEDA; Ανδρομέδη; Die angefeſſelte Mohren-Fürſtin;

In aſteriſmis *Mulier catenata*, Germanico *Virgo devota*, Virgilio *peſti Devota futuræ*, *Perſea*, Abrahamo Iudæo *Carens omnino viro*, ſive *quæ non vidit virum*, vel *maritum*; Arabibus quibuſdam *Vitulus marinus catenatus*, *Almara almeſalſela*. Meridianum in noctis medio occupat, menſe Octobri; & conſtituitur in globo noſtro 27 ſtellis; quarum illa in capite, cum tribus aliis in Pegaſo lucidis, ingens efformans quadrangulum, *Caput Andromedæ*, aliis *Vmbilicus Pegaſi* vocatur. Pegaſo enim, & Andromedæ communis eſt ſtella, teſte Hygino: ac proinde Ptolemæus hac in occipitio Andromedæ omiſ-

ſâ,

dâ, ſubſtituit illam, quæ nobis eſt in ſcapula dextra; nempe *Pectus Andromedæ*, τὸ ςῆθος, ςέρνον, *Elecile tereballe*; ut Bayero vocatur.

Poſtellus poſuit 23; *Bayerus autem itidem, ac globus noſter*, 27; *nempe* 3 *ſecundi luminis*; *unam tertii*; 11 *quarti*; 8 *quinti*; & 4 *ſexti, omnes Veneris naturam participantes.*

In Mappa Arabica, ut diximus eſt *Phoca* ſive *vitulus marinus catenatus*. Et catena collo Phocæ circumligata altero extremo continet duorum Piſcium in Zodiaco borealiorem. Alioquin Andromedam ab Arabibus non nudam, ſed veſtis tegumento pictam, inde conjicit Schickardus; quòd vocula *Adhil*, ut ſtellam quartæ lucis ἐν τῷ σύρματι πεϱιποδίῳ vocant, derivetur ab *Addilo*, quod *fimbriam* ſonat. Atque hos Bayerus in Vranometria ſua ſequutus, exhibuit Andromedam à fronte inſpiciendam; non, qualis turpi ſpectaculo communiter pingitur, vultu in globum procumbentem. Claram habet in perizomate, ſive cingulo auſtraliorem, Arabicè *Mirach*, *Mirath*, *Mirar*, *Miraz* dictam; vel, ut Scaliger cum Schickardo legit *Mizar*, ſive terminatione nominativâ *Mizaron*, hoc eſt, *ventrile*, πεϱίζωμα, ut Ptolemæo dicitur; Ebræis *præcinctorium*. Rurſus aliam gerit in ſiniſtro & auſtrali pede, ſive ſolo cothurni, *Alamak* Arabicè dictam, Schickardo *Elamak*, quod eſt *profunda*. Pro priori, facta trajectione, Scaliger ſubſtituit *Almaak*, quod *cothurnum* ſignificat, vel *ſocculum*. Aliis perperam ſcribitur *Alhames.*

Cæterùm Andromeda tanti æſtimavit ſuum liberatorem Perſeum, tantoque dilexit, imò amavit ardore; ut parentes linquens, ipſum, teſte Cteſia in Perſeïde, ſecuta ſit, ubicunque ſe ille contulerit; adeoque & in ipſum cœlum tandem, beneficio Minervæ, cum eo conſcenderit. Hinc Manilius:

Hic (Perſeus) *dedit Andromedæ cœlum, ſtelliſque ſacravit*
Mercedem tanti belli.

Suſcepit autem ex ea Perſeus filium *Perſen*; &, ut

Herodotus testatur, *Alcæum, Electryonem, Sthenelum, Mestorem*; quibus Pausanias in Corinthiacis addit filiam *Gorgophonem*; quæ omnium prima ad secundas transiisse nuptias fertur: & Arrianus l. 8 de Gestis Alexandri, *Erythrum*, qui mari Erythæo imperaverit, ac nomen dederit: quamquam alii tradant filiam fuisse, *Erythram* dictam, unde mari Erythræo nomen sit datum. At suspicor fuisse *Esavum*, qui etiam *Edom*, & gentilibus *Erythra* dictus: ut ad signum Herculis videbimus.

Sed loco Andromedæ hîc inserendam judicamus *Abigail*, prudentem illam Nabalis, & postea regis Davidis uxorem; quam David ab Amalekitis captam liberavit, 1 Samuel. c. 30, v. 5, & 18.

VII. PERSEUS; Der Sieges-Held/ sive der Kopf-träger;

Perses, Catullo *Pinnipes, Inachides*, Ovidio *Abantiades*, & *Acrisioniades, Cyllenius*; Manilio *Victor Gorgonei monstri*, Deferens *caput Medusæ, Cacodæmonis*, & *Gorgonis*, Arabicè *Ras Algol*, aliis *Alove*, Schickardo *Rasolguli*, i. e. *Caput attenuantis, ob maciem*; Iudæis *Rosch Hallilith*, & in asterismis Γοργόνειον dictum; sive, ut alii legunt, *Deferens catenam*: Græcè Περσεύς, Ιππότα, *Profugus*; Alphonsinis Arabicè *Cheleub*, sive *Chelub*, i. e. *Canis*, Schickardo *Chelbon*, sive *Kelbon*; noviter *Chamil ras Algol*. In medio cœli nocte mediâ conspicitur hoc situ, mense Novembri: stellasque comprendit in globo nostro 30; nempe 9 *Ras Algol*; & 21 ipse Perseus: inter quas lucida illa in latere sinistro, aliis dextro, Arabicè *Cheleub*, *Chenib*, *Algenib*, vel *Genib*, rectiùs Schickardo *Algænbo*, quod *latus Persei* notat, vocatur.

Postellus tantum 11 *in Signo, & extra* 3 *habet: sed Bayerus* 38; *nempe* 2 *secundæ magnitudinis in latere Persei, & capite Medusæ*; 4 *tertiæ in humero sinistro, genu, & pede*; 12 *quartæ*; *rursus* 12 *quintæ*; & 8 *sextæ hinc inde per reliquum corpus dispersas, omnes Venereas & Saturninas, sive Ptolemæo Martiales & Mercuriales*; *exceptâ lucidâ capitis Algol*; *quæ quibusdam* ♄ & ♃ *naturam imitatur.*

Ebræi ex Arabico Μορφώσεις cœlestes in suam vertentes linguam, *Perseum*, Arabum exemplo, *Hominem portantem caput Diaboli*, vel *Cacodæmonis*; *Cassiopeiam*, *Mulierem sedentem in Solio*; *Andromedam*, *Mulierem non habentem virum*; *Orionem*, *Gigantem belligerantem* vertunt. Fuit autem *Perseus*, — *ille Medusæ*
Victor in Andromeda victus,
qui *Caput Medusæum* in globo nostro sinistrâ tenet manu, filius Prœti, sive Iovis Argivi, ex Danaë, Acrisii Argivorum regis, & Eurydices Euroteo, sive, ut alii vocant, Lacedæmone natæ filiâ; quam pater, ne filius ex ea nasceretur, æneo sub terra thalamo incluserat, multis additis custodibus; ut proditum Pherecydi Hist. l. 1, & 12, Sophocli in Antigone, & Pausaniæ in Corinthiacis. Vbi tamen à Prœto, Acrisii fratre, Argolici sinus domino sive Iove, in guttam auream, vel aurei imbris formam mutato, scilicet auro corruptis custodibus, vitiata est. Hinc Horatius 3 Carm. Ode 16;

Inclusam Danaën *turris ahenea,*
robustæque fores, & vigilum canum
tristes excubiæ, munierant satis
nocturnis ab adulteris.
Si non Acrisium Virginis abditæ
custodem pavidum Iupiter, & Venus
risissent. fore enim tutum iter, & patens
converso in pretium Deo.
Aurum per medios ire satellites
& perrumpere amat saxa, potentius
ictu fulmineo, &c.

Et Paullus Silentiarius:

Aureus *in cæcas penetravit denique rimas,*
& Danaës duros Iuppiter *in thalamos, &c.*

Atque ſic ex hoc concubitu natus eſt *Perſeus*. Qui acceptis à Mercurio talaribus, & harpe, ſive enſe falcato adamantino, qui Arabibus dicitur *Nembus*, item ab Orco, ſive, ut Heſiodo placet in Scuto, à Plutone galeâ, ac à Pallade clypeo, ſpeculo, & cibiſi, quam *peram* quidam dicunt, dormienti *Meduſæ* caput, quod in ſpeculo Palladis averſus intuebatur, unico ictu amputavit. Quippe id ipſum ei injunctum erat à Polydecte Seriphorum rege; qui eum cum matre ciſtæ incluſum, ac in mare dejectum, teſte Apollonio Argon. 4, & Strabone l. 10, exceperat, ac educaverat: ſive, ut alii malunt, ab ipſa Pallade, hominum ex intuitu Meduſæ proficiſcentis calamitatis miſerta. Atque ſic Perſeus demto hoc monſtro, ac conjecto in peram capite, quod Pallas poſtmodum, Rheſo Euripidis teſte, clypeo ſuo affixit, Tarteſſo Iberiæ urbe, ubi facinus hoc perpetraverat, protinùs avolavit, ut ad Polydectem rediret. Sed ubi in itinere vidit *Andromedam*,

quam quondam pœnæ dirorum culpa parentum
prodidit,

ut Manilius l. 5 canit, tanquam piaculum ſtultitiæ matris ſuccedaneum, quemadmodum ſupra ad ſignum Cephei, & Caſſiopes diximus, Ceto expoſitam, virginis innocentis miſertus, eam ſolvit; ac ſtricto gladio, capiteque Meduſæ oſtenſo monſtrum penitus conficiens, miſeram ab omni periculo liberavit, & in uxorem duxit. Videatur de hoc modò memoratus Manilius, & Ovidius Metamorph. l. 5; item Verulamius, Pindarus, Heſiodus loco adducto, & Simonides in Perſeo:

Meduſa autem non illa Priami, neque Stheneli, & Nicippes ejuſdem nominis erat filia; ſed monſtrum Phorco, & Ceto, teſte Pauſania in Corinth. prognatum, atque adeò Phorcidum, ſive Gorgonum una: quarum nomina ſunt *Scylla, Meduſa, Sthenio,* & *Euryale.* His ſorores adduntur *Pephredo,* & *Enyo,* item *Iæno,* juxta Melanthen lib. de myſteriis, propriè *Phorcides,* & *Grææ* dictæ: quæ vetulæ erant à nativitate, ac uno oculo, unoque dente per vices utebantur. *Gorgonibus* capita fuerunt

runt ſquamoſarum anguium ſpiris obſita, & dentes tantæ magnitudinis, quantæ ſuum eſſe videntur: adhæc manus æneæ, & alæ aureæ, oculo itidem uno per vices utentibus: ut traditum Apollodoro l. 2. Sed & Plinius refert l. 3, *Scyllam* Phorci filiam, cùm ſe laviſſet in fonte, quem Circe veneno infecerat, in monſtrum supernè virgineum, infernè verò piſcinum, ſex caninis capitibus latrans, eſſe mutatum. Habitârunt autem Inſulas Dorcadas, vel Gorgadas in Æthiopico ſitas Oceano: ut proditum Nimphodoro l. 3. Cæterùm *Meduſæ* capillos ad auri colorem proximè accedentes, indignata Pallas, ob ſtuprum Neptuni in ejus templo cum illa commiſſum, ſive, ut mavult Iſacius, ob nimiam arrogantiam, ac temerariam ejus cum ipſa Dea de pulchritudine contentionem, in colubros dicitur mutâſſe; imò vim illis indidiſſe convertendi in ſcopulos, ac lapides quicunque eam aſpicerent. Vnde Lucanus l. 6. Pharſal. Meduſam patentem neminem impunè intueri poſſe cenſet; niſi Demogorgonem, id eſt, omnium Deorum patrem in imo tartaro ſepultum. Atque idipſum quoque innuit Ovidius l. 1 de Ponto:

Ipſa Meduſa oculis veniat licet obvia noſtris,
amittet vires protinus ipſa ſuas.

Gorgones verò dicuntur παρὰ τὸ γοργὸν τῶν ὀφθαλμῶν, id eſt, à *terribili aſpectu oculorum.* Videatur Menander de myſter. Nymphodor. l. 3 Hiſtor. Theopompus l. 17, Bolemo ad Adæum, Æſchyles in Prometheo, Alex. Myndius de jumentis, Ovidius Metamorph. l. 4, & Natalis Comes l. 7, c. 11, & 12; item infra Signum Pegaſi; ubi nativam Meduſæ enarrabimus hiſtoriam.

Verùm miſſâ fabulâ, ſubſtituamus veram ex Sacris hiſtoriam de Davide, filio Iſai Bethlehemitæ, poſtea rege, Goliathum Gigantem Philiſtæum jactu lapidis occidente, ac caput ejus obtruncante; ut videre eſt 1 Samuelis c. 12, v. 23, 49, 51, & 57. Nihil enim convenientius, meo judicio, aptari poteſt huic Signo cœleſti, quàm *David* ille *Caput deferens Philiſtæi.*

VIII. TRI-

VIII. TRIANGULUM BOREALE; das Norder-dreiek;

Triquetrum, & *Tricuspis*, sivè *Triangulus*, & *Trigonus septentrionalis*; Manilio *Nili donum*; *Nilus*; *Ægyptus*; *Sicilia*; *Trinacria*; *Orbis terrarum tripartitus*: Græcè Δέλτα, Δελτωτὸν, Τρίγωνος, Τρίγωνον; Herodoto Ποταμοῦ δῶρον, Nili donum: Arabicè *Mutlathum*, *Mutlatun*, *Almutaleth*, Schickardo *Mutlaton*, sive cum articulo *Almutlato*, quod *triplicatum quid* sonat. Medinoctium est in fine Octobris, & comprehendit in globo nostro 4 stellas.

Postellus itidem 4 numerat : Bayerus vero 5; quarum 3 quartæ; una quintæ; & rursus una sextæ magnitudinis : omnes ☿ virtutem imitantur.

Deltoton vocatur; quia simile est Græcanicæ triangulari literæ Δ. Hinc Cicero in Arato:

Et propè conspiciens parvum sub pectore claro
Andromedæ Signum: Deltoton *dicere Graji*
quod soliti; formâ simili quia litera claret.

Item Avienus:

Est etiam, Grajo quod semper nomine nostri
Deltoton *memorant : simile & latus istud utrumque*
porrigitur : summum signo caput angulus arctat,
& gemini suprema jugi vicinia mordet.
Tertia, quæ stantes sustentat linea ductus,
parcior haud simili sese sub limite tendit,
& contracta modum geminâ face flammigerarum
stellarum superat.

Vbi *stantes ductus.* perperam, imò ridiculè dixit; quia stantes & parallelæ angulum constituere minimè possunt. Descriptionem autem hujus Signi elegantissimam nobis exhibet Germanicus Aratæa vertens:

Tres

Tres illi laterum ductus: æquata duorum
sunt spacia: unius brevior, sed clarior ignis.

Nempe est *Triangulum isosceles*; ubi unum latus inæquale duobus reliquis. Videatur de hôc Hyginus, & Decimator de stellis.

Dicunt autem nonnulli hoc *Triangulare Signum* in cœlum locatum esse ad indicandum Signum Arietis. Alii, Cererem Siculam oràsse Iovem, ut in cœlo suspenderet figuram ejusmodi Siciliæ similem: quæ situ suo triangulum exactè repræsentare dicitur. Alii denique id factum affirmant ad denotandum tres partes terræ. Sed nobis potiùs videtur denotare *DEum Triunum*, sive sacrosanctam Essentiæ divinæ *Trinitatem*: præcipuè, cùm Δ prima sit litera vocabuli DEVS, item Δῖος, hoc est, *divinus*: & Matth. c. 3, v. 16, 17, item 28, 19; ac 1 Io. c. 5, v. 7, legantur hæc verba: Τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ Πατὴρ, ὁ Λόγος, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα· καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι. *Tres sunt, qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt.* Sed vide sis, quid de hoc diximus ad Signum Trianguli meridionalis.

IX. AURIGA; der Fuhrman/ Wagenman/ sive Ziegen-man;

Aurigator*, *Agitator currus*; *Arator*; *Heniochus*, *Habenifer*; *Erichthonius, Homero ***Erichtheus***; Ægyptiis ***Orus***; aliis ***Phaëthon***; item ***Custos caprarum***, ***Habens hircum***, ***capellas***, ***hædos***, Arato ***oleniam capram Iovis nutricem***; ***Myrtillus***; ***Pelethronius***; ***Bellerophon***; ***Trochilus***; ***Oenomaus***; Pausaniæ ***Hippolytus***: Græcis Ἡνίοχος, id est, ***retinens*** sive ***trahens habenas***, Ἱππηλάτης, id est, ***equorum agitator***, ἐλάσιππος, ***impulsor equorum***, Ἁρμηλάτης, ***aurigator***, Διφρηλάτης, ***currum agitans***

civitate Phœniciæ ſive Iudææ, Ioppe, prodit Strabo l. 1, & 16, & Plinius loco adducto; apud quem l. 9, c. 5, legas: *Belluæ, cui dicebatur expoſita fuiſſe Andromeda, oſſa Romæ apportata ex oppido Iudææ Ioppe, oſtendit inter reliquà miracula in ædilitate ſua M. Scaurus.* De quo loco adeatur Voſſius Idololatr. l. 1, c. 30, p. 225. Cæterùm Perſeus Iovem exoravit; ut inſimul & *Cephea*, Andromedæ patrem, matremque *Caſſiopeiam*, inter ſidera poſuerit. Vide integram fabulam apud Ovidium l. 4 Metamorph.

Cepheus verò dicitur *Dominus ſolis*, propter τὴν τοῦ ἡλίου τράπεζαν, quæ in Æthiopia ejus regno fuiſſe fertur. Et de hac re ſic ſcribit Mela l. 3: *In Æthiopia eſt locus apparatis epulis ſemper refertus, &, ut libet, veſci volentibus licet.* ἡλίου τράπεζαν appellant.

Verùm loco *Cephei*, Regis Æthiopici, ponamus Regem *Salomonem*, quem Regina viſitavit Æthiopica, 1 Reg. c. 10, v. 1; ſive etiam *Serah Maurum*, quem Aſſa in fugam vertens, delevit, 2 Chronic. c. 14, v. 9, & 14.

V. CASSIOPEIA; Die Königin/ ſive Mohren-Königin.

Caſſiepeia, Caſſiepia, Caſſiepea, Caſſiope, communiter *Caſſiopea;* Iuvenali *Cathedra mollis*, aliis *Siliquaſtrum, Seliquaſtrum, Sella, Solium, Sedes regalis;* Græcis Θρόνος, ſive καθέδρα, Synesio Ἀμφικέφαλος καθέδρα, *ſolium biceps*, vel *quod utrinque habet pulvinar*, ſive *caput*; communiter Κασσιοπεία, ἡ τοῦ Θρόνου, *Mulier ſedis, ſiliquaſtri:* Arabum interpretibus *Mulier habens palmam delibutam*; aliter *Canis*; vel *Cerva*; noviter etiam *Dhat Alchurſi.* Summâ nocte in meridiano deprehenditur partim finito ferè Martio, & ſub ineuntem Aprilem, partim ſub finem Septembris,

bris, & circa initium Octobris; ſtelliſque conſtat in globo noſtro 27; quarum illa in pectore Arabibus dicitur *Seder*, στῆθος, perperam *Scheder*, vel *Schedar*, communiter *Schedir*: quod depravatum eſt ex *Zedaron*, hoc eſt, *pectus*, *thorax*, ſive *cartilago*; & lucidam inter Caſſiopeiæ mamillas notat.

Iuxta Poſtellum numerantur tantùm 13; *juxta Bayerum verò* 25; *quarum* 5 *tertiæ magnitudinis*; *rurſus* 5 *quartæ*; 2 *quintæ*; & 13 *ſextæ, in capite, palma, & reliquo corpore diſperſa conſpiciuntur, omnes de natura* ♄ & ♀. *Vbi notandum, quòd ſtella illa lucida, quæ anno* 1572 *in Caſſiopeia primùm apparuit, non nova fuerit, nec Cometa; qui ſublunaria conſcendens in firmamento conſiſtebat; ut maximus Aſtronomorum Tycho Brahæus, Corn. Gemma, Diggeſſeus Anglus, Munnos Hiſpanus, imprimis autem Hagecius ab Haic Germanus in Dialexi ſua, demonſtrârunt: quibus tamen ſe oppoſuit Raimundus Veronenſis; ſed irrito conatu.*

Arabibus quidem vocatur *Mulier ſedis*, i. e. *ſedens in ſiliquaſtro cum palma delibuta*: tamen non *mulierem*, ſed *canem cernuum*, in ſedili pingunt; quod miror. Palma autem, quæ, Plutarcho teſte, trecentas ſexaginta utilitates hominibus elargitur, annum denotat; cùm ea inter arbores ſola, qualibet Lunæ, & Solis ſyzygiâ ramulum unum producat; ut refert Orus Apollo; ita ut annuo ſpatio duodeni appareant. Manilius Caſſiopeiam *inverſam* vocat, quòd capite cernuans occidat. Vnde Marcus Tullius Aratea vertens:

Labitur illa ſimul gnatam lachrymoſa requirens,
Caſſiopeia, neque ex cœlo depulſa decore
fertur. Nam verſo contingens vertice primum
terras, poſt humeris, everſa ſede, refertur.
Hanc illi tribuunt pœnam Nereïdes almæ,
cum quibus, ut perhibent, auſa eſt contendere formâ.

Item Hyginus: *Hæc occidens, Scorpione exoriente, capite cum ſedili reſupina ferri perſpicitur.* Id autem pœnæ loco, ut etiam modò innuit Aratus, Caſſiopeiæ contigiſſe

ſcribit Sophocles, & Silenus; quod omnium Nympharum maris formoſiſſimam ſe eſſe gloriata ſit: vel quòd ipſam Iunonem, ut alii tradunt, in certamen de pulchritudine provocaverit. Vnde Iuno mulieris temeritatem ægrè ferens, Neptunum rogâſſe dicitur, ut inſignitam ejus temeritatem reprimeret. Atque ſic Neptunus in regionem Cephei immiſerit horribilem cetum, ut ædificia funditùs demoliretur. Cepheus autem mandato oraculi obſequens, filiam Andromedam monſtro illi marino vinculis ferreis ligatam expoſuerit. Expoſitam Perſeus cum capite Meduſæ cetum expectans, eóque oſtenſo hunc in lapidem convertens, denique liberaverit: ut eſt apud Ariſtidem, Dionyſioclem, Libanium, alios. Vide ſis, quid de hoc in antecedenti diximus ſigno.

Sed nos in ejus locum ſubſtituamus *Deboram* in tribunali ſub Palma ſedentem; aut, ſi mavis, *Bathſebam*, Regis Salomonis matrem, ſolio inſidere dignatam, 1 Reg. c. 2, v. 19. *aut Moſis uxorem Æthyopiſſam, quæ adumbrata videtur Eccleſia ex Gentibus congregata, Num. c. 12. v. 1.*

VI. ANDROMEDA; Ανδρομέδη; Die angefeſſelte Mohren-Fürſtin;

In aſteriſmis *Mulier catenata*, Germanico *Virgo devota*, Virgilio *peſti Devota futuræ*, *Perſea*, Abrahamo Iudæo *Carens omnino viro*, ſive *quæ non vidit virum*, vel *maritum*; Arabibus quibuſdam *Vitulus marinus catenatus*, *Almara almeſalſela.* Meridianum in noctis medio occupat, menſe Octobri; & conſtituitur in globo noſtro 27 ſtellis; quarum illa in capite, cum tribus aliis in Pegaſo lucidis, ingens efformans quadrangulum, *Caput Andromedæ*, aliis *Vmbilicus Pegaſi* vocatur. Pegaſo enim, & Andromedæ communis eſt ſtella, teſte Hygino: ac proinde Ptolemæus hac in occipitio Andromedæ omiſ-

ſâ,

ta, substituit illam, quæ nobis est in scapula dextra; nempe *Pectus Andromedæ*, τὸ στῆθος, στέρνον, *Elecile tereballe*; ut Bayero vocatur.

Postellus posuit 23; *Bayerus autem itidem, ac globus noster*, 27; *nempe* 3 *secundi luminis*; *unum tertii*; 11 *quarti*; 8 *quinti*; & 4 *sexti, omnes Veneris naturam participantes.*

In Mappa Arabica, ut diximus est *Phoca* sive *vitulus marinus catenatus*. Et catena collo Phocæ circumligata altero extremo continet duorum Piscium in Zodiaco borealiorem. Alioquin Andromedam ab Arabibus non nudam, sed vestis tegumento pictam, inde conjicit Schickardus; quòd vocula *Adhil*, ut stellam quartæ lucis ἐν τῷ σύρματι περιποδίῳ vocant, derivetur ab *Addilo*, quod *fimbriam* sonat. Atque hos Bayerus in Vranometria sua sequutus, exhibuit Andromedam à fronte inspiciendam; non, qualis turpi spectaculo communiter pingitur, vultu in globum procumbentem. Claram habet in perizomate, sive cingulo australiorem, Arabicè *Mirach*, *Mirath*, *Mirar*, *Miraz* dictam; vel, ut Scaliger cum Schickardo legit *Mizar*, sive terminatione nominativâ *Mizaron*, hoc est, *ventrile*, περίζωμα, ut Ptolemæo dicitur; Ebræis *præcinctorium*. Rursus aliam gerit in sinistro & australi pede, sive solo cothurni, *Alamak* Arabicè dictam, Schickardo *Elamak*, quod est *profunda*. Pro priori, facta trajectione, Scaliger substituit *Almaak*, quod *cothurnum* significat, vel *socculum*. Aliis perperam scribitur *Alhames*.

Cæterùm Andromeda tanti æstimavit suum liberatorem Perseum, tantoque dilexit, imò amavit ardore; ut parentes linquens, ipsum, teste Ctesia in Perseide, secuta sit, ubicunque se ille contulerit; adeoque & in ipsum cœlum tandem, beneficio Minervæ, cum eo conscenderit. Hinc Manilius:

Hic (Perseus) *dedit Andromedæ cœlum, stellisque sacravit*
Mercedem tanti belli.

Suscepit autem ex ea Perseus filium *Persen*; &, ut

Herodotus teſtatur, *Alcæum, Electryonem, Sthenelum, Meſtorem*; quibus Pauſanias in Corinthiacis addit filiam *Gorgophonem*; quæ omnium prima ad ſecundas tranſiiſſe nuptias fertur: & Arrianus l. 8 de Geſtis Alexandri, *Erythrum*, qui mari Erythæo imperaverit, ac nomen dederit: quamquam alii tradant filiam fuiſſe, *Erythram* dictam, unde mari Erythræo nomen ſit datum. At ſuſpicor fuiſſe *Eſavum*, qui etiam *Edom*, & gentilibus *Erythra* dictus: ut ad ſignum Herculis videbimus.

Sed loco Andromedæ hîc inſerendam judicamus *Abigail*, prudentem illam Nabalis, & poſtea regis Davidis uxorem; quam David ab Amalekitis captam liberavit, 1 Samuel. c. 30, v. 5, & 18.

VII. PERSEVS; Der Siegs-held/ ſive der Kopf-träger;

Perſes, Catullo *Pinnipes, Inachides*, Ovidio *Abantiades*, & *Acriſioniades, Cyllenius*; Manilio *Victor Gorgonei monſtri*, Deferens *caput Meduſæ, Cacodæmonis*, & *Gorgonis*, Arabicè *Ras Algol*, aliis *Alove*, Schickardo *Raſolguli*, i. e. *Caput attenuantis, ob maciem*; Iudæis *Roſch Hallilith*, & in aſteriſmis Γοργόνειον dictum; ſive, ut alii legunt, *Deferens catenam*: Græcè Περσεὺς, Ιππότα, *Profugus*; Alphonſinis Arabicè *Cheleub*, ſive *Chelub*, i. e. *Canis*, Schickardo *Chelbon*, ſive *Kelbon*; noviter *Chamil ras Algol*. In medio cœli nocte mediâ conſpicitur hoc ſitu, menſe Novembri: ſtellaſque comprendit in globo noſtro 30; nempe 9 *Ras Algol*; & 21 ipſe Perſeus: inter quas lucida illa in latere ſiniſtro, aliis dextro, Arabicè *Cheleub*, *Chenib*, *Algenib*, vel *Genib*, rectiùs Schickardo *Algænbo*, quod *latus Perſei* notat, vocatur.

Po-

Postellus tantum 11 *in Signo, & extra* 3 *habet: sed Bayerus* 38; *nempe* 2 *secundæ magnitudinis in latere Persei, & capite Medusæ*; 4 *tertiæ in humero sinistro, genu, & pede*; 12 *quartæ*; *rursus* 12 *quintæ*; & 8 *sextæ hinc inde per reliquum corpus dispersas, omnes Venereas & Saturninas, sive Ptolemæo Martiales & Mercuriales*; *exceptâ lucidâ capitis Algol*; *quæ quibusdam* ♄ & ♃ *naturam imitatur.*

Ebræi ex Arabico Μοϱφώσις cœlestes in suam vertentes linguam, *Perseum*, Arabum exemplo, *Hominem portantem caput Diaboli*, vel *Cacodæmonis*; *Cassiopeiam*, *Mulierem sedentem in Solio*; *Andromedam*, *Mulierem non habentem virum*; *Orionem*, *Gigantem belligerantem* vertunt. Fuit autem *Perseus*, — *ille Medusæ*
Victor in Andromeda victus,
qui *Caput Medusæum* in globo nostro sinistrâ tenet manu, filius Prœti, sive Iovis Argivi, ex Danaë, Acrisii Argivorum regis, & Eurydices Euroteo, sive, ut alii vocant, Lacedæmone natæ filiâ; quam pater, ne filius ex ea nasceretur, æneo sub terra thalamo incluserat, multis additis custodibus; ut proditum Pherecydi Hist. l. 1, & 12, Sophocli in Antigone, & Pausaniæ in Corinthiacis. Vbi tamen à Prœto, Acrisii fratre, Argolici sinus domino sive Iove, in guttam auream, vel aurei imbris formam mutato, scilicet auro corruptis custodibus, vitiata est. Hinc Horatius 3 Carm. Ode 16;

Inclusam Danaën *turris ahenea*,
robustæque fores, & vigilum canum
tristes excubiæ, munierant satis
nocturnis ab adulteris.
Si non Acrisium Virginis abditæ
custodem pavidum Iupiter, & Venus
risissent. fore enim tutum iter, & patens
converso in pretium Deo.
Aurum per medios ire satellites
& perrumpere amat saxa, potentius
ictu fulmineo, &c.

Et Paullus Silentiarius:

Aureus *in cæcas penetravit denique rimas*,
& Danaës duros Iuppiter *in thalamos, &c.*

 At-

Atque sic ex hoc concubitu natus est *Perseus*. Qui acceptis à Mercurio talaribus, & harpe, sive ense falcato adamantino, qui Arabibus dicitur *Nembus*, item ab Orco, sive, ut Hesiodo placet in Scuto, à Plutone galeâ, ac à Pallade clypeo, speculo, & cibisi, quam *peram* quidam dicunt, dormienti *Medusæ* caput, quod in speculo Palladis aversus intuebatur, unico ictu amputavit. Quippe id ipsum ei injunctum erat à Polydecte Seriphorum rege; qui eum cum matre cistæ inclusum, ac in mare dejectum, teste Apollonio Argon. 4, & Strabone l. 10, exceperat, ac educaverat: sive, ut alii malunt, ab ipsa Pallade, hominum ex intuitu Medusæ proficiscentis calamitatis miserta. Atque sic Perseus demto hoc monstro, ac conjecto in peram capite, quod Pallas postmodum, Rheso Euripidis teste, clypeo suo affixit, Tartesso Iberiæ urbe, ubi facinus hoc perpetraverat, protinùs avolavit, ut ad Polydectem rediret. Sed ubi in itinere vidit *Andromedam*,

quam quondam pœnæ dirorum culpa parentum
prodidit,

ut Manilius l. 5 canit, tanquam piaculum stultitiæ matris succedaneum, quemadmodum supra ad signum Cephei, & Cassiopes diximus, Ceto expositam, virginis innocentis misertus, eam solvit; ac stricto gladio, capiteque Medusæ ostenso monstrum penitus conficiens, miseram ab omni periculo liberavit, & in uxorem duxit. Videatur de hoc modò memoratus Manilius, & Ovidius Metamorph. l. 5; item Verulamius, Pindarus, Hesiodus loco adducto, & Simonides in Perseo:

Medusa autem non illa Priami, neque Stheneli, & Nicippes ejusdem nominis erat filia; sed monstrum Phorco, & Ceto, teste Pausania in Corinth. prognatum, atque adeò Phorcidum, sive Gorgonum una: quarum nomina sunt *Scylla, Medusa, Sthenio,* & *Euryale.* His sorores adduntur *Pephredo,* & *Enyo,* item *Iæno,* juxta Melanthen lib. de mysteriis, propriè *Phorcides,* & *Grææ* dictæ: quæ vetulæ erant à nativitate, ac uno oculo, unoque dente per vices utebantur. *Gorgonibus* capita fuerunt

runt squamosarum anguium spiris obsita, & dentes tantæ magnitudinis, quantæ suum esse videntur: adhæc manus æneæ, & alæ aureæ, oculo itidem uno per vices utentibus: ut traditum Apollodoro l. 2. Sed & Plinius refert l. 3, *Scyllam* Phorci filiam, cùm se lavisset in fonte, quem Circe veneno infecerat, in monstrum supernè virgineum, infernè verò piscinum, sex caninis capitibus latrans, esse mutatum. Habitârunt autem Insulas Dorcadas, vel Gorgadas in Æthiopico sitas Oceano: ut proditum Nimphodoro l. 3. Cæterùm *Medusæ* capillos ad auri colorem proximè accedentes, indignata Pallas, ob stuprum Neptuni in ejus templo cum illa commissum, sive, ut mavult Isacius, ob nimiam arrogantiam, ac temerariam ejus cum ipsa Dea de pulchritudine contentionem, in colubros dicitur mutâsse; imò vim illis indidisse convertendi in scopulos, ac lapides quicunque eam aspicerent. Vnde Lucanus l. 6. Pharsal. Medusam patentem neminem impunè intueri posse censet; nisi Demogorgonem, id est, omnium Deorum patrem in imo tartaro sepultum. Atque idipsum quoque innuit Ovidius l. 1 de Ponto:

Ipsa Medusa oculis veniat licet obvia nostris,
amittet vires protinus ipsa suas.

Gorgones verò dicuntur παρὰ τὸ γοργὸν τῶν ὀφθαλμῶν, id est, à *terribili aspectu oculorum.* Videatur Menander de myster. Nymphodor. l. 3 Histor. Theopompus l. 17, Bolemo ad Adæum, Æschyles in Prometheo, Alex. Myndius de jumentis, Ovidius Metamorph. l. 4, & Natalis Comes l. 7, c. 11, & 12; item infra Signum Pegasi; ubi nativam Medusæ enarrabimus historiam.

Verùm missâ fabulâ, substituamus veram ex Sacris historiam de Davide, filio Isai Bethlehemitæ, postea rege, Goliathum Gigantem Philistæum jactu lapidis occidente, ac caput ejus obtruncante; ut videre est 1 Samuelis c.12, v.23,49,51,& 57. Nihil enim convenientius, meo judicio, aptari potest huic Signo cœlesti, quàm *David* ille *Caput deferens Philistæi.*

VIII. TRI-

VIII. TRIANGULUM BOREALE; das Norder-dreiek;

Triquetrum, & *Tricuspis*, sivè *Triangulus*, & *Trigonus septentrionalis*; Manilio *Nili donum*; *Nilus*; *Ægyptus*; *Sicilia*; *Trinacria*; *Orbis terrarum tripartitus*: Græcè Δέλτα, Δελτωτὸν, Τρίγωνος, Τρίγωνον; Herodoto Ποταμοῦ δῶρον, Nili donum: Arabicè *Mutlathum*, *Mutlatun*, *Almutaleth*, Schickardo *Mutlaton*, sive cum articulo *Almutlato*, quod *triplicatum quid* sonat. Medinoctium est in fine Octobris, & comprehendit in globo nostro 4 stellas.

Postellus itidem 4 *numerat : Bayerus vero* 5; *quarum* 3 *quartæ*; *una quintæ*; *& rursus una sextæ magnitudinis : omnes* ☿ *virtutem imitantur.*

Deltoton vocatur; quia simile est Græcanicæ triangulari literæ Δ. Hinc Cicero in Arato:

Et propè conspiciens parvum sub pectore claro
Andromedæ Signum : Deltoton *dicere Graji*
quod soliti; formâ simili quia litera claret.

Item Avienus:

Est etiam, Grajo quod semper nomine nostri
Deltoton *memorant : simile & latus istud utrumque*
porrigitur : summum signo caput angulus arctat,
& gemini suprema jugi vicinia mordet.
Tertia, quæ stantes sustentat linea ductus,
parcior haud simili sese sub limite tendit,
& contracta modum geminâ face flammigerarum
stellarum superat.

Vbi *stantes ductus*. perperam, imò ridiculè dixit; quia stantes & parallelæ angulum constituere minimè possunt. Descriptionem autem hujus Signi elegantissimam nobis exhibet Germanicus Aratæa vertens:

Tres

Tres illi laterum ductus: æquata duorum
sunt ſpacia: unius brevior, ſed clarior ignis.

Nempe eſt *Triangulum iſoſceles*; ubi unum latus inæquale duobus reliquis. Videatur de hôc Hyginus, & Decimator de ſtellis.

Dicunt autem nonnulli hoc *Triangulare Signum* in cœlum locatum eſſe ad indicandum Signum Arietis. Alii, Cererem Siculam oráſſe Iovem, ut in cœlo ſuſpenderet figuram ejuſmodi Siciliæ ſimilem: quæ ſitu ſuo triangulum exactè repræſentare dicitur. Alii denique id factum affirmant ad denotandum tres partes terræ. Sed nobis potiùs videtur denotare *DEum Triunum*, ſive ſacroſanctam Eſſentiæ divinæ *Trinitatem*: præcipuè, cùm Δ prima ſit litera vocabuli DEVS, item Δῖος, hoc eſt, *divinus*: & Matth. c. 3, v. 16, 17, item 28, 19; ac 1 Io. c. 5, v. 7, legantur hæc verba: Τρεῖς εἰσὶν οἱ μαρτυροῦντες ἐν τῷ οὐρανῷ, ὁ Πατὴρ, ὁ Λόγος, καὶ τὸ ἅγιον Πνεῦμα· καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς ἕν εἰσι. *Tres ſunt, qui teſtimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum ſunt.* Sed vide ſis, quid de hoc diximus ad Signum Trianguli meridionalis.

IX. AURIGA; der Fuhrman/ Wagenman / ſive Ziegen-man;

Aurigator, *Agitator currus*; *Arator*; *Heniochus*, *Habenifer*; *Erichthonius*, Homero *Erichtheus*; Ægyptiis *Orus*; aliis *Phaëthon*; item *Cuſtos caprarum*, *Habens hircum*, *capellas*, *hædos*, Arato *oleniam capram Iovis nutricem*; *Myrtillus*; *Pelethronius*; *Bellerophon*; *Trochilus*; *Oenomaus*; Pauſaniæ *Hippolytus*: Græcis Ἡνίοχος, id eſt, *retinens* ſive *trahens habenas*, Ἱππηλάτης, id eſt, *equorum agitator*, ἐλάσιππος, *impulſor equorum*, Ἁρμηλάτης, *aurigator*, Διφρηλάτης, *currum agitans*

tans (Isidorus *Mavortem* dixit, rectiùs juxta Schillerum *Maforte* :) Mahumetanis *Mulus Clitellatus*; in Tetrabiblo *Hora*, pro *Roh*, sive *Roha*, id est, *Auriga* : Arabicè *Alhajot*, sive *Alhatod*, id est, *hircus*, noviter etiam *Memassich alharan* : Aben Esræ הרועה אשר בידו הרסן, ὁ ποιμὴν χειρὶ τῶν ἡνίων κρατῶν. Meridianum mediâ nocte perterrans, circa medium Decembris, parte suâ superiori nobis semper est conspicua : stellisque insignitur in globo nostro octodecim; quarum quæ in sinistro maximè fulget humero, *Hircus*, *Capra*, antiquis *Crepa*, *Capella*, vulgò *Cabrilla*, item *Amalthea*, dicitur; Arabibus autem *Alhajot*, quibusdam *Alatod*, pro *Alhatod*, sive potiùs *Alatudo*, quod *hircum* notat ex Ebræo; Peruanis *Colca* : & Græcis ἀὶξ ὠλενία, *Capra Olenia* : unde Aratus in Phænomenis :

Ὠλενίην δέ μιν αἶγα Διὸς καλέουσ' ὑποφῆται.
Oleniam Iovis altricem dixere *capellam*.

Postellus computat 14 *stellas* : *Bayerus verò* 42; *nempe unam primæ magnitudinis, in dorso*; 2 *in humero*, & *pede sinistro, secundæ*; 7 *quartæ*; 3 *quintæ*; & 19 *sextæ*, *hinc inde disseminatas* : *quibus adduntur* & 10 *illæ stellulæ flagellum constituentes*, *quod Tibullus* Stimulum *vocat*. *Omnes* ♂, & ☿ *naturam imitantur*.

Arabes, sive Mahumetani pingunt *Mulum Clitellatum erectum, freno juxta apposito, extra asterismum, cum stellis suis* : quæ tamen non inveniuntur in freno Heniochi Græcanici. Et de Heniocho, neque negare nudum esse, neque affirmare possumus. Sanè in asterismis παρυπόδιον illi attribuitur, hoc est, *limbus vestis*. In sinistro, ut diximus, humero, sive dorso, est *Capra Amaltheæ*, vel *Amalthea* : quam tamen aliqui in dextrum humerum statuunt. Sub hac conspiciuntur in vola sinistra, duo *hædi*, sive *capellæ*, *Sacla-*

Saclateni Arabibus, Albumasari *Agni*, Græcis ἐριφοὶ, id est, *hœdi*, sive *agni*, dicti. Bayero sunt in dextra vola, Arato ἐν καρπῷ, Proclo ἐν ἄκρᾳ χειρὶ, hoc est, *in extremitate manus*, Avieno in fine manus. Capram dictam volunt *Oleniam*; quòd apud urbem Bœotiæ *Olenum* nutrita; ut est apud Strabonem l. 8: vel quòd in *ulnas Aurigæ*, sive *Oleni* Vulcano prognati filiæ excepta fuerit. Cur autem in cœlum relata sit, explicat Cæsar Germanicus Aratæa vertens: — *Illa putatur*

Nutrix esse Iovis, si verè Iupiter infans
ubera Cretææ *mulsit fidissima* Capræ:
sidere quæ claro gratum testatur Alumnum:

Et Ovidius 5 Fastorum:

— *Primâ mihi nocte videnda*
Stella est in cunas officiosa Iovis.
Nascitur Oleniæ sidus pluviale Capellæ:
Illa dati cœlum præmia lactis habet.
Nais Amalthea *Cretæâ nobilis Idâ*,
dicitur in Sylvis occuluisse Iovem.
Huic fuit hœdorum mater formosa duorum
inter Dictæos conspicienda greges
cornibus aëreis, atque in sua terga recurvis,
ubere, quod nutrix posset habere Iovis.
Lac dabat illa Deo: sed fregit in arbore cornu:
truncaque dimidiâ parte decoris erat.
Sustulit hoc Nymphe, cinxitque decentibus herbis,
& plenum pomis ad Iovis ora tulit.
Ille ubi res cœli tenuit, solioque paterno
sedit, & invicto nil Iove majus erat,
sidera Nutricem; *Nutricis fertile Cornu*
fecit: quæ Dominæ nunc quoque nomen habent.

Horatius vocat *insana Capræ sidera*; quia noctes frigidas inducere solet: eóque ortu suo vitibus nocere legas apud Pausaniam in Corinthiacis. Et ob hanc causam Phliasiis huic sideri Capra ahenea inaurata in foro sacra erat, ne exoriente Caprâ siderationem paterentur vites: ut proditum eidem Pausaniæ ibidem. Sic quoque *Hœdos* Ovidius dixit *nimbosos*. Quippe

non ulli tutum est Hœdis surgentibus æquor.

Cæterùm an verè Capra fuerit, quæ Iovem lacte nutrivit, ambigitur. Quidam dicunt *Amaltheam*: alii *Capram Amaltheæ*. Amalthea autem creditur fuisse filia Hermonii, & uxor regis Nyctei; ex quo Nyctemenen peperit: ut traditum est Apollodoro Cyziceno. Nonnulli putârunt fuisse mulierem Arcadicam, cui nomen fuerit *Capra*. Quæ cùm gemellos peperisset, illos aliis mulieribus alendos tradiderit; ut ipsa nutriret Iovem. Hinc filii ejus, utpote Caprâ prognati, dicti sint *Hœdi*, sive *Agni*: imò cum ipsa matre, quòd Iovi lac maternum concessissent, in cœlum recepti, ac Erichthonio in manum traditi. Videatur de hoc quoque Signum Capricorni.

Est autem *Erichthonius* hic, qui in Aurigam cœlestem mutatus dicitur, non Dardani filius, Trojanorum ille rex: sed Apollo sive rex Atheniensium, Amphictione tertio rege ejecto, in ordine quartus, ex Vulcano, Cœli filio, & *Athena*, vel *Attide*, ut vocat Strabo l. 9, Cranai secundi Atheniensium regis sive Iovis filiâ, sive, ut alii memorant, ex Vulcano, & Terra prognatus; Pandionis I, Orythiæque, & Procris ex Pasithea Naide nympha, teste Apollodoro l. 3 Biblioth. pater; ac artis aurigandi inventor. Vnde Virgilius 3 Georgicorum:

Primus *Erichthonius currus, & quattuor ausus*
jungere equos, rapidisque rotis insistere victor.

Hunc *Erichthonium* dictum volunt ab ἔρις, hoc est, *lis, contentio*, & χθὼν, *terra*: quia inter tumultum quasi, & contentiones Minervæ cum Vulcano, ex terra sit procreatus. Sed suspicor hoc nomen ei attributum, quòd *contenderit* cum Amphictione, qui Cranao successerat, de *terra* possidenda, hoc est, de regno: ut illud saltem à Græculis in gratiam suæ Minervæ sit fictum; quò perpetuam, inviolatamque virginitatem, quam sibi ipsi indixerat, paterque promiserat, conservâsse videretur. Interim tamen, ut ea nullum alium habuit patrem, quàm *Cranaum*, sic quoque Erichthonio nulla alia fuit mater, quàm ipsa *Minerva*: quæ Græcis primùm Αθήνη, *Athe-*

na

na dicta, postea quoque, Pallade Pallantis, sive, ut aliis fingitur, Tritonis, vel Neptuni filiâ manu Minervæ peremtâ, *Palladis* fortè cognomen acceperit; ac conjunctim cum illa fuerit culta. Et hanc Dearum nòn nisi fictam, ut ego censeo, diversitatem indicat Apollodorus l. 3, cum inquit: *Ajunt* Ἀθηνᾶν, (hoc est, *Minervam*, quomodo Romani *Athenæ* nomen propriè interpretantur;) *recens natam, educatam fuisse apud Tritonem, cui filia erat* Pallas: *atque ambas, cùm res bellicas exercerent, in contentionem venisse.* &c.

Quòd autem hujus Minervæ pater fuerit Cranaus, indicat Tzetzes. Qui licet, inter tot contraria testimonia, solus mihi sit testis, adeóque haud sufficere videatur: tamen in promtu sunt, quibus testimonium suum mox firmius reddam. Κρανίον Græcanicâ linguâ significat *caput*: unde *Cranaus*, q. d. *Capitatus*; & Celso Latinè *Cranium*, hoc est, *calvaria*, quæ cerebri sedes. Imò *Triton*, Τριτώ, apud Æolicos, Cretenses, & Ponticos quoque dicitur *caput*, sive *cranium*; quia cranium in tres finditur partes: ut testatur Scholiastes Aristophanis. Hinc suspicor Æolicâ, sive Ponticâ dialecto *Cranaum* dictum fuisse *Tritonem*: ut Triton idem fuerit ac Cranaus. *Coryphe* quoque, uti Cicero lib. 3 de Nat. Deorum, ubi quinque Minervas recenset, Minervæ illius, quam Arcades κατ' ἐξοχὴν *Coriam*, Κορείαν, hoc est, *Virginitatem*, sive *Virginem*, Messenii *Coryfasiam* vocârunt, matrem appellat, Græcis est *vertex capitis*; unde κορυφαῖος Ζεὺς, *Iupiter Capitolinus*. Adeò ut conjicere liceat *Coryphen* fuisse Cranai uxorem, quasi *Cranaam* dictam: & *Coryfasiam*, sive *Coryphasiam* filiam; quæ alio nomine *Athenæa* est nuncupata.

Quis jam non videt *Cranaum* esse illum *Iovem*, sive *Neptunum Atheniensem*, ex cujus *capite*, vel *cerebro* Minervam fuisse natam, schemate poëtico Stesichorus dixit omnium primus. Quem secutus est Apollodorus, Lucianus in Dialogis Deorum, & Strabo; qui l. 14 ait in insula Rhodiorum aurum pluisse, cùm Minerva ex capite Iovis sit nata: item Apollonius l. 4 Argonauticorum, ubi sic canit:

Ηρώοσαι Λιβύης τιμήορι ἄιποτ᾽ Ἀθήνην,
Ἦμος ὅτ᾽ ἐκ πατρὸς κεφαλῆς θόρε παμφαίνουσα,
ἀντόμεναι Τρίτωνος ἐφ᾽ ὕδασι χυτλώσαντο.

Vnde postea alii, commento absurdo absurdiori cumulato, natam dixerunt absque matre. Imò cùm Cranaus circa id tempus bellum gesserit cum Gigantibus, fabulæ locus datus, qua finxerunt Minervam armatam ex Iovis capite exiliisse; quin & arma, & currum statim paràsse: ut scribit Horatius l. 1 Carminum:

Iam galeam Pallas, & ægida,
currusque, & rabiem parat.

Cæterùm cùm ex his clarè liqueat, quòd Minerva sit Cranai filia, Græcis *Athena* dicta; & Vulcanus Erichthonium ex *Athena* Cranai filia genuisse, Erichthonius item à Minerva in templo educatus dicatur; ut proditum Apollodoro l. 3: sanè Minerva fuerit mater Erichthonii, & uxor Vulcani clancularia: quem & Lucianus prævalidâ securi Iovis caput dissecâsse dicit, ut Virgo, futura ejus nupta, erumpere posset. Quod & inde patet: quia Erichthonius Athenæ Patri, ejecto Amphictione, in regno successit: imò tam Athena, quàm Erichthonius, quadrigas invenisse dicitur; ut videre est apud Ciceronem loco adducto. Miror sanè oculatissimum Vossium, illum humanæ divinitatis Virum, quem, ut Præceptorem meum, ante omnes meritò veneror, hanc rem ne unicâ quidem literâ attigisse: cum tamen l. 1 de Idololatria, p. 101, & 102, reges Atheniensium ordine omnes enumeret; imò & eorundem liberos, exceptâ *Athenâ*, sive, ut Romani à *memoria* vel antiquo *memino* aut *memini* vocant, *Minervâ* q. d. *Meminervâ*. Ac inter hos reges primus illi est Mosi σύγχρονος Cecrops; aliis tamen Actæus, cujus ille filiam duxit. Cecropi autem Cranaum, (alii Cererem, & huic Cranaum) Cranao Amphictionem, & huic Erichthonium successisse dicit. Præterea quoque apud eundem Vossium legere est eodem libro p. 130, Minervam Græcanicam, regnante Ogyge, Bœotiæ rege, & Eleusinis in Attica conditore, esse natam, ac juxta Tritonem Bœotiæ fluvium,

vium, ab Alalcomenia Ogygis filia educatam: unde Ἀλαλκομένηϊς; item τριτογένεια, & *Tritonia* sit nuncupata. Quod tamen Callisthenes eâ causâ factum autumat; quia tertio die Lunæ, quæ nonnullis itidem *Tritonia*, sive etiam Τριτώ dicitur, quòd tertiâ à conjunctione luce apparere soleat, Pallas sit nata: unde & diem illum apud Athenienses Minervæ consecratum censeo. Atque ita ea vixerit Isaaci, & Iacobi Patriarcharum temporibus. Sed parentes ejus Vossius non addit. Denique libro 2, pag. 541 de quinque Minervis Tullio memoratis loquens, hæc infert: *Prima ei* (Ciceroni) *est Apollinis Mater: Arnobio similiter in tertio adversus gentes, ex Vulcano Apollinis procreatrix. Imò ut Tzetzes in Lycophronem scribit,* Ἀθηνᾶ τινὶ βασιλίδι, τῇ καὶ Βελονίκῃ λεγομένῃ, θυγατρὶ τοῦ Βροντέως ὑπαρχούσῃ, Ἥφαιστος γάμῳ μιγεὶς, γεννᾷ Ἐριχθόνιον, ὃς ἐβασίλευσεν Ἀττικῆς. *Minervæ reginæ cuidam, dictæ etiam Belonicæ, Brontei filiæ, Vulcanus, cùm eam uxorem duxisset, permixtus, genuit Erichthonium, qui in Attica regnavit.* Hæc Vossius: qui non addit, quod miror, quid denotet nomen *Belonicæ*, item *Brontæi.* Sanè si hæc verba non limulo perspexeris oculo, facili negotio cognosces, Arnobium, vel alium quendam, ex quo ille hæc hausit, per Βρόντεον, pro quo mallem Βροντᾶιον, intellexisse *Iovem Cranaum*; uti & per Βελονίκην Cranai filiam, cujus verum nomen, scilicet *Athenæ*, ipse addidit in Græco Arnobius. Βροντᾶιος enim significat *tonitruum auctor*, quasi dicas *tonitrualis*: & est epitheton Iovis proprium; qui Græcis Ζεὺς βροντᾶιος. Et Βελονίκη nullam aliam denotat, quàm Palladem sive Minervam armatam; qualis erat *Athena*, Cranai filia: unde forsan Romanorum *Bellona.* Βέλος enim Græcis est *telum, sagitta, hasta missilis*, item *fulmen* Herodoto, πᾶν τὸ πόῤῥωθεν βαλλόμενον; ut Eustathius explicat: & βελόνη significat *acum*, vel *acutum quid.* Vnde Βελονίκη est, quasi *hastata, sagittis armata*, sive *tonitrua moderans.* Vt sit Palladis hujus Græcanicæ non nomen, sed epitheton, vel, si mavis, cognomen. Ea enim, præterquam quòd dea sit bellica, unde cassidi ejus insidet gallus gallinaceus, te-

ste Pausania in Eliacis, sola dearum fulminis pollet potestate. Hinc Servius in illud Virgilii primo Æneidos;

Ipsa Iovis rapidum jaculata è nubibus ignem;

hæc commentatus est: *In libris Hetruscorum lectum est, jactus fulminum manubias dici: & certa esse numina possidentia fulminum jactus;* ut Iovem, Vulcanum, Minervam. *Vnde cavendum, ne aliis hæc numinibus demus.* Et Plutarchus in Sylla, licet dubitanter id scribat, divam illam, quæ Syllæ in somnis præbuit fulmen, hinc vocandam censet *Minervam,* sive *Bellonam:* quas ego primitus fortè unum idemque numen, sed diverso cultu pro potestatis diversitate honoratum, fuisse existimo; unde postea ex uno numine imperiti etiam duas fecere Deas diversas. Cætera ex iis, quæ supra diximus, satis sunt liquida.

Nunc audiamus quoque fabulam, quam nobis ex gentilium scriptoribus enarrat Augustinus, in opere suo de Civitate Dei: ubi inter alia scribit; quòd Vulcanus sagittas, quibus Iupiter armatus in bello illo contra Gigantes gravissimo, victoriam reportabat, fabricaverit; Iovemque postea exoraverit, ut, præmii loco, facultatem ei concesserit concumbendi cum Pallade. (Invitus tamen, ut alii produnt, & saltem ob sacramentum, dum per Stygiam paludem suâ sponte juraverat, se illi, quodcunque posciturus sit, concessurum, id ipsum annuit.) Sed Vulcano aliquando, Venere absente, in Palladis cubiculum intranti, primâque vice ludenti, postea vim paranti maximo furore restiterit Pallas: (Pater enim clam eam monuerat, ut reluctaretur:) ita ut id, quod volebat, ad effectum perducere nequiverit. Atque sic Vulcanus in Palladis reluctantis, ac tumultuantis femur semen suum effudisset; quod Dea lanâ detersum, in terram dejecerit: unde postmodum natus sit Erichthonius. Quòd autem Vulcanus semen suum in Palladis femur effudisse dicitur, id more fit Poëtarum: qui, ut magis admirationi sint, τὰ κοινὰ καινῶς proferre, & μεταφορικῶς prolata propriè amant intelligere. Atque eodem modo Erichthonius superiori medietate homini, inferiore serpenti similis fuisse fingitur:

tur: nempe quia primus inter mortales fabricâsse fertur currum, eique, ad imitationem currus Solis cœlestis, quatuor adjunxisse equos: unde &, ob quadrigarum inventum, Iupiter dignum censuerit collocari in cœlum. De hoc quoque videatur Hyginus in Poët. Astronomico, Cæsar Germanicus cum Interprete, Pausanias in Atticis, & Plinius N. H. l. 7, c. 4: ubi unà legas, Phrygum quendam primùm junxisse bigas.

Qui verò fabulas de tribus sororibus Cecrope & Actæi filià prognatis, Agraulo, Herse, & Pandroso, quibus Erichthonium recens natum in cista abscondítum Minerva custodiendum commisit, scire desiderat; is adeat Apollodorum l. 3, Ovidium 2 Metam. Hyginum fab. 146, & Demosthenem Oratione de falsa Legatione, inque eam Vlpianum. Cæterùm quòd Erichthonium semihominem, & semiserpentem antiqui finxerint, varias quidem in eo cum sociis suis mirè desudans, nobis attulit rationes Natalis Comes: sed nemo, quod sciam, veram, licet facillimam inventu, necdum assecutus est. Virgilius sanè disticho supra adducto satis aperit cistam Erichthoniam: ubi, si duntaxat talpæ fuissent, primo quamvis non intuitu, tamen auditu angues instar rotarum volutatim serpentes, ac, ut cùm Livio loquar, orbem volventes, tergaque volumine sinuantes sensissent. Veteres enim primo usi videntur vehiculis, & trahis, sive rhedis, quibus nullæ affixæ rotæ. Itaque cùm Erichthonius illas, adjectis quatuor rotis, in currus mutâsset, videbatur primus in ejusmodi curru pedibus latentibus sedens, curru currente, ob rotas anguium instar orbem volutantes, quasi

sinuare volumina crurum,

ut cum Virgilio loquar: eóque dictus est habere crura anguina, & corpus reliquum, quod ex curru prominebat, hominis.

Verum enimverò pro hoc Erichthonio alios nobis inducere videtur Aurigas Theon in Aratum; ubi sic ait: *Fabularum scriptores Aurigam eum, qui cœlo adscriptus est, imaginem esse dicunt Bellerophontis* (de quo diximus in

 Signo

Signo Pegasi) *vel Trochili, qui Callitheæ filius fuit : solemniaque hujus rei sacra in Argis primùm instituta, quòd primus junxerit currum.* Quibus verbis Pierius Hieroglyphic. l. 43, hæc addit : *Sunt tamen, qui putent Myrtili; sunt qui Cillantis, qui Pelopis auriga fuit; sunt qui Oenomai figuram esse contendunt. Atque ita Græcia est in unaquaque re contentiosa.* Et Nigidius tradit hoc signo denotari *Aratorem,* quem *Oron* Ægyptii dicunt; quòd *Oron,* Osiridis ex Iside filium, ab hoc educatum credant. Et verum est patrem Osirin, vel Mitsraim Chami filium, primum Ægypti post diluvium regem, Ægyptios docuisse agriculturam; unde & symbolum bovis, qui agriculturæ, meruit.

Sed huic Signo substituamus *Patriarcham Iacobum*; qui duos Patri hircos præparans, ac offerens, benedictionem loco Esavi consecutus est, Genes. c. 27, v. 9, & 19.

X. COMA BERONICES, sive *Berenices*; das Frauen-Haar;

Crines, Capilli, Cincinnus, Cæsaries, Trica, Tericæ, Triquetræ; Raitæ *Sudarium Veronicæ*; aliis *Rosa*; nonnullis *Fusi:* Græcè Hygino πλόκαμος Βερονίκης, πλοκαμῶ συστροφὴ, id est, *cincinnorum globus*, βόστρυχος, *cirrus*, τρίχες, id est, *pili, capilli*; Theoni ἠλακάτη, hoc est, *colus*, mulierum nentium instrumentum, circa quod lanam, vel linum volvunt, Hesychio *fusus*, Eustathio *lanæ colui circumvolutæ*, Suidæ *fila, stamina.* Circa medium noctis in meridiano deprehenditur, sub finem Martii.

Est autem congeries 14 *stellarum, supra Leonis caudam; quam Astronomi, qui post Ptolemæum non ita diu vixerunt, nixi sunt revocare ad certam imaginem, nempe ad* Capillos, *sive* Cæsariem Beronices *uxoris Ptolemæi. Bayerus verò pervetustum MS. codicem secutus, substituit* Manipulum frugum, *sive* spicarum, *novem stellis com-*

comprehendentem, quem Booti, ut ejus confinem, adjunxit. Et hinc Arabicè vocatur Alzimon, Azimech, *Schickardo* Huzimethon, *quod* manipulum, *vel* fascem, *scilicet* ariſtarum, *significat; ut ad Signum Virginis uberiùs annotavimus. Ptolemaus* Comam τῷ φυλλῷ κισσινῷ, *hoc est*, folio, *sive* frondi hederaceo, *vel* helici *similem dixit*.

Coma Beronices inter aſtra relata dicitur hac ratione. Cùm Ptolemæus Lagides ſive Lagi filius, Magnus & Σωτὴρ dictus, Ægypti poſt Alexandrum Magnum rex (à quo deinceps reges ſucceſſores ejus, dicti ſunt Ptolemæi; ita tamen, ut cognomentis Philadelphi, Epiphanis, & aliis ejuſmodi diſtinguerentur) in Aſiam belligeraturus proficiſceretur; uxor ejus *Beronice* voto ſe obſtrinxit, quòd capillos ſuos adeò pulchros, ut omnium oculos allicerent, ſi Ptolemæus triumphans reverteretur, Veneri conſecrare, ac in ejus templo ſuſpendere vellet. Atque id ipſum, Ptolemæo victorioſo redeunte, quoque præſtitit. Vnde eam Venus immortalitate donavit: ut indicat Theocritus in Syracuſis:

Κύπρι Διωναία, σὺ μὲν ἀθανάταν ἀπὸ θνατῶν
ἀνθρώπων, ὡς μῦθος, ἐποίησας Βερονίκην.

Sed haud multò poſt Cæſarie Beronices in Veneris templo non ampliùs viſâ, rumor exortus eſt, eam in cœlum raptam, & ſupra Leonis caudam ſuſpenſam. Et ſuſpendit eam, ſive ſideribus intulit, temporibus Ptolemæi Philadelphi Arſinoës mariti & fratris, ſive Ptolemæi Euergetæ, Conon Mathematicus; qui Solis, Lunæque defectuum obſervationes collegit. Hinc Callimachus apud Theonem Commentario in Aratum:

Ἡ δὲ Κόνων ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν Βερονίκης
βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

Quod Catullus ſic reddidit:

Idem me ille Conon *cœleſti numine vidit*
è Beroniceo vertice Cæſariem
fulgentem clare: quam multis illa deorum
non ſine taurino ſanguine pollicita eſt.

Et cùm Aratus ad Virginis ſidus, ſtellas quaſdam, ſine nomine, ſparſas enarraſſet, ſubjunxit Theon: οἱ δὲ ἡλακάτην

κάτην αὐτὰς λέγουσι. Κόνων ὁ μαθηματικὸς, Πτολεμαίῳ χαριζόμενος, Βερονίκης πλόκαμον ἐξ αὐτῶν κατηστέρισε· *Hi illas* fuſum, *ſive* colum *dicunt. Conon autem Mathematicus, Ptolemæo gratificaturus*, Beronices comam *ex illis conſtituit, & aſtris intulit.*

Sed intelligamus potiùs, ſi lubet, ſub hac Beronices Coma, *Cæſaries* ſive *Capillos Mariæ Magdalenæ*, quibus pedes Chriſti, quos lachrymis ſuis madefecerat, abſterſit, Lucæ c. 7, v. 38: ſive *Capillos Mariæ, ſororis Lazari*, quibus æquè, ac Maria Magdalena, pedes Chriſti exterſit: vel, ſi mavis, *Cæſariem Abſalonis* omnium pulcherrimam, 2 Samuel. c. 14, v. 25, 26, & c. 18, v. 9.

XI. BOOTES; der Vieh-treiber / der Beeren-hühter / das Hürten-geſtirn;

Q. Ciceroni *Bootis, Bubulus, Bubulcus*, Iuvenali *Tardibubulcus*, *Paſtor*, *Cuſtos boum currum trahentium*; *Clamans, Clamator, Vociferator*, quòd ſtimulo inſtet bubus, ut Latinis Almageſti interpretibus dicitur; *Plauſtri Cuſtos*, Ovidio *Cuſtos Erimantidos Vrſæ*; *Arcturus*, Iſidoro *Arcturus minor*; quibuſdam *Septentrio*; Petellidi Gnoſio *Philomelus* Cereris filius; *Icarus, Icarius*; *Lycaon*; Heſychio *Orion*; *Plorans*, & *Vrſam venando inſectans Arcas*, *Venator Vrſæ*; *Arctophylax*: Græcè Suidæ Ἀρκτοῦρος, Ἀρκτοφύλαξ, id eſt, *Cuſtos urſarum*, Vitruvio *Cuſtos Arcti*, der Beerenhühter, communiter Βοώτης, id eſt, *bubulcus*, vel Βοωτὴς, *clamator*, ſcilicet cum accentu in ultima, ut Arabes Almageſti interpretes legerunt; in Mappa Turcica Οἰστοφέρος, hoc eſt, *Sagittifer*: Ebraicè עש: Arabicè *Ariamech, Alramech, Aramech*, Schickardo *Arramicho*, id eſt, *haſta-*

haſtatus, *Lanceator*: unde & nonnunquam cum venabulo, & canibus venaticis pingitur; Albumaſari cum equo: ſed juxta fragmenta Azophi, Arabes *haſtam*, *gladium*, *pugionem*, *clavam*, & *aſinos aliquot* tantummodò pingunt; adeóque plures, eaſque ſeparatas imagines ex hac conſtellatione conſtituunt. Quibuſdam & dicitur *Cheguius*, *Ceginus*, *Thegius*: ſed hæc pertinent ad conſtellationem Cephei. Et hinc forſan Aben Eſræ vocatur *Canis*, ſive *Moloſſus latrans*. Cæterùm noctis medio meridianum tenet, circa initium Maji: ſtellasque complectitur in globo noſtro 23: ex quibus inter ejus genua in limbo, ſive fimbriis perizomatis maximè lucet *Arcturus*, Martialis & Iovialis naturæ ſtella; quam, olim informem, in Zona deſignabant Eudoxus, Aratus, Eratoſthenes, Manilius, Hipparchus, alii. *Arcturus* κατ' ἐξοχὴν vocatur, & cùm non procul ſit ab *Vrſæ cauda*: Iſidoro *quaſi Arctuzona*, *Bootes*: Arabibus eſt *Gladius*, aut *Pugio*; *Alramech*, *Aramech*, de quibus modò diximus; item *Azimech*, ſive *Azimet*, quod tamen meliùs ad Spicam Virginis refertur; & *Alkameluz*, *Kolanza*; Homero Ὀψὲ δύων, quaſi dicas, *calamitatibus*, *&* *infortuniis multùm ſcatens*; Plinio *Sidus horridum*. Hujus autem Sideris mentionem ingerit Iob c. 9, v. 9, & Amos c. 5, v. 8.

Poſtellus huic aſteriſmo tribuit 22 *ſtellas intra*, *&* *unam extra*: *Bayerus verò* 34; *nempe unam primæ magnitudinis*, *in fine perizomatis*, *ſive fimbriâ tunicæ*, Arcturum *dictam*; 6 *tertiæ*, *ex quibus illa in ſiniſtro humèro* Ceginus, *aliæ in dextro femoris*, *juxta cingulum*, *Arabicè* Merer, *ſive* Mezer, *aliis* Mirach, *vel* Mirac, *appellantur*; 13 *quartæ*, *quarum tres illæ*, *in manu ſiniſtra*, *dicuntur*

Afelli, *& ultima in colorobo, id est, pedo incurvo, sive clava, Virgilio* pedum, *Ptolemæo* κολόβρο͂ς, *id est* hasta, *Hygino* ῥόπαλον, *clava, Hesychio* κάλαυροψ, hastile cavum, venabulum; *Arabicè* Alkalaurops, *Schickardo* Inkalurus, baculus Bootis, *quòd olim esset* ἐν τῷ κολύρῳ, *sic dicta; Ebraicè* רמח lancea, pugio: *porro* 5 *quinta*; *&* 9 *sexta, ex quibus illa in falce prima* Marra, *Hesychio* Merga, *Plinio* Falx Italica *dicta, hinc inde disseminatæ, omnes* ♄, *&* ☿ *naturæ, exceptis Arcturo, & parvissimis.*

Bootes in globo pingitur non totus vestitus, sed cinctutus, hoc est, perizomate, sive panno, qui cingulo supra ilia, infra mamillas, substringitur; qualis habitus veterum popparum. In Mappa Turcica est ridicula figura, quæ solis verbis concipi non potest. Exit autem *manipulus frondium, aut herbarum* nescio quarum. *Hastile canes habens*, sive *Hastile serpentes habens*, vocant, cum titulo apposito οἰςοφόρος; ut supra vidimus. Vnde etiam Arabibus Bootes absolutè dicitur *Sagitta:* quod in Asterismis Almagesti est *Azimech*, id est, *hastile*. Et omnem *directam virgam*, quin & *axem mundi* vocant *Azimech*. *Azimech* autem in Tetrabiblo dicitur *Aramech* : quod scribendum, juxta Grotium, & Scaligerum, *Hazimeth Aramech*, hoc est, *Manipulus Lanceatoris*, ein bund pfeile. Et reperitur quoque in Ebraismo רמח, ut Iof. Scaliger annotavit.

Arctophylax verò, & *Arcturus*, ut Booten nostri communiter dicunt, sunt vocabula æquivalentia, *custodem* sive *inspectorem Vrsæ* significantia. οὖρος enim, quando derivatur ab ὁρᾷν, id est, *videre, providere, curare*; & φύλαξ, eandem propriè obtinent significationem : ut Abrahamus Cæsius in Disquisitionibus suis quoque annotavit. Et vocatur *Custos Vrsæ*, quòd instar custodis cujusdam Vrsæ adhibiti, à tergo eam subsequatur. Hinc Aratus:

Ἐξόπιθεν δ᾽ Ἑλίκης φέρεται ἐλάοντι ἐοικὼς
Ἀρκτοφύλαξ τὸν ῥ᾽ ἄνδρες ἐπικλείουσι Βοώτην.

& Cicero de Natura Deorum:

Arctophylax *vulgo, qui dicitur esse* Bootes.

Arctophylax autem, sive *Bootes*, aliis proprio nomine dicitur

dicitur *Arcas*, aliis *Icarius*, sive *Icarus*: unde Cæsar Germanicus:

Inde Helicen sequitur senior, baculoque minatur,
sive ille Arctophylax *Bacchio munere cæsus*
Icarus *ereptam pensavit munere vitam*, &c.

Icarus ille erat Pater Erigones à Libero vini faciendi modum edoctus, ut hominibus largiretur: & certè largitus est, sed suo, & filiæ damno. Quippe à pastoribus vino inebriatis lapidibus occisus est: & filia, postquam occisum Patris corpus canis indicio inventum, in Hymetto monte sepeliverat, præ mœrore vitam laqueo finivit; Icaro tamen, pariter ac Cane, unà cum Virgine, beneficio Liberi in cœlum receptis: ut ad Virginis, & Canis signum fusiùs annotavimus. Et hinc est, quòd septem illas in Vrsa stellas, *Icarios boves* dixerit Propertius: *Flectant* Icarii *sidera tarda* boves.

Cæterùm qua ratione, & occasione in cœlum sit translatus *Arcas*, idipsum supra in explicatione Signi Vrsæ majoris, cursim, ac perfunctoriè attigimus: reliquum ex hac innotescet fabula. *Arcas* Callistûs ex Iove sive Apolline Lyceo filius, à Lycaone Arcadiæ rege Callistûs patre, adhuc infans membratim laceratus, & Iovi illi comedendus appositus est. Comperto autem hoc flagitio, Iupiter Lycaonem, ejus ædibus priùs incensis, commutavit in lupum, & Arcadem, compactis membris, vitæ restituit: imò jam adultum, quia popularibus suis acceptum à Triptolemo frumentum monstraverat, eosque panes conficere docuerat, unà cum matre, ut nonnulli tradunt, astris intulit. Et æstimationem ejus non obscurè indicat Pausanias; cùm in Arcadicis scribit, eum in Mænalo monte sepultum, jussu Oraculi Delphici, deportatum fuisse in Arcadiam. Sed plura de hoc vide sis ad Signum Herculis, & Lupi.

Verùm hisce *Bubulcis*, & *Venatoribus* fabulosis substituamus potiùs Prophetam *Amos*; qui antequam ad propheticum munus evocabatur, *bubulcus* fuerat; ut ipse testatur cap. 3, v. 14, & 15: sive *Nimrodum*, *fortem illum Venatorem coram Deo*, Genes. c. 10, v. 8, & 9.

XII. CO-

XII. CORONA SEPTENTRIONALIS ſive *borea*, & *prima*; der Nord-krantz / ſive die Norder-krohne;

Diadema cœli; Manilio *Corona Ariadnæ*, vel *Ariadnæa*, aliis *Cretica*, *Gnoſſia*, ſive *Gnoſia* Virgilio, & Ruffino; item *Corona Vulcani*, *Amphitrites*, *Theſei*, *Minois*; Albumaſari *Cœlum*; Azophi *Parma*; quibuſdam *Oculus*: Arabicè *Alpheta*, in Mappa Arabica *Aclileuſchemali*, ſive *Acliluſchemali*: Chaldæis *Malphelcare*, quod Bayero eſt *Sertum pupillæ*: Ebraicè עטרה ab עטר *corono*, עטרה; *Atarah*, item *Itter*, *Pheer*, & *Phaar*: Græcè Στέφανος, & στέφανος πρῶτος, καὶ βορεῖος, *Corona prima*, & *borea*; item στεφάνη, στέφος, στέμμα, id eſt, *ſertum*, *corolla*, *capitis inſigne*; Appioni χορωνὸς, aliter χορωνα; *Corona*. Meridianum nocte mediâ, menſe Majo, coronans, in globo noſtro octo conſtat ſtellis; quarum propè frontem fulgidiſſima, Manilio dicitur *Lucida Coronæ*, Maroni, & Ruffo *Gnoſſia*, ſive *Gnoſia*; aliis *Gemma* vel *Margarita Coronæ*; item *Pupilla*; *Roſa aperta*: Arabicè *Mumir*, *Munir*, *Malſelcare*, *Acliuſchemali*; Babyloniis *Elepheta*, *Alpheta*, *Alphecca*, *Alphacca*; quod Grotio *ſolutionem* ſignificat: Schickardo *Alphakacho*, id eſt, *flos apertus*, *ſolutus*: Ptolemæo λαμπρὸς ἀστὴρ.

Poſtellus itidem numerat octo, uti & Ptolemæus; alii novem, teſtè Ovidio Faſtor. 3:

Aurea per *ſtellas* nunc micat illa *novem*.

Bayerus autem habet undecim; &, dum Coronæ adhuc lemniſcum, ſive vinculum propendulum novem ſtellis ornatum addit, colligit 20; *nempe unam ſecundæ lucis, quæ* proxima fronte *Manilio, vel in ſuperiori*

teriori parte, ex opposito commissuræ; porrò 5 quartæ; 8 quintæ, & 6 sextæ, omnes Venereas Mercuriali naturâ temperatas.

Hoc signum fingitur plerisque instar *fasciæ*, sive *diadematis* quod capiti circumligatur, & solvitur. Itaque stella lucida quibusdam est instar commissuræ illius, tanquam, quod Gallis dicitur, *bouton*, Germanis **ein knopff strük / rose /** vel **schleuffe.** Veteres enim coronas *fasciolis* sive *lemniscis*, de quibus Tertullianus l. de Corona milit. & Martianus Capella l. 2 de Philologiæ nuptiis, item Herodianus, & Nicas scripsere, quin & *philyris* colligare solebant. Hinc Horatius:

Displicent nexæ philyrâ *coronæ*.

φίλυρα autem Græcis non tantùm arborem, Latinis *tiliam* dictam, significat; sed etiam, ut Plinio N. H. l. 16, c. 14 videtur, *Membranam* illam inter corticem, & lignum tiliæ arboris tenuissimam: ex qua coronarum lemnisci, sive fasciolæ de coronis pendulæ, conficiebantur; item tabellæ tiliaceæ, Græcis φιλύρινοι πίνακες dictæ, quibus pro chartis ad Scripturam aptis veteres utebantur. De hoc videatur Vlpianus L. 52, Libr. appellat. D. De leg. & fideicom. 3. Paulus recept. sent. lib. 3, tit. 6; item Ælianus, & Eustathius. Ob ejusmodi autem nexus corona legum dicitur hieroglyphicum. Quod B. Hieronymi mens est: qui dictum Pythagoræ, σέφανον μὴ δρέπεσθαι, interpretatur, *leges non esse dilacerandas, sed in vigore conservandas.*

Sertum quoque Manilio, aliisque Poëtis appellatur. Quod nonnulli veterum *Myrteum* autumant; fortè ob Venerem, cui myrtus sacra; quòd eâ coronata astiterit judicio Paridis, teste Nicandro in Alexipharmacis; sive potiùs, quòd myrtus amoris ignem refrigeret: unde amantes Virgilio Æn. l. 6, myrteâ teguntur silvâ. Et talem ei coronam dedisse fertur Vulcanus. Multi, forsan in honorem Apollinis, *Laureum*; quidam *ex floribus*, ut Comi hilaritatis Dei; Hyginus *ex auro & gemmis*; Callimachus *ex capillis* constitutum; alii *pennatum*, ut Musarum ex pennis Sirenum devictarum; alii item *radiatum* dicunt.

Hoc

Hoc quoque Nysiacis quod sparsim floribus ardet
multiplici ambitum redimitum lumine Sertum.

Quin & pingitur interdum instar serti ex duobus *hederæ* ramusculis vinculo emissitio colligati : nempe respectu Bacchi sive Liberi Thebani Iovis ex Semele Cadmo prognatâ filii, sive potiùs Ægyptii, Osiridis dicti, qui ejusmodi coronam primus, ut triumphorum Deus, teste Saturnino, capiti imposuit. Osiris enim sive Mitzraim, qui filius fuit Chami, Græcis Διόνυσος dictus, ac conditor templi Ammonis, item Thebarum Ægypti, primus invenisse fertur hederam, æquè ac laurum ejus frater Apollo; ut ex Diodoro constat. Hinc quoque vocatur hedera Ægyptiis *Chenosiris*, hoc est, *Osiridis planta* : imò vitibus etiam in Bacchi sacris præferebatur: quem fortè, quòd hedera semper vireat, perpetuum juvenem finxerunt.

Nam solis æterna est Baccho, Phœboque juventa.

Ac ejusmodi coronam hederaceam cum corymbis, λεμνίσκων δύο καληζημένων, qualem in Græciæ Magnæ numismatibus videas, nobisque Capella, & Manilius l. 5, describunt, exhibuit quoque Bayerus in Vranometria. Sanè ob raritatem, exemplo Liberi, victorem exercitum hederâ coronatum ex India reduxit Alexander. De hac Artemidorus l. 1, c. 79 : *Corona vitis*, inquit, *& hederæ solis Dionysicis artificibus confert : reliquis vincula significat, propter pampinos retortos, & hederæ amplexus ; aut morbum eâdem gratiâ. Malefactoribus autem decollationem portendit, propterea, quòd ejusmodi ferro resecentur.* Atque hinc *hedera*, æquè ac *vitis, smilax, abies, ficus*, & *quercus*, Baccho sacra : quem quoque *Hedereum* dixere Acharnis; ubi primùm inventa fertur hedera. Nisi potiùs id factum velis Nysæ, quam ille in extrema ferè India condidisse, ac ibi hederam plantâsse dicitur : unde & fortè *Dionysus*, sive *Dionysius*, quasi dicas, *Deus Nysius*, est nuncupatus.

Appellata autem est hæc nostra *sideralis Corona* ab antiquis, *Borea*, ad differentiam ejus, quæ sub pedibus est Sagittarii; nempe Coronæ austrinæ. Et pinxerunt eam

non-

nonnulli ut Romanorum *triumphalem*; quam publicus minister, eodem curru triumphali Romæ vectus, supra caput Imperatoris tenebat; qualem describit Iuvenalis Sat. 10: alii ut *novum diadematis genus*; alii alio modo; ut jam diximus, & ad Signum Coronæ austrinæ, quod adi, quoque videbimus.

Adscribitur verò ea imprimis *Ariadnæ* Minois junioris, Cretæ Regis, ex Pasiphaë filiæ, ac Androgei sive Glauci sorori: unde & *Cretica*, sive, quod idem est, *Gnossia*, vel *Gnosia*, & *Cnosia*, appellatur: ut apud Virgilium 1 Georgicorum:

Gnosiaque *ardentis descendit Stella Coronæ*.

Hujus Ariadnæ beneficio ac consilio, labyrinthum inexplicabilibus viarum ambagibus conspicuum, putà inevitabilem visam Atheniensium ignominiam, evasit, ac in eo degentem Minotaurum, hoc est, *Minois* exercitus præfectum, nomine *Taurum*, sive Tauri hujus filium adulterinum, occîdit Theseus, Ægei Athenarum regis, (quem cur Neptunum dixerint, explicavimus ad signum Geminorum) ex Æthra filius, ac Hippolyti, & Demophoontis pater. Qui tamen immemor beneficii, & perjurus, eam unà cum Phædra† fratris Deucalionis filiâ abductam, Catullo teste, in Insula Naxo, à Baccho ejus admonitus, postea reliquit; æquè ac Iason Medeam Æetæ regis Colchidis ex Idyia, sive Hecate filiam, & sororem Circes, ut C. Cælius apud Solinum c. 8 vocat, nempe junioris; senioris verò amitinam sive fratre prognatam; ut est apud Homerum Il. κ, Apollon. Argon. 3, Hesiodum; & nos in Eridano demonstrabimus. Vnde Ariadna ipsa in Thesei perfidiam sic invehitur:

†sorore, sive, ut alij malunt,

Siccine me patriis abductam perfidè ab oris,
Perfide, deserto liquisti littore, Theseu?

Vide sis quid de hoc nobis dictum ad Signum Sagittarii, item Geminorum.

Sed duæ Naxiis cultæ sunt *Ariadnes*: illa à Theseo, regnante Smardio Naxii nepote, rapta, cùm mœstitia: at altera Liberi, sive Bacchi uxor, cum hilaritate; ut ex Plu-

Plutarchi Theſeo liquet. Et hanc cum Libero patre pinxit Ariſtides Thebanus: quæ tabula vendita dicitur ſex millibus Seſtertiûm. Interim tamen qui has Ariadnas, more ſolito, confundunt, affirmant, Bacchum primam illam à Theſeo relictam duxiſſe in uxorem; ejusque Coronam, quam Vulcanus Veneri, unde & *myrtea* quibuſdam creditur, & hæc rurſus Ariadnæ dederat, Arato teſte, aſtris intuliſſe: ut *μνῆμα* ſit *ἀποιχομένης Ἀριάδνης*, hoc eſt, *in recordationem abſentis*, vel *mortuæ Ariadnæ*; ſive, ut alii tradunt, ad leniendum dolorem, quem Ariadnæ creaverat Bacchus; cùm amore filiæ Regis Indiæ exardeſcens, eam ſpernere videretur. Alii addunt Ariadnam ipſam telo à Diana, ob amiſſam virginitatem, jam transfixam, unà cum Corona aſtris illatam fuiſſe. Atque hinc canit Propertius:

Te quoque enim non eſſe rudem teſtatur in aſtris,
Lyncibus in cœlum vecta, Ariadna, tuis.

Item Seneca in Hippolyto, ubi Phœdram abſentem Ariadnam ſic invocantem introducit:

Tete, ſoror, *quacunque ſiderei poli*
in parte fulges, invoco ad caſum parem.

Quod tamen aliqui de ipſa Erigone intelligunt. Et Catullus ex Callimacho:

Aut Ariadneis aurea *temporibus*
fixa corona *foret.* --

Quin imò Manilius Coronam in ipſo cœlo Ariadnæ capiti impoſitam ſcribit in Sphæra; uti & Iuſtinus Martyr in Apologetico. Et ait qui Cretica ſcripſit, Bacchum Ariadnam conjugem tali dono honoratam, Faunis currum ſtipantibus, abduxiſſe: quod etiam apud Guilielmum de Choul, Neronis Numiſma teſtatur. Ac valde veriſimile hoc eſt; cùm antiquiſſimis temporibus, Plinio teſte N. H. l. 16, c. 5, nullis, præterquam Diis, aut in Deorum numerum receptis, conceſſerint coronam. Sic primum omnium capiti ſuo coronam impoſuiſſe modò diximus Bacchum, & quidem hederaceam: quæ omnium prima in uſum venit, ac imprimis Baccho initiatis poſtea impoſita eſt; ut proditum Euripidi in Bac-

Bacchis, & Dionyſio in Coſmographia, item Macrobio l. 7 Saturnal. c. 1. Et in numiſmate quodam veteri conſpicitur Bacchi ſimulachrum cornutum ac hederâ coronatum cum racemo in dextra, & ſpolio in ſiniſtra, additâ epigraphe ΔΙΟΝΥΣΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ. In alio eſt idem ſimulachrum, ſed alterâ facie Hercules cum clava & ſpolio, ſuperadditâ inſcriptione ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ ΣΩΤΗΡΟΣ, & infra ΘΑΣΙΩΝ: nempe quia ex Thaſiis populis Inſulæ cujuſdam Thracibus finitimæ Herculis majores ortum traxiſſe fertur.

Cæterùm illam Ariadnæ Coronam Timachides Poëta plexam fuiſſe ait ex quodam flore, qui dicebatur ἄνθος θήσειον. Ἀπὸ τούτου, inquit Athenæus, ἄνθους φησὶ καὶ τὸν τῆς Ἀριάδνης καλούμενον στέφανον πεπλέχθαι. Sed & in Ariadnæ στεφάνῳ καὶ περισμένῳ eſſe herbam, nomine Ψαλάκανθαν, Crinagoras Poëta dixit in Epigrammate apud Ptolemæum τοῦ Ηφαιστίωνος; ut ex Photii Bibliotheca conſtat. Videatur de hoc Scaliger in Manilium. Meminere quoque hujus Sideris Ptolemæus Almag. 7. Alphonſus in Tabulis, Cæſius Baſſus, Cæſar Germanicus, Iul. Firmicus l. 8, & 11, Marcellus l. 1, c. 4, & l. 5, c. 1, Plin. N. H. l. 18, c. 23, & 31, & Ovidius in Faſtis; ubi in 5 canit:

Bacchus amat flores, Baccho placuiſſe Coronam,
ex Ariadnæo ſidere *noſſe potes.*

Sunt præterea, qui dicunt, *Coronam* hanc eſſe *Theſei*; quam in mare ſe conjiciens, ut gemmam Minois in illud abjectam quæreret, ab Amphitrite dono acceptam, Neptunus inter ſidera retulerit. Sed ſub hac cœleſti Corona potiùs intelligi poteſt *illa Magni Ahaſveri*; quam capiti Vxoris ſuæ impoſuit, Eſther c. 2, v. 17. vel *aurea illa Regis Ammonitarum* talenti pondere; qua bello potitum Davidem, ante Homeri tempora, inſignitum fuiſſe ex lib. 2 Reg. c. 12, v. 30 notum: vel, ſi mavis, *Spinea* illa *Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti* ἀκανθοστέφος; qua illum pro peccatis noſtris patientem, dehoneſtare voluerunt Iudæi: ut ex hiſtoria Evangeliſtarum multis in locis videre eſt.

XIII. SERPENTARIUS;
der Schlangen-man;

Serpentinarius, *Serpentislator*, Columellæ *Anguiger*, *Anguifer*, Ciceroni *Anguitenens*, *Effeminatus*; *Ophiulcus*, *Ophiulculus*, rectiùs *Ophiuchus*, id est, *Serpentis præses*; quibusdam *Carnabons*; *Triopas*; aliis *Hercules*, *Puer angues manibus premens*; aliis *Cæsius* sive *Glaucus*; item *Æsculapius*; *Phorbas*; *Cadmus*; *Iason*; *Æsacus*; *Laocoon*; *Aristæus*, &c. Græcè Arato Μογερὸς, communiter ’Οφιοῦχος, malè ’Οφιοῦλκος: Mauris, qui *Gruem*, sive *Ciconiam serpenti insistentem* pingere solent, *Elhague*, *Alhague*, corruptè *Alangue*: Arabibus *Afeichius*, sive *Afeichus*, quod ex Græco ὀφιοῦχος est depravatum; noviter *Alhava*. Medio noctis mesuranicus est, circa initium mensis Iunii: stellisque in globo nostro insignitur 23; inter quas conspicitur fulgidissima in capite, *Ras alhague*, hoc est, *Caput Serpentarii*, vulgò dicta.

Postello sunt 24 stellæ intra Signum, & 5 extra: Bayerus autem numerat 30; quarum una in capite secundæ magnitudinis; 7 tertiæ; 9 quartæ; 11 quintæ; & duæ sextæ: omnes ♄ & ♀ imperio subjectæ, præter sporades ♀ dicatas.

Signum hoc à plerisque tribuitur *Æsculapio*; qui & *Asclepius*, ut Græci ferè scribunt, Zenobio Acciaolo, apud Theodoretum Cirenensem. Hinc quoque ejus festum *Asclepiaca*, Ασκληπίεια: quod Epidauriis fuisse Plato ait in Ione, Pausanias in Corinthiacis, & Pollux Onomast. l. 1, c. 32. Sed cùm Cicero l. 3 de Natura Deor. tres recenseat Æsculapios; quis propriè ex tribus illis χαληελήμενος fuerit *Æsculapius* ambigitur. Tamen plurimorum sententiæ conveniunt in *Messenium*:

qui

qui Podalirii, & Machaonis pater. Cujus cùm incerti essent parentes, aut saltem pater, auctore Tarquitio, fingebatur, Albrico teste, filius Apollinis, ex Coronide nympha, Phlegyæ regis ac bellatoris acerrimi filiâ: ut Diodorus Sic. l.4, c.9, Pausanias in Corinthiacis, Homerus Hymno in Æsculap. Apollonius in Argonaut. l. 4, Hyginus fab. 14, 97, 202, & 251 tradidere; & nos quoque ad Signum Corvi innuimus. Hic Epidauri in Argia, ut vult Pausanias in Corinthiis, si non natus, certè ibi cultus fuit: quod Livius l. 5, & 45, Minucius in octavo, Arnobius l. 7, aliique quàm plures testantur. Atque hinc quoque *Iuvenem Phœbeium*; & *Epidaurium* dixit Ovidius in Arte:

Afferat ipse licet cunctas Epidaurius *herbas,*
sanabit nullâ vulnera cordis ope.

Alii tamen matrem illi fuisse contendunt *Arsinoën Messeniam,* stupro compressam; quam dum virgo esset, *Coronidem* appellatam ex Asclepiade Poëta antiquo, & Aristide, Scholiastes Pindari Pythior. Od. 3, annotavit. Et hæc Arsinoë, sive Coronis ex regia Perieris Messeniorum regis stirpe genus ducebat: quippe neptis erat Perieris ex filio Leucippo: ut traditum Pausaniæ in Messeniacis. Vnde & partem Messenes Ithomon, & Oechaliam Euryto olim regnatam, filiis Æsculapii paruisse tradit Homerus Iliad. 2. Imò ipse *Æsculapius*, rariùs *Epidaurius*, quàm *Messenius* vocatur: ut auctores sunt Reinerus Reineccius Hist. Iul. part. 1, regno 26, Tranquillus de Illustr. Viris, Lactant. divinar. Instit. l. 1, c. 20, Aristides apud modò memoratum Pindari Scholiasten, aliique; quos maximus Vir Ioh. Heinr. Meibomius in Commentario suo ad Orcum Hippocratis adducit. Ac natum Æsculapium ex Coronide propè Laceream ad ripas Amyni fluminis tradit Apollonius l. 4: ubi à matre expositus, ac caprino lacte nutritus, teste Lactantio de falsa Relig. imò à Chirone educatus dicitur. Quamquam alii malint, eum ex utero matris, Dianæ jussu, ob concubitum cum Ischye Elati filio, rogo jam impositæ, à Mercurio, sive Apolline

 ipso

ipſo extractum fuiſſe: ut teſtis eſt Ovidius l. 2 Metam.

Non tulit in cineres labi ſua Phœbus eoſdem
ſemina: ſed natum flammis, uteroque parentis
eripuit; geminique tulit Chironis in antrum.

Cultus autem fuit hic *Æſculapius Meſſenius*, ob medicinæ artis principatum, qua multos ſanitati reſtituit, conclamatæ antea valetudinis creditos, ut numen ſanitatis per totam Græciam; imprimis autem Epidauri: ubi & fulmine ictus, ut ajunt, deceſſit, ac ſepultus eſt, auctore Clemente Romano. Quod Cynoſuris oppido factum, tradidere Marcus Tullius loco adducto, & Clemens Alexandrinus in Protreptico: in cujus tamen l. 10 Recognit. invenias ſepulchrum ejus oſtenſum Epidauri. Imò & ab ipſis demum Romanis, exemplum Epidauriorum ſequentibus, ob eandem cauſam, divinos fuit honores adeptus. Indicio ſunt inſcriptiones antiquæ: ubi crebrò junctim legas ΑΣΚΛΗΠΙΩ, ΚΑΙ ΥΓΕΙΑ: item ÆSCVLAPIO, ET SALVTI. Cui interdum ſubjungitur *σώτηρσιν πολιέχοις*, id eſt, *Servatoribus urbis præſidibus*: ſive θεοῖς ἐπικουρίοις, *Diis auxiliaribus*. Particulatim verò legas, mox κυρίῳ Ἀσκληπίῳ, *Domino Æſculapio*; mox *Numini* ſive *Deo Æſculapio*, vel *Æſculapio Sancto*. Apud Epidaurios, teſte Pauſania in Corinth. ſimulachro Æſculapii arte Thraſymedis Parii Arignoti filii confecto *canis ad pedes decumbens* additus erat, ſive ad vigilantiam denotandam, huic animali peculiarem; ſive quia recens editus, ac in finibus Epidauriorum à matre, vel, ut alii tradunt, ab avo Phlegyâ, in ſolitudine montis Titthei expoſitus, à cane Autolai cuſtoditus, uti à capra enutritus, credebatur. Vnde & nonnulli *Æſculapii* nomen ex voculis Ebraicis *ez*, hoc eſt, *capra*, ſive *Eſch*, *ignis*, & *Keleph*, quod *canem* ſignificat, conflatum eſſe autumant. Alii tamen, inter quos eſt Tzetzes Chil. 10, priùs *Apium*, ſive Ἤπιον vocatum indicant; eò forſan, quod Api Ægyptio, quem inter ſacerdotes Ægypti principem, & naturalis Philoſophiæ maximè peritum, Cyrillus commemorat, operam dederit: unde & in Græciam reverſus, pro *Ægyptio*,

ptio, aut *Memphitico*, habitus. Postea verò, cùm Asclen quendam, Epidauri tyrannum ὀφθαλμιῶντα sanâsset, dictum fuisse *Æsculapium*, quasi dicas, *Asculis Apium*: ut est apud Auctorem Etymologici.

Cæterùm hic Æsculapius Achillis, & Herculis Thebani σύγχρονος fuit: quòd inde patet; quia in Pelio monte medicinam, teste Homero Iliad. 4, Pindaro Nemeor. Ode 3, Tarquitio de Vir. illustr. & Lactantio l. 1 de falsa relig. c. 10, æquè ac Hercules astrologiam, & Achilles citharam, ut est apud Arateorum Cæsaris Germanici interpretem, à Chirone Centauro præcipuorum Græciæ principum, ut Herculis, Iasonis, Achillis, in medicina præceptore, didicisse; imò Argonauticæ expeditioni ad rapiendum aureum vellus interfuisse dicitur. Et certè in peritia hujus artis ita excelluit; ut varios sanitatem desperantes pristinæ saluti restituerit; atque hinc defunctorum nonnullis vitam reddidisse crederetur; imò eâ causâ, Corn. Celso in procem. l. 1, teste, in deorum numerum, & inter astra relatus sit. Ex iis autem, quos desperato in morbo curavit, fuere *Cæsius* sive *Glaucus* communiter *Androgeos* dictus; & *Tyndarides* apud Plin. l. 29, c. 1: item *Hippolytus* Pausaniæ, *Hymeæus* Orpheo, *Capaneus*, & *Lycurgus* Stesichoro, *Euryclea* Epiphanio, *Senex* quidam *pecuniosus* Platoni l. 3 de Republ. ac alii aliis celebrati.

Androgeos, quem Fulvius Vrsinus, & Hyginus in Ophiucho, *Glaucum*, alii Latinè *Cæsium* vocant, fuit filius Minois junioris, regis Cretæ, ab Atheniensibus & Megarensibus invidiâ necatus, dum Panathenæa celebrantur. Vnde bellum adversus tum Megarenses, tum Athenienses: qui sub rege Ægeo eò adacti, ut pueros suos Minotauro objicerent; sive potiùs, ut vera habet historia, liberos septenos è suis quotannis in Cretam mitterent Tauro tributarios; cujus ductu Minos bellum gesserat cum Atheniensibus: unde Minotaurus, quasi *Minois Taurus*, vocari solebat: ut in Signo Coronæ boreæ fusiùs indicavimus. Hoc tamen demum sub Theseo, cùm is Taurum devicisset, desiit. *Androgeos*

verò, quòd herbâ, quam Serpens Æsculapio indicaverat, vel adportaverat, excitatus crederetur, in *Serpentarium* mutatus, ac in cœlum receptus dicitur. Imò eâ causâ in Ceramico ab Atheniensibus cultum testatur Hesychius. Fabulam autem de Androgeo, sive Glauco vitæ restituendo Hyginus in Ophiucho, & Fulv. Vrsinus Famil. Rom. fol. 3, ejusmodi narrant: *Cum Æsculapius Glaucum cogeretur sanare inclusus quodam loco secreto, bacillum tenens manu, cum quid ageret, cogitaret, dicitur anguis ad bacillum ejus arrepsisse: quem Æsculapium mente commotus interfecit, bacillo fugientem feriens sæpius. Postea fertur alter anguis eòdem venisse, ore ferens herbam, & in caput ejus* (interfecti Serpentis) *imposuisse; quo facto, loco* (utrumque) *fugisse. Quare Æsculapius usus esse eâ herbâ, Glaucus revixisse, & ita Anguis in tutela Æsculapii esse dicitur.* Hinc Propertius l. 2, eleg. 1:

Et Deus extinctum Cressis Epidaurius *herbis*
restituit patriis Androgeona *focis.*

Alii volunt Serpentem adportâsse herbam Æsculapio, in favorem Hippolyti, Thesei ex Antiope, sive, ut nonnulli tradunt, Hippolyta Amazone filii, quem noverca ejus Phœdra, Minois II Cretæ regis & Pasiphaës filia, ac soror Ariadnæ, ob denegatum concubitum, occidisse fertur; ut herbâ illâ à serpente adportatâ ex mortuis resuscitaretur: hoc est, herbæ medicamento longâ artis experientiâ, & vigilantiâ sive perspicacitate prorsus serpentinâ invento; (serpens enim in hieroglyphicis est sapientiæ symbolum) graviter decumbens, restitueretur. Rem totam poëtico more sic narrat Virgilius Æneid. l. 7:

Namque ferunt famâ Hippolytum, *postquam arte novercæ*
occiderit, patriasque explêrit sanguine pœnas,
turbatis distractus equis: ad sidera rursus
Ætheria, & superas cœli venisse sub auras,
Pæoniis revocatum herbis, & amore Dianæ. &c.

Atque ex hoc vides, cur Æsculapius dicatur in cœlum receptus, serpentem in manu tenens: quin &, cur ejus simulachrum in templo Epidaurio scipionem aut baculum

lum nodosum, sive agrestem, ut Ovidius l. 15 Metamorph. fab. 5, vocat, quo difficultatem artis notari auctor est Festus l. 9, & Pierius Hierogl. p. 131, manu tenuerit alterâ, alterâ caput draconis sive serpentis premens. Sanè gestamen ejus erat baculus serpente involutus; ut est apud Dercylum. Et *diceres*, inquit Apuleius Met. l. 1, *Dei baculo, quod ramulis semiamputatis nodosum gerit, serpentem lubricis amplexibus inhærere.* Imò hinc quoque Græcis quibusdam simulachrum ejus totum erat serpens. Et apud Lucianum in Dialogo de falso Vate legas, sacerdotem quendam serpentem perexiguum in ovum *corniculæ* vacuum inclusisse, idque cerâ oblitum in luto occultâsse. Quippe κορώνη, cùm *cornicem* significet, & Κορωνὶς Æsculapii matris nomen inde formatum sit, eò fingebatur Æsculapius ex ovo Corniculæ prognatus. Idipsum ostensurus ille sacerdos, populum arâ exstructâ congregavit: Apollineque, & Æsculapio, ut adsint, incognitis quibusdam vocibus invocatis, phialâ aquam hauriens in profundum demersâ ovum illud unà extraxit, ac in conspectu populi fregit: atque sic pullum serpentis recentem admirantibus cunctis ostendit. Paucis verò diebus elapsis alium insignis magnitudinis serpentem in loco quodam obscuro artificiosè se moventem monstravit; populoque persuasit, priorem illum in tantam magnitudinem crevisse, ac deum esse Æsculapium ex Apolline genitum.

Verùm non Græcis solùm, sed & Romanis, qui seriùs Æsculapium colere cœperunt, totus erat serpens. Hinc Q. Serenus Æsculapium compellans:

Qui quondam, placidi tectus sub pelle draconis,
Tarpeias arces, atque inclyta tecta petisti.

Occasionem ejusmodi cultus enarrat I. H. Meibomius ad Orcum Hippocratis p. 44: *Cum gravi pestilentia Vrbs* Roma *laboraret, Q. Fabio Gurgite, & D. Iunio Bruto Scæva COSS. anno V. C.* cccc LXI; *& S. P. Q. R. juberetur, consulto oraculo, librisque Sibyllinis, pesti expiandæ Æsculapium Epidauro accersere; triremem cum legatis, quorum princeps Q. Ogulnius, eò miserunt. Epidaurii, quòd*

Deum suum inviti dimitterent, cunctantibus, Draconem ferunt prodiisse, sive Anguem ingentem, perque mediam urbem ad Romanorum triremem perrexisse, atque in Ogulnii tabernaculo in gyrum circumvolutum se composuisse. Istum anguem Romani Æsculapium esse rati, cui dracones, ac serpentes sacros sciebant, magna cum veneratione Romam advexerunt. Iamque triremis in Tiberi erat, propè insulam, cùm anguis è navi in illam prosiluit,

— & finem, specie cœleste resumptâ,
luctibus imposuit, venitque Salutifer Vrbi:

ut Ovidii utar verbis, Metam. l. 15, fab. 51. Id Romani conspecti, templum in Insula Tiberina novo Deo dedicârunt (hodie S. Iohannis Colevitæ vocatur,) ubi sub serpentis deinceps imagine coleretur. Meminere quoque Livius l. 10, Arnobius l. 7, adversus gentes, Cicero l. 3 de Nat. Deor. Valer. Max. l. 1, c. 8, Aurel. Victor de Viris illustr. c. 23, Florus Epit. Livii l. 11, Orosius l. 3, c. 22, alii

Cæterùm Æsculapii munia, & symbola medica descripsit Iunius Medicus hisce versiculis:

Quis Deus *es? Phœbo satus, atque Coronide. Habes cur* sceptrum? *Ægris ut rex impero. Quid* resides?
Sit sedato animo Medicus. Quid verticem numbrat laurea? *Perpes enim vivit ab arte decus.*
Nodoso baculo *quid nitere? Difficilem artem id notat. Hinc cur stat* Gallus, *& inde* Draco?
Cura vigil Medicum decet, ac custodia. Quid vult sub pedibus canis? *Hoc symbolon est fidei.*
Quidve tegit mentum propexa incanaque barba?
Longa ætas firmat judicium, atque fidem.

Sed alii regerunt Serpentario hoc denotari *Phorbantem* Lapithis ex Apolline, ac Stilbe prognati, & Orsinomes filium; qui in regnum succedens, omnes suos populos à patre nominâsse dicitur Lapithas: alii *Laocoontem.* De *Laocoonte* Ludovicus Demontiosius in libello de sculptura, & pictura veterum, sic scribit: *Laocoontem illum quis saltem famâ non novit? quod etiamnum in Vaticano artis miraculum ostentatur, spectantibus horrorem incutiens,*

cutiens, artis statuariæ cum poëtica certamen, & utriusque cum ipsa natura, palmâ dubiâ. Stupendum opus ex uno lapide, parens, & liberi, horrendi draconum nexus, patris angustiæ, liberûm gemitus expressi. &c. De *Phorbante* verò memorant, quòd multitudinem serpentum ingentem ex insula quadam fugaverit, ac propterea ab incolis pro Serpentario cœlesti sit habitus.

Verùm nos potiùs sub hoc Signo intelligimus *Aaronem*, cujus baculus in Serpentem transformatus legitur Exodi 7, 10: sive etiam *Mosen*, qui serpentem erexit æneum in deserto, ut omnis illum aspiciens à morsu serpentum igneorum convalesceret, Numer. 21, 8.

XIV. SERPENS SERPENTARII; die Blaue Schlange / die Stok-schlange;

Coluber, Anguis; *Ophis, Serpens Ophiuchi*; *Serpens Sagarinus, Herculeus, Lernæus*; *Serpens Æsculapii*; vel *Laocoontis*; *Serpens Casii* sive *Glauci*; *Lesbius Draco*; *Draco Tiberinus*: Græcè ὄφις ὀφιούχου, ad differentiam τοῦ δράκοντος; item Ερπετὸν, Εγχελὺς, *Anguilla*: novo fortassis Arabico vocabulo *Alhaia*. Præcedente parte medinoctius, & mesuranicus est, circa initium Maji; posteriore verò sive sequente, sub finem Iunii, circa Solstitium æstivum: stellisque in globo nostro insignitur 18, ♄ & ♂ virtute pollentibus.

Postellus totidem agnoscit: Bayerus autem numerat 37; quarum una in collo secundæ magnitudinis; 7 tertiæ; 7 quartæ; 3 quintæ; 19 sextæ, per totum corpus diffusæ.

Tres in asterismis Angues novimus, inquit Scaliger, *Anguem Vrsarum*; *Hydram*; *& Anguem Ophiuchi*. Quibus & nos cum neotericis quartam adjungimus; nempe *Hydrum parvum* non procul à polo antarctico, in

meridie, positum: ad cujus Signum de serpentum origine acturi sumus. Hanc Serpentum veram distinctionem Statius ignorans, *Anguem Ursarum*, sive *Draconem* cum *Hydra* confundit, cùm 5 Thebaidos sic canit:

Quantus ab arctois discriminat æthera plaustris
Anguis, & *usque notos, alienumque exit in Orbem.*

Anguis enim *Ursarum* non exit in *alienum*, sive *notium Orbem*, quem Manilius, respectu nostri, *peregrinum* vocat. *Sagarinus* autem, sive *Herculeus*, ut alia cognomina, quippe quorum explicatio ex præcedenti patet Signo; taceam, serpens hic dicitur; quòd, Hygino teste, ejusmodi serpens in Lydia ad fluvium Sagarim ab Hercule sit interemtus. Cæterùm sub hoc *Serpente cœlesti* intelligi potest *Anguis* ille, qui protypus erat Christi crucifixi, *æneus* à Mose in eremo erectus, sive in conspectu populi Israëlitici pœnitudine ducti palo affixus; quem qui ab immissis serpentibus ignitis læsi conspiciebant, sanitati reddebantur; ut legere est Num. c. 21, v. 8, & Ioann. c. 3, v. 14.

XV. HERCULES; der Held / sive Drachen-streiter / Keulen-träger / Kniffer / das Helden-gestirn;

Nixus, M. T. Ciceroni *Nisus*, Vitruvio *Nessus*, aliis *Genu flexus*, *Ingeniculus*, *Ingeniculatus*, *Geniculator*, *Prociduus in genua*, *Incurvatus in genua*, vulgò *Engonasi*; quibusdam *Charops*, id est, *torvè intuens*, *Cernuator*, habitu ad cernuandum composito; *Monstrorum domitor*; Ovidio Metam. l. 15, *Claviger*; aliis *Saltator*; fortè, quia inclinato capite quasi saltare videtur; item *Aper*; *Alcides*, *Hercules parvus*, *Amphitryoniades*, *Heros Tirynthius*, *Oetæus*, *Canopius*, quasi dicas, *Puliceus*; *Callinicus*, id est, *præstans victor*:

non-

nonnullis *Melon*, & *Mellus*, id eſt, *ovillus*; item, *Melicartus*, *Melicerta*, *Malica*, *Deſanaus*, *Deſanes*; *Diodas*; *Palæmon*; *Maceris*; Germanis Veteribus *Almannus*; Romanis *Sancus*, ſive *Sanctus*: aliis *Theſeus*; *Lycaon*, *Trapezius*; *Ixion*; *Prometheus*; *Thamyras*, ſive, ut quidam ſcribunt, *Thamyris*; *Orpheus*: Græcis vulgò ἐν γόνασι, quaſi dicas, *in genibus*, *genua* ſive potiùs *genu flectens*, ὀκλάζων, *genu flectens*, Homero γνὺξ ἐριπών, *in genu proſtratus*, κυβιστητὴς, *in caput ſaltans*; Arato εἴδωλον κεκμηκὸς ἀπόθητος καὶ ἄιστον; Apollodoro χαρωψ, *torvè intuens*, item πολύπλαγκτος, hoc eſt, *multis laboribus huc illuc agitatus*, Artemidoro Καλλίνικος, hoc eſt, *egregiam victoriam conſecutus*, aliis κορυνήτης, *Clavator*, κορυνηφόρος, *Claviger*: Arabibus *Algiethi*, ſive *Algethi*, Schickardo *Algathio*, id eſt, *procidens*, ſcilicet Hercules ἐγγόνασιν: ideóque plerumque additur *alai rochbatihi*, hoc eſt, *ſuper genua ſua*: Alphonſinis malè *Raſaben*: aliis Arabicè *Elgeziale rulxbachei*: Ægyptiis *Patæcus*, *Epipatæcus*; *Gignon*, vel *Gigon*; item *Trapezius*, quod tamen *Lycaoni* potiùs convenit: Perſis *Ternaelles*, item *Sandes*; Indis *Dorſanes*, i. e. *Hercules*. Cernitur hoc ſitu in meridiano mediâ nocte, menſe Iunio: ſtellaſque in globo noſtro comprehendit 27; inter quas illa Martialis & Mercurialis naturæ in capite, quæ ex deſcriptione Draconis irrepſit, κατ' ἐξοχὴν dicitur *Hercules*, recentioribus editionibus Alfonſinis *Ras aben*, rectiùs tamen *Ras algethi*, Schickardo *Raſol-gathii*, hoc

eſt,

est, *caput procumbentis*, nempe *Herculis*: & alia in manu sinistra, Tychoni in dextro cubito, *Marsio*, sive *Marsic*, id est, *reclinatorium*, Schickardo *Marsikon*, id est, *axilla*. Tabulæ ὠλέκρανον, sive ἀγκῶνα; Dores κύβιτον vocant.

Postellus numerat 30 *stellas*: *Bayerus verò, traditâ Herculi in manum clavâ, sive ramo ex arbore Hesperia pomifero, novem stellis constante*, 48; *quarum* 9 *tertiæ magnitudinis, quibus accensetur illa in sinistro humero trium borealior, quam Barbari* Rutilicum *dicunt*; 14 *quartæ, quas inter est* Maasym *in dextro ἀγκῶνι occidentalior*; 8 *quintæ, ubi in clava juxta pollicem se offert* Cateia, *Horatio* Caja dicta; *&* 17 *sextæ, omnes secundùm Ptolemæum Mercuriales, sed secundùm alios Martiales, exceptâ primâ in Capite, quæ utramque naturam participat.*

In Globo nostro pingitur Senex, qui cernuans, & iracundè quasi intuens, altero tantùm poplite, sive pede ingeniculato nititur; qualis ingeniculatorum, & supplicantium, sive certantium, vel laborantium, vel telas jaculantium gestus: additis insigniis, clavâ, & pelle leoninâ. Arabibus verò est *Camelus cum instrato suo.*

Cæterùm quis hic *Geniculator* sit, & cui hoc Signum propriè attribui debeat, diu inter auctores non convênit; his *Thamyrim*, illis *Prometheum*, aliis *Orpheum*, vel alium existimantibus. Panyasis verò, Herodoti ille vel avunculus, vel patruelis, in Heracleide, 14 librorum opere, quo Herculis gesta complexus est, tradidit esse *Herculem*, omnium monstrorum, latronum, maleficorumque hominum domitorem. Vnde Festus Avienus in Arateis:

Illa laboranti similis *succedit* Imago
protinus, expertem quam quondam dixit Aratus
nominis, & cujus latuit quoque causa laboris.
Panyasi sed nota tamen: cui longior ætas
eruit excussis arcana negotia rebus.

Panyasin hac in parte secutus est Eratosthenes: unde Hyginus in Astron. poëtico: *Engonasin Eratosthenes* Herculem *dicit, supra Draconem collocatum.*

Sed

Sed cùm veteres, pro more solito, fortes ferè Herculis nomine insigniverint, atque ita tam varii fuerint Hercules, quos, cum diversorum temporum, ac locorum, heroumque historiis, nationes in unum confudere, ut jura coquus; valdè operosum erit inquirere, cuinam ex tot heroibus sub Herculis nomine notis, hoc cœleste signum propriè tribuatur. Tres enim numerat Diodorus in 4; sex Arnobius itidem in 4, uti & Cicero de Nat. Deorum: imò Varroni erant Hercules quadraginta tres; in quibus tamen quosdam fuisse totos symbolicos, non ad gestorum historiam, sed ad rerum naturam prorsus spectantes, verisimile est. Qualis *Ogmius*, sive *Hercules Celticus* apud Lucianum; qui eloquentiæ symbolum erat: item *Hercules Romanus*, S. Aurelio Victori ex L. Cassii Heminæ Annal. l. 1, *Recaranus*, & Verrio Flacco apud Servium ad 8 Æneid. *Caranus*, vel *Garanus*, Poëtis *Gradivus* dictus. Videatur de hoc Vossius l. 2 Idololatr. c. 16.

Omnium verò antiquissimus erat ille *Hercules Ægyptius*, qui, Diodoro l. 1, teste, Mitzraimo, Osiridi illi antiquissimo, filio Chami, genere propinquus, ac dux fuit exercitus, secundùm aliquos *Gignon*, vel *Gigon* dictus. Vnde Hesychius: *Gignon aliquibus Gigon, Patæcus, Epipatæcus, Trapezius: aliqui Herculem Ægyptium intelligunt*. Et ab hoc diversus, quippe qui longè junior, est alter *Ægyptius*, vel potiùs *Ægyptiocananæus*, à devicta Cananæa sic dictus; quem nullum alium, quàm *Iosuam* esse, maximus ille Vossius, gesta Iosuæ cum illis, quæ Herculi suo tribuunt gentiles, conferens, l. 1 Idol. c. 26, luculentissimè demonstravit. Atque sic ad minimum duo sunt Hercules Ægyptii.

Præter hos alius fuit *Hercules Phœnicius*, sive *Tyrius*, Athamantis, sive, ut traditum Sanchoniathoni aut Philoni Bybliensi, Iovis Demaroontis regis Phœniciæ filius, & Cadmi Phœnicis ex filia Ino nepos. Hic *Palæmon* dictus, postea vocabatur *Melicarthus* sive *Melicerta*, hoc est, *rex civitatis*, θεὸς πολιοῦχος, ex Ebræo מֶלֶךְ melech, *rex*, & קַרְתָּא carta, *civitas*; Amathusiis verò, teste Hesy-

Hesychio, *Malica*; quod ex priori formatum videtur, literis ultimis abjectis: & Eusebio in Chron. ad num. 497, ac Florentio Wigorniensi, *Desanaus*, sive *Desanes*; Indis, teste Hesychio, *Dorsanes*; denique Georgio Syncello Διωδᾶς, *Diodas*. De hoc sic Hyginus fab. 2: *At Ino* (Dionysi sive Liberi, regis Thebani, amita, Semeles soror, & Cadmi ex Harmonia filia) *cum Melicerto filio in mare se præcipitavit. Quam Liber Leucotheam voluit appellari; nos Matrem Matutam dicimus: Melicerten autem Deum Palæmonem, quem nos Portunum dicimus.* Hinc Virgilius in Georgic. *Palæmonem* Diis nauticis jungens, *Inoum Melicertam* dixit. At Liber, nepos ille Cadmi Phœnicis, rex Thebæ, consobrino suo *Phœnicium* imposuit nomen; quod modo explicavimus. Atque hic *Hercules Phœnicius*, qui Cananæo, sive Israëlitico Herculi par, &, si Eusebio fides, vixit, quo tempore Moses in monte frueretur adspectu divino, ortus est ex posteris *Esavi*, sive *Edomi*: quem gentiles interpretatione regem *Erythram* memorant: ut ad Andromedæ signum quoque monuimus. Vnde & sinus ille Arabicus, ad quem Idumæi illi habitabant, Ebræis *Mare Edomi*, sive *Idumæum*, Græcis Ἐρυθραῖον, *Erythræum*, Latinis *Mare rubrum* nuncupatur: ut solâ linguâ hæc differant. Nam *Edom* idem est, ac *rufus*; & ἐρυθρὸς idem, ac *ruber*. Ab hoc mari Idumæo, sive Erythræo profecti sunt Edomitæ, prodente id ipsum Herodoto initio operis sui, item Plinio ac Solino, in regionem Tyri, ac vicinam; indeque nomen *Phœnicum* accepere: quod iterum à *rubedine* dictum. φοῖνιξ enim idem, ac ἐρυθρὸς, id est *ruber*, sive *rutilus*, & *spadiceus*: unde Latini postmodum fecere *puniceus*; item *Pœnus*, & *Punicus*. Ac sic litoralis omnis tractus, ut cum Procopio ex Vandalicor. secundo loquar, ab Sidone usque ad limites Ægypti, postmodum *Phœnice* vocabatur. Hercules autem, qui coloniam hanc ducebat, Tyrum ædificavit: ubi quoque, teste Clemente Romano, sepultus est. Atque hinc demum *Herculis Tyrii*, & *Phœnicii* nomen, imò ipsum fortè *Melicarthi*, hoc est, *Dii urbis præsidis*, accepit.

Cæte-

Cæterùm alter ille *Hercules Tyrius*, *Asiaticus* Iustino dictus, qui florentibus demum Tyriorum rebus, iisque maris imperium præ aliis obtinentibus, in Gadium Hispaniæ insulam coloniam duxit, ac Gerionem, teste Iustino l. 44, cum duobus fratribus regno excussit, multò junior est, quam *Idumæus* ille, cui nomen *Melicartho*. Hic enim Tyri natus; sed in Insula Gaditana, (cui denique nomen datum *Erythea*, ab ἐρυθ⊕, hoc est, *rubor*, quasi *Phœniciam*, sive *Idumæam* dixeris,) denatus, ac sepultus est: quod prodidit Mela l. 3, c. 6. Et à morte credo, cum antiquiore illo Hercule Tyrio sive Phœnicio, in Gadium, ac vicinis insulis cultu conjuncto honoratus, ac hinc uterque *Gaditanus* nuncupatus est. Quòd autem & Tyrii, sive Phœnices res à Iosua gestas suo Herculi, non gemino, sed antiquiori tantùm, quippe cui Iosua σύγχρον⊕, transscripserint, atque unà *Indicum* nuncupaverint; non est, quod magnoperè mireris: cùm inclytus ille Israëliticus Heros, expeditione in Arabiam, & Aramæam, sive Syriam susceptâ, quæ *Indiæ* vocabulo laxè sumto, antiquis temporibus Indiis accensebantur, continuatis victoriis longè latéque cœlitus adjutus omnia prosternens, ad Phœniciarum usque urbium portas suos sæpenumerò hostes sit persecutus. Vnde viginti & novem regna Israëlitis subjecta: reges magno numero capti, ac ultimo supplicio affecti. Imò nec mireris Poëtarum gentilium de suo Typhœo sive Typhone, aliisque gigantibus, ab Hercule, Iovis ac reliquorum deorum auxilio, confectis, portentosa deliria: cùm ipsi Iudæi, ut est apud Nic. Liranum, & Tostatum quæstione 27, de suo *Og*, quem alii Græco nomine Τυφῶνα, quod cum *Og* significatione planè convenit, dicere malunt, immensis follibus spirent mendacia. Atque hinc suspicor Poëtas in Typhone suo Ogum regem Basanitarum, sive gigantum depingere volentes, potiùs secutos esse Iudæorum, & Cananæorum fabulas, quàm veram à Mose Num. c. 13, v. 29, & 34, & Deut. c. 3, v. 5, descriptam historiam. Sed videatur de hoc Vossius l. 1 Idolol. c. 27: ubi Iosuam in Herculem,

lem, Herculemque in Iosuam quasi transformatum,hoc est, Iosuæ gesta in Hercule, æquè ac alibi Mosis vitam in Libero, nobis ostendit.

Rursus alius fuit *Hercules Libycus, Maceris* dictus, pater Sardi: qui coloniam in Insulam maris Thyrreni sive inferi, tunc Ichnusam, sed postea Sardiniam dictam, ex Libya duxit: ubi & unà cum patre cultus est,teste Pausania in Phocicis, Silio Italico l. 12, Solino c. 10, & Isidoro l. 14 Origin. c. 6.

Alius *Hercules Creticus*, sive *Telchinus*, unus ex Idæis Dactylis, sive Curetibus, præstigiator, ac imperator celebris: à quo, teste Diodoro, institutum certamen Olympiacum.

Alius *Hercules Romanus*, quem *Sangum*, vel *Sancum*, vel *Sanctum*, item *Sancum Semonem Fidium* dixere. De hoc Varro l. 4 de L. L. *Putabant Fidium esse* Sanctum *à Sabina lingua, &* Herculem *ab Græca*. Et Festus: *Propter viam fit sacrificium, quod est proficiscendi gratiâ,* Herculi, *aut* Sanco, *qui scilicet idem est Deus.*

Alius item *Hercules Germanus*, quem & *Celticum* plerisque dictum memorat Elias Schedius de Diis Germanis pag. 476. De hoc sic Tacitus de mor. Germanorum: *Fuisse apud eos &* Herculem *memorant:* primumque omnium virorum fortium (hoc est, *Almannorum*, sive *Herculorum*) *ituri in prælia canunt*. Vulgò enim vocabatur *Alman,* id est, *totus* vel *fortis vir*. Vnde nomen Lacui *Lemanno*, ut quidam sentiunt; item Monasterio Almanswiler, vicoque Almanshofen. Imò antiquitus & ipsi populi, (novo nomine, Tacito sic augurante, *Germani*, quod idem ac *Alman*, postea dicti) quos Hercules Alemannus, teste Beroso l. 5, tempore Mancalæi Assyriorum regis decimiquarti, rexit, *Alemanni*, vel *Almanni* nuncupabantur: unde fortè Græcorum ἀλίμβναι, hoc est, *errare, circumvagari, more Alemannorum.* Quo nomine & adhuc hodie Galli, vel Franci Germanos appellant: ut in Leone nostro Belgico ostensum. Aventinus l. 1 Annal. Boj. scribit, hunc *Alemannum* cognomento *Herculem,* cujus insigne fuerit leo,causa nominis,

postre-

postremum exstitisse regum Germaniæ, quos Berosus enumerat, & primum Bojorum conditorem; primum item Herculem, D. Hieronymo, & Eusebio sic autumantibus: quem majores nostri *nomenclaturæ cœlesti adscripserint*, belloque præfecerint. Ejus æreum Idolum in pervetusto Suevorum cœnobio Insulæ Rhenanæ Augiæ majoris, vulgò die Reichenau dictæ, juxta Constantiam urbem, hactenus servatum, à I. Stabio Historiographo, jussu Imperatoris Maximiliani I, superioribus annis translatum esse Tyrillios, traditum Althamero in Tacitum, ad Ænipontem. Quin & superesse adhuc in Bojaria vicum, & arcem Almansstein, pagum item, & flumen Alman: cujus accolæ se Bojorum vetustissimos prædicent; ut insimul ex diplomatis pateat. Tacitus quoque l. 2 Hist. silvæ ad Visurgim meminit, quæ huic *Herculi* fuerit sacra: à cujus filio *Swanio*, sive *Suenone*, vel potiùs *Cygno*, ut Latini postea vocârunt, *Cygnea*, Germanicè Zwickau, Ducis Saxoniæ urbs, vulgò dicitur denominata; ut ad Signum Geminorum fusiùs indicavimus. Quin & *Hercunia*, sive *Herculia* Germaniæ silva, vernaculè der Hartz, sive Herkels-wald dicta, Herculis prodit & cultum, & nomen. *Ajunt quoque*, scribit Althamerus, *Argentuariam*, id est, *Columbarium*, *Alsatiæ urbem ab Herculis clava, quam temulentus ibi amiserit, nuncupatam*: unde & civibus adhuc hodie *clava Herculis pro insigniis est*. Quod cultum attinet, ille ex Macrobii libro 1 Saturn. c. 19, videtur fuisse mixtus; & quòd duos Hercules uno ac juncto cultu honoraverint. Nempe *Herculem heroa*, sive *Semideum*, vel *Indigetem*, *primum virorum fortium*, hoc est, *principem*, *patrem* sive *Deum Alemannorum*; non *primum*, sive *præcipuum Deorum*, ut *Martem* vocat Tacitus: & *Herculem æthereum*, sive *theologicum*: quorum ille historicè; hic verò physicè consideratur, prout idem est ac Sol. Cæterùm non est dubium, quin Germani veteres multos habuerint Hercules indigenas; quorum cultum, exemplo aliarum nationum, in uno Herculis Alemanni numine quasi conjunxere: imò res gestas ad seram posteritatem propagârunt: sed multò since-

ſinceriùs, quam à Phœnicibus, Ægyptiis, & Græcis factitatum; qui fabulis, ac portentis plurimis admixtis, aliarum nationum geſta miraculoſa ſuo Herculi transſcripſere, ne Heros ſuus ullo alio inferior videretur. Sanè mos erat Germanis, qui à Græculorum mendaciis planè abhorrebant, in prœlium ituris, Herculis ſui geſta abſque ullo fuco canere, quo ſe invicem ejus accenderent exemplo. Miror autem maximum Voſſium exiſtimâſſe *Herculis* nomen non in Germania eſſe natum; nec à Germanis ſuo Herculi tale inditum: ſed Germanicam appellationem Romanos Romano ſic nomine reddidiſſe. At nomen *Herculis* planè non eſt Romanum; neque ferè dixerim Græcanicum: ut alio loco vocat; ubi ex Macrobii l. 1 Saturnal. cap. 20, demonſtrare conatur, Ἡρακλῆν dictum eſſe, quaſi Ἥρας κλέος, hoc eſt, *gloriam*, & *decus Iunonis*, ſive *aëris*: quod mihi nimis longè petitum videtur. Cur non potius ſit ab ἥρως, id eſt, *heros*, *ſemideus*; & κλείω, *celebro*, *glorioſum reddo*: unde κλειτὸς *inclytus*? Vt *Hercules* ſit, quaſi *Heros inclytus*. Quod etiam reſpexiſſe videtur Oraculum, quo tempore Alcidi *Herculis* nomen primùm indidit:

Ἡρακλέην δέ σε Φοῖβος ἐπώνυμον ἐξονομάζει,
Ἥρα γὰρ ἀνθρώποισι φέρων κλέος ἄφθιτον ἕξεις.

hoc eſt,

Te vocat Heraclem *clarus cognomine Phœbus*,
quòd tua perpetuum mox gloria *vivet in ævum*.

Aventinus ait loco adducto: *Argle, Atergle, acle*, & *ercle ferus eſt leo. Latini inde Herculem fecerunt, cognomen* Alemanni; *cujus inſigne Leo.* Sed ridiculum. Nos aliquando in Opuſculo quodam Philologico, der Roſenmahnd dicto, demonſtravimus, *Herculis* nomen merè Germanicum videri; ac compoſitum ex voculis Heer, hoc eſt, *exercitus militaris*; & Kuhl/ Käule, vel Keule, hoc eſt, *clava*; quod ipſum ex Germanico kaule, tranſpoſitis tantùm literis, factum, Græcè κᾶλον, ῥόπαλον, κορύνη; quod inſtrumentum Herculis militare. Vt *Hercules* dictus ſit, quaſi Heers-keüle, hoc eſt, *clava*, ſive *fulmen ſui exercitus*; æquè ac Imperator Turcarum ſui *exercitus* contra

contra Christianos *fulmen*, seines heers Donner-keul, appellari consuevit. Et ipsa *Clava*, qua Hercules armatus ad pugnam imprimis usus est, Græcis κορύνη, Eustathio ἀπὸ τὴν κάραν, h. e. à *capite*, propriè ῥάβδος κεφαλωτὴ, hoc est, *Scipio capitatus*, dicta, Germanicè est eine heers-keule, hoc est, *fustis teres ad clavi similitudinem capitatus, quo usi sunt veteres Germani pugnam cum hoste cominùs committentes.* Atque ita ab ipsis armis Armatus noster nomen quasi Κορυνήτης, Κορυνηφόρος, h. e. *Clavigeri, Clavarii, Clavatoris,* quod Belgicè een Kloutwert, Germanicè ein Keulenträger, schlägel, sive Kolben-träger significat, accepisse videtur: vel si mavis ab impetu suo adversus hostem; quem Pindarus in Hymnis, non igni, nec ventis, nec mari, sed fulmini, dem Donnerkeul, similem fuisse cecinit.

Nunc sequitur omnium horum licet novissimus, tamen longè celeberrimus ac famigeratissimus Heros *Hercules Thebanus*, patronymicè, hoc est, à patre, vel potiùs vitrico *Amphitryoniades* dictus. Quippe filius erat Amphitryonis ex Alcmena; Thebis Bœoticis natus: atque hinc Alcæi, & Electrionis nepos, quorum ille Amphitryonis, hic Alcmenæ pater; Persei, & Andromedæ pronepos, Danaës, & Prœti, sive Iovis Argivi abnepos; imò frater Iphicli eodem cum Hercule partu nati;

qui super extremis segetum currebat aristis,
nec siccos fructus lædebat pondere plantæ:

ut Orpheus de Iphiclo hoc canit in sacro sermone. Itaque Hercules Thebanus genus suum tam paternum, quàm maternum, ducebat ab *Inacho*, regni Argolici conditore; à quo decimus quintus erat. Hujusmodi enim series est: *Inachus, Phoroneus, Apis* Iupiter Archivus, qui Niobes sororis, & amitæ, sive, ut alii volunt, filiæ suæ Iûs antiquæ, primæ Iunonis Argivæ sacerdotis, pudicitiæ illusisse dicitur; ex qua postmodum in Ægyptum profugâ, ubi *Isis* dicta, natus *Epaphus*, conditor Memphis, quam hodie Alcayrum vocant; & ex hoc *Libya*; quam excipiunt *Belus*, *Danaus*, *Hypermnestra*,

stra, Abas, Acrisius, Danaë, Perseus, Alcæus & *Electrio, Amphitryo* & *Alcmena, Hercules.*

Sed communis opinio est, prodente Euripide in Hercule Furioso, quòd Iupiter quidam tralatitius, dum Amphitryo unà cum rege Creonte adversus consanguineos suos Teleboas, Ætoliæ populos, bellum gerebat, ut patris ac fratrum Alcmenæ cædem ulcisceretur, nequiter apud Alcmenam res egerit mariti: unde Hercules sit natus. Atque hinc eum in Deianira sic alloquitur Ovidius:

Tene ferunt geminos pressisse tenaciter angues,
cùm tener in cunis jam Iove dignus eras?

Quod etiam, præter alios quam plurimos, testatur Orpheus in Argonauticis:

Hunc Alcmena Iovi *peperit conjuncta superno,*
cùm latuit Phœbus longas tres ordine noctes
continuas; caruitque die sol lumine Solis.

Non enim una nox sat spatii erat tantæ plantandæ arbori. Nec illi primùm fuit *Herculis* nomen; quod demum à Pythia Delphica, cùm ejus oraculum adiisset, accepit: sed *Alcidis*, ab avo *Alcæo*, ut Herodoto placuit; vel potius, æquè ac *Alcæus*, ab ἀλκὴ, id est, *robur tam animi, quàm corporis:* ut traditum Apollodoro. Vnde Alcmenam *magnam Alcidæ genetricem* dixit Silius Italicus l. 3. Quam & ipsam ab ἀλκὴ, & μένος, id est, *animus*, vel *impetus animi irâ concitati*, sive potiùs ex μένω, *immotus & fixus maneo, constanter persevero*, vocatam esse suspicor: ut *Alcmena* dicta sit quasi *fortitudo constans*, vel *fortis constantia*, aut *semper valida.*

Hic autem *Hercules Thebanus Alcides*, sive *Amphitryoniades*, ut Lucanus l. 9 vocat, trecentis & ampliùs annis junior fuit Phœnicio illo antiquiori, cui nomen Desanao, sive Melicartho: de Ægyptio omnium antiquissimo Gigone nihil dicam. Quippe Thebanus, qui Samsoni par, vel suppar, viginti circiter demum annis floruit ante Trojam captam. Quod ex eo cognoscimus; quia Thesеum Atheniensium regem, cujus filius Menestheus eo regnare cœpit anno, quo excisa est Troja, ab Aido-

Aidoneo, id est, Orco, sive Plutone, Molossorum rege, ubi Proserpinam uxorem raptum venerat cum Pirithoo, in carcerem dejectum liberavit; ut proditum Plutarcho in Thesei Vita, Tzetzi hist. 41, chil. 2, & Eusebio in Canone Chronico. Rapuerat autem itidem paullò ante Proserpinam† Iovis, & Cereris, sive, ut mavult † illam Apollodorus Athen. l. 1, Stygis filiam, cum flores, ac imprimis narcissum, teste Sophocle, legeret, Aidoneus. Ac primum illum raptum nonagesimo quinto anno post Mosen accidisse, indicat Cyrillus l. 1 contra Iulianum desertorem. Præterea Herculis ætas etiam inde patet; quòd unà cum Helenæ fratribus interfuerit expeditioni Argonauticæ; de quo videbimus in Argo navi: Item, quòd paulo ante bellum Trojanum exsecutus sit imperia Eurysthei; qui Stheneli, Amphitryonis pariter ac Alcmenæ patrui, atque ita Herculis patrui magni, ex Archippe filius. Quin &, quòd anno altero uno decesserit ante ejusque belli exordia. Imò unico saltem anno decessisse, antequam Helenam raperet Paris, arbitratur Eusebius. Et Clemens Alexandrinus in Admonit. ad Gentes, ex Hieronymo Philosopho, & Dicæarcho, habitum corporis ejus describens, unà indicat, quòd jam excedens annorum fuerit LII.

Interim tamen à Phœnice Cadmo, Agenoris filio in terra Canaan extremis Mosis temporibus nato, & Thebarum postea conditore, cum reliquis Thebanis originem ducens, totum se composuit ad exemplum Herculis Ægyptii; eóque honores meruisse divinos, auctor est Diodorus l. 5. Imò non solùm composuit se ad Ægyptii hujus exemplum: sed ipsa etiam ejus, & omnium pœnè Heroum gesta Herculea, utpote Mitzraimi, Iosuæ, Samsonis, quin & ipsius Ionæ Prophetæ in balænæ ventre commorantis historiam (unde Lycophroni in Cassandra, ut Tzetzes annotavit, Τριέσπερος, hoc est, *Trivesperus*, sive *Trinoctius* vocatur) ad se unum ipse traxit; aut saltem huic suo Herculi Thebano, pro more solito, tribuerunt Græculi; quasi omnia ea ipse solus perpetrâsset: ut eo magnificentior, ac illustrior fieret.

Cæterùm triplici modo *Herculem* ſuum conſiderârunt, ac venerati ſunt gentes : nempe ἱστορικῶς, ut *Heroa*, ſive *Deum animalem* ; ἠθικῶς, ſive φιλοσοφικῶς, ut *Deum ethicum* aut *moralem*, hoc eſt, ut *exemplum fictitium prudentiæ, ac fortitudinis* ; & φυσικῶς, ſive θεολογικῶς, ut *Deum merè naturalem* ; ſub quo intellexerunt, ac venerârunt Solem. Ejuſmodi erat Perſarum, & Medorum *Hercules Sandes* : ut auctores ſunt apud Agathiam l. 2, Symmachus, & Athenocles. Atque hinc eſt, cùm ſcilicet Sol quotannis permeet duodecim ſigna cœleſtia, quòd pro iſtis duodecim ſignis cœleſtibus, *duodecim* præcipuos ſtatuerint *Herculis labores* ; imò totidem illi attribuerint annos, quibus Euryſtheo, id imperante Oraculo, miniſterium ſuum exhibuerit. Quò pertinet & illud, quòd duodecim Diis totidem altaria erexiſſe dicatur : nempe Iovi, Neptuno, Iunoni, Palladi, Mercurio, Apollini, Gratiis, Baccho, Dianæ, Alpheo, Saturno, & Rheæ. Illos verò duodecim labores enumerat Lucretius l. 5, & Philippus Byzantius ſequentibus verſiculis :

Ὤλεσα τὸν Νεμέας θῆρ' ἄπλετον· ὤλεσα δ' ὕδρην ;
καὶ Ταῦρον. κάπρου δ' ἀμφελίναξα γένυν.
Ζωστῆρ' ἑλκύσας ; πώλους Διομήδεος εἷλον.
Χρύσεα μῆλα κλάσας ; Γηρυόνην ἔλαβον.
Αὐγείαν ἐδάμην. κεμὰς οὐ φύγεν. ἔκτανον ὄρνις.
Κέρβερον ἠγαγόμην. αὐτὸς ὄλυμπον ἔχω.

hoc eſt,

Perdidi Nemeæ feram *inviolabilem* : *perdidi* Hydram;
Et Taurum. Apri *deinde cecîdi* malam.
Baltheum *ſolvens* ; Equos Diomedis *cepi*.
Aurea mala *rapiens* ; Gerionem *profligavi*.
Augeam *domui* : Cerva *non aufugit* : *occiſa eſt* Avis :
Cerberum *adduxi*. *Sed nunc cœlum teneo*.

Quibus Cointus ſive Quintus Smyrnæus decimum tertium addidit laborem, cùm canit :

Τὸ τρεῖς καὶ δέκατον, τοῖον λυγρὸν ἔσχεν ἄεθλον,
Μουνονυχὶ πεντήκοντα ξυνελέξατο κούραις.

id est,

Decimus tertius labor, labor durissimus est:
una nocte quinquaginta *stupravit* puellas.

Primum igitur omnium laborum Herculi fuisse memorant *Leonem Nemeæum*, Lucretio *Arcadicum*, aliis *Cithæroneum*: quem in Silva Nemeæ, inter Phliuntem, & Cleonas vagantem, cum armenta ejus laniaret, puer decimum sextum vel octavum agens annum, à patre ad armentorum custodiam missus, pharetrâ jam exhaustâ, telisque pellem nullo ferro penetrabilem frustra petentibus, crebris, ac reiteratis clavæ verberibus quasi comminuerit. Clavam autem tum primum à Molorcho hospite suo accepisse dicitur: quam multo ferro gravem Socrates ad Idotheum; imò totam ferream fuisse Pisander prodidit. Nonnulli tamen tradunt Herculem ipsum eam ex oleastro ad Saronidem paludem fecisse; ut ex Pausania in Reb. Corinthiac. constat: apud quem unà legas Clavam trinodem fuisse: ideò fortè, quia virtus quasi trinodis est. Vnde Euripides apud Stobæum in Antiope: *Tres sunt virtutes, quas te exercère opus est, mi fili: Deos ut colas; & qui te enutrivere, parentes; legesque communes Græciæ.* Imò alii narrant Herculem prorsus inermem fuisse, feramque brachiis circa collum ejus consertis, eousque adstrictam tenuisse, donec suffocaverit: quam tum humeris impositam Mycenas asportârit. Et hoc imperatum Herculi ajunt ab Eurystheo; idque jure, quia hic major erat natu. Herculem enim jam nonum mensem in utero matris agentem, auxilio Iunonis Zelotypæ fraudulento, Eurystheus septimestris anteverterat; Herculis exitu in Kalendas decimi mensis prorogato. Ita ut prior natu, sicuti Iupiter jurâsset, posteriori imperaret. Atque hinc Iuno Herculis cædem quærens, Eurysthea incitavit, ut hos adeò duros ac horrendos ei imposuerit labores. Quos etiam mandato potiùs Oraculi, & ipsius Iovis incitamento, sive adhortamento, quam jussis Eurysthei obediens, ineffabili animi fortitudine sustulit, ac omnes feliciter executus est. Cæterùm Leonem hunc à Iunone ad Herculis in-

teritum miſſum, ferunt de circulo Lunæ deſcendiſſe: ut ad Signum Leonis fuſiùs dictum. Anaxagoras verò fabulatus eſt in Lunæ concavo fuiſſe latam quandam regionem; unde hic leo deciderit: & alii de illo aliter commenti ſunt. Præterea adhuc duo numerantur leones, quos Herculem ſuperâſſe ſcribunt: nempe Heliconius, & Lesbius.

Secundus labor erat *Hydra Lernæa* ſeptem capitibus, teſte Naucrate, & Piſandro, conſpicua, in Lerna Argolidos palude: quam Hercules apud fontem Ammones, ſub platano quadam ingenti, ubi plerumque verſabatur, occidit. Zenodotus, Simonides, & Palæphatus tradidere huic hydræ novem fuiſſe capita: at Heraclides Ponticus quinquaginta: quem ſecutus Virgilius l. 6 Æneid. ſic canit:

Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra.

Imò addunt, quòd priorum capitum numerus, uno ſecuri percuſſo & amputato, reliquoque colli thyrſo non unà adurato, continuò duplicatus ſit. Eò Iolaus torres dicitur detuliſſe ad Herculem. Sed alii putant hanc Hydram nihil aliud fuiſſe, quam paludem ipſam; in quam tum Argivi, cùm Mycenenſes, quibus ea communis, omnia purgamenta, & quiſquilias, teſte Strabone l. 8, deportâſſent: unde proverbium Λέρνη κακῶν, *Lerna malorum*, de malis plurimis in unum ſimul locum congeſtis & accumulatis. Ita ut hæc palus exitioſas evomuerit aquas, ab Hercule poſtea cum ipſis fontibus occluſas, & igne exſiccatas. De hoc adi Voſſium l. 2 de Idololatr. p. 384. Nonnulli etiam ſub hydra Lernæa intelligunt arcem regis Lerni munitiſſimam, multis propugnaculis tanquam capitibus cinctam: quam Hercules expugnaverit.

Tertius labor fuit *Taurus ignem naribus efflans*, Neptuni irâ in Cretenſes miſſus; quòd Minos II, Lycaſti ex Ida filius, ac Minois I nepos, rex Cretæ, nihilo majorem Neptuno honorem, quam reliquis Diis impertitus fuiſſet; cùm tamen toti mari, quod Græciam alluit, ejus beneficio imperaret: vel, ut alii, & quidem veriſimiliùs

milius sentiunt, quòd à Minoë in Athenienses, ut impetum faceret, amandatus; quia filium Androgeonem, aliis Glaucum, h. e. Cæsium dictum, Deucalionis fratrem, occiderant. Sub hoc enim intelligitur quibusdam *Taurus* ille, qui Minois exercitum duxit, ab Hercule captus, & iterum dimissus: sed postea à Theseo mactatus, sive cæsus. Et hinc fortè est, quod Theseo quoque *Herculis* tribuatur nomen. Suspicor tamen fuisse Minotaurum, ex dicto Tauro, & Pasiphaë Minois uxore, instinctu Neptuni, ut Minoëm opprobrio afficeret, genitum: cujus quoque mentio facta ad Signum Coronæ Septentrionalis, & Sagittarii.

Quartus labor erat Aper *Erymantheus* vel *Erymanthius*; nonnullis *Calydonius*, aliis *Crommyonius* dictus: qui tamen ab Erymanthio diversi putantur. Hunc aprum insignis magnitudinis in Erymantho Arcadiæ monte natum, & Phocidis in agrum, eò quòd Dianam Oeneus Calydoniæ, sive potiùs Ætoliæ rex, Meleagri, & Deianiræ pater, teste Ovidio Metam. 8, Virgilio l. 7 Æneid. & Sosiphane in Meleagro, meritis aliquando victimarum honoribus præteriisset, à Dea missum, Hercules ex fruticeto quodam, ubi ob altam nivem defatigatus latitabat, extraxit, & vinctum ad Eurystheum deduxit. Rem pleniùs descripsit Claudianus, quem adi.

Quintus erat *Balthëus omnium pulcherrimus Hippolytæ Amazonum reginæ*, sive, ut alii volunt, *Dulycæ*, aut, Ibyco teste, *filiæ Briarei*: quem Hercules, cæsis, & captis Amazonum præcipuis, reliquis in fugam versis; acquisitum Themiscyrâ Mycenas ad Eurystheum portavit; ut filiæ Admetæ largiretur. Quin & Deianiram, Asteriam, Alcippen, aliasque Amazones captas secum duxit; Hippolytâ Theseo ejus expeditionis socio concessâ.

Sextus labor erant *Equi Diomedis* Thraciæ regis, Cyrenes Martisque filii: quos ferocissimos, ignemque spirantes, in oppido Tyrida, humanis hospitum captorum carnibus alebat. Et hos itidem superatos Hercules ad Eurystheum duxisse fertur.

Septimò *Geryone* Hispanicæ cujusdam insulæ regulo, Chrysaoris & Callirrhoës triplicis naturæ filio, ejusque cane Orthio duorum, & dracone septem capitum Typhone & Echidnâ prognato, item pastore Eurytione interemtis, *boves* regis *puniceos*, hoc est, *Erythræos*, hospites vorare solitos, ex Hispaniæ insula Gadir, postea Erythra dicta, abegisse: & post varia in itinere certamina Mycenas ad Eurystheum deduxisse dicitur: qui eos omnes Iunoni immolaverit. Sed hæc fabula propriè pertinet ad Herculem Phœnicium sive Tyrium juniorem: de quo sic scribit Iustinus l. 44: *Inde armenta Geryonis, quæ illis temporibus solæ opes habebantur, tantæ famæ fuere, ut Herculem ex Asia prædæ magnitudine illexerint. Porrò Geryonem ipsum non triplicis naturæ, ut fabulis proditur, fuisse ferunt: sed tres fratres tantæ concordiæ exstitisse, ut uno animo omnes regi viderentur.* Alii vocabulo μῆλον, quod & *ovem* sive *pecus*, & *pomum*, imò Homero *arborem* significat, posteriore significatu utentes, ex hac fabula aliam à vera historia magis aberrantem finxerunt. Fabulantur enim Herculem μῆλα χρυσέα, hoc est, *mala aurea* ex Horto Iunonis Hesperidum, sive Hesperiæ extremæ, quæ Hispania postmodum dicta, abstulisse, Dracone, vel potiùs Ladone horti custode, suasu Promethei, priùs occiso. Sed expositio hujus fabulæ physica, sive theologica videatur apud Vossium de Idololat. l. 2, p. 384: quo pertinet Ravennæ Ingeniculus cervice, ambobusque lacertis semirotundum, convexumque bajulans Solarium: item Alcides ille in vinea Stephani Bubali Romæ repertus, sphæram Zodiaci, & fixarum stellarum imaginibus sculptis exornatam gestans. Cur autem Hercules cœlo humeros supposuisse dicatur, explicat Diodorus l. 4, c. 3.

Et hunc *octavum Herculis laborem* statuit Philippus Byzantius, cum aliis, ex una historia duas diversas fingens fabulas.

Nonus labor erat *Stabulum trium millium boum Augiæ* sive *Augeæ* Regis Elydis, Solis, nonnullis Neptuni, sive Phorbantis & Hirmines, aliis Nyctei, vel Epochi filii; è cu-

è cujus oculis radii ſolaribus ſimiles effluere dicebantur. Hoc ſtabulum fimo refertiſſimum Hercules, prout conventum erat, uno die, Alpheo fluvio in illud converſo, purgavit. Sed Augiam mercedem pactum ſe pro ſtabulo, ſive potiùs agro purgato daturum poſtea negantem, ſagittis confixit; filiumque Phyleum Dulichium profugere coactum, quod facinus patris iniquum eſſe dixerat, regem inſtituit. Videatur de hoc Lucianus ſtatim in principo Pſeudomantis, & Ludov. Caſanova in Hieroglyphicis pag. 121, & 124; ubi unà demonſtrat Herculem hunc fuiſſe Medicum excellentiſſimum, quod & ego minimè negârim.

Decimus erat *Cerva* in Mænalo Arcadiæ monte *pedibus æreis, aureiſque cornibus*, ac tantæ velocitatis, ut nullus mortalium curſu eam capere poſſet. Hanc adducere juſſus Hercules, cùm, ut Dianæ ſacram, neque occidere, neque vulnerare vellet, annum totum currendo eſt inſecutus: donec demum defatigatam, ac Ladonem amnem jamjam tranaturam juxta montem Artemiſium ceperit, ac Mycenas humeris bajulaverit.

Vndecimus laborum erant *Aves* alis,roſtris,& unguibus,prodente Timagetâ,ferreis,quæ humanis veſcebantur carnibus, juxta Stymphalum Arcadiæ lacum,Stymphali herois,teſte Mnaſeâ,filiæ: unde vulgò *Stymphalides*, Apollonio autem l.2 Argonaut. Πλειάδες dictæ.Has Hercules, ob denegatum hoſpitium, dicitur occidiſſe; vel tinnitu ſiſtrorum,aut crepitaculorum æneorum à Pallade acceptorum perterrefactas,ex Arcadia in Aretiam Inſulam abegiſſe;ut Piſandro Camirenſi,Seleuco in Miſcellaneis,& Charonti Lampſaceno traditum. CæterùmVirgilius de Herculis loquens laboribus,hunc quintum dixit:

Stymphalides pepulit volucres diſcrimine quinto.

Sic quoque Cointus Smyrnæus:

Πέμπτον δ᾽ ὄρνιθας Στυμφηλίδας ἐξεδίωξεν.

Ac alius ex Scholaſticis:

Dejicit horriſono quintò Stymphalidas arcu.

Duodecimus erat *Deſcenſus Herculis ad Orcum*, ſive *inferos Cerberum capturi*. Orcus autem, ſive Pluto vocabatur

batur Aidoneus Molossorum rex, & Proserpinæ maritus: cujus Canis *Cerberus* dictus, in limine inferni excubans, Hesiodo quinquaginta, Horatio verò centum habuisse capita fingitur: nempe tria canina, unde τρίκρανον, hoc est, *tricipitem* vocat Sophocles in Trachiniis; reliqua uti & caudam, draconis. Hunc Tartari janitorem, ut Euripides vocat, Hercules in Tænario promontorio antrum ingressus, Acheronte, Styge, ac Cocyto inferorum fluminibus, Charontis portitoris infernalis ope, trajectis, pelle tantummodo leonis munitus cepit: atque eadem operâ Theseum, quem Orcus, sive Ædoneus, ut Eusebius ex Philochori Atticorum secundo prodidit, captivum tenebat, liberavit. Hinc Theseus ab inferis receptus fingitur operâ Herculis: quem victoriâ hac nactâ, populi albæ Acherontis in ripa nascentis ramo coronatum ex inferis emersisse, auctores sunt Harpocration, Olympionicus de plantis, & Scholiastes Theocriti in Hercule Furioso.

Decimus tertius denique Herculis labor, quem supra adductus Cointus tanquam complementum addidit, erat *concubitus unius noctis cum quinquaginta filiis Thespii Bœotiæ regis*. Is enim rebus suis optime consultum fore æstimans, si ex concubitu tanti Herois cum suis quinquaginta filiabus, totidem præstantes corporis & animi fortitudine filios susciperet, Herculem convivio lautè exceptum adeò inebriavit, ut omnes filias unâ nocte stuprârit; exceptâ saltem unicâ, quæ, Pausaniâ in Bœoticis teste, perpetuum sibi indixerat sacerdotium. Et id in Hercule minimè mirum: cùm Theophrasto in Historia plantarum proditum sit, quòd quidam in Venerem adeò propensi fuerint, ut vel septies uno tempore rem absolverint.

Atque ob hos duodecim imprimis labores, ex tot millibus, quibus suum Heroëm quasi cumulant Græculi, à Sacerdotibus electos, ac in ordinem redactos, Hercules in cœlum collocatus dicitur: ubi & adhuc conspicitur quasi continuè congrediens, & pugnans cum Dracone, aliisque monstris, quorum victor exstitit,

hor-

horribilibus. Imò ſic quoque vulgò pingitur, dextro ſcilicet genu inſidens, brachioque dextro clavam ſuam, ſive,ut aliis placet, ramum pomiferum in altum tollens, ac ſiniſtro pellem leonis Nemeæi geſtans; qua tanquam clypeo corpus defendere nititur.

Cæterùm Hercules poſt tot tantoſque labores, veſte Neſſi Centauri indutâ, tanto vexabatur pruritu, puſtulis per totum corpus orientibus; ut ſe Licham in fluvium Thermopylis propinquum ex petra præcipitaverit. Veſtem hanc veneno infectam, illi miſerat, ſuaſu Neſſi,uxor ejus zelotypa Deianira, Oenei Ætoliæ regis filia; ut antidotum ſit adverſus philtrum Ioles. Quippe Neſſus ſagittâ venenatâ ab Hercule transfixus, ei perſuaſerat, ſi quando maritus ejus illam veſtem indueret, præſentiſſimum fore remedium adverſus pellicum amores. Sacro denique igne,& furore quaſi correptus,cùm tantos cruciatus perferre non poſſet,ſe ipſum in pyram, in Oeta inter Theſſaliam, & Macedoniam monte ſtructam, conjecit. Vnde & Senecæ Hercules *Oeteus* dictus. Alii tamen memorant peſtilenti morbo correptum ſe in pyram Oeteam conjeciſſe. Sed de Hercule ſatis. Qui plura de eo ſcire deſiderat præter adductos auctores, adeat Lælium Biſciolam l. 20, c.17 Hor. ſucceſſiv. Ioh. Pierium l. 14 Hierogl. Athenæum l. 3, c.5, Alexandrum Sardum, Kitſchium de factis & memor. Herculis, Plauti Amphitryonem, Pherecydem l.3 Hiſt. Theolytum in Horis, ante omnes autem Natalem Comitem lib. 7, c. 1.

Sunt præterea, qui dicunt Ingeniculatum hunc eſſe *Theſeum*, filium Neptuni, ſive potiùs Ægei Athenienſium regis, qui mari Ægeo nomen dedit, ex Æthra matre; teſte Ovidio, Tzetze Chil. 2, hiſt. 51, & Plutarcho in Theſeo: adeò ut materno ſanguine attingat Herculem; cujus & virtutes imitatus eſt. Genu autem hîc ideò inſiſtere fertur, quòd ſaxum, ſub quo pater Ægeus enſem abſcondiderat, ejuſmodi habitu levaverit. Imò alii malunt Herculi ſubſtituere *Lycaonem* Arcadiæ regem, Apidis,& Niobes ex filio Pelaſgo &,He-

ſiodo

siodo teste, Melibœâ Oceani filiâ, vel juxta Apollodorum l. 3, Cyllene nymphâ nepotem, ac patrem Callistûs: quem Iupiter Lycæus, quòd aram suam in monte Lycæo, quam ipse Lycaon cum templo, & ludis Lupercalibus in Iovis honorem instituerat, mactato Arcade Apollinis, vel Iovis, & Callistûs filio, sanguine humano aspersisset, in lupum cum filiis mutaverat; ut prodidit Pausanias in Arcadicis. Hecatæus tamen l. 2 Genealog. & ex eo Ovidius l. 1 Metamorph. tradidere, Lycaonem cum filiis suis in lupum transformatum esse; quòd Iovem in operarium pauperem conversum, ipsi in hospitium invitârint, illique intestina mactati pueri comedenda apposuerint. Vbi Iupiter mensam everterit: unde locus ille Arcadiæ postea Τραπεζοῦς, hoc est, *Mensarius*, & oppidum in eo conditum *Mensaria*, Τραπέζους ἡ πόλις, sit dictus. Imò exinde quoque suspicari licet, nomen fluxisse *Herculis Trapezii*, cujus supra mentionem ex Hesychio fecimus. Atqui Ingeniculatus, manibusque in cœlum sublatis fingitur ex dolore ob filiam in ursam mutatam. Alii denique nominant *Thamyram*; qui unà cum Hercule Ægyptio, ut fertur, & Orpheo, Lini illius, qui in poësi maximè excelluit, ut ad Lyræ Signum diximus, discipulus fuit.

Verùm in horum locum ex vera sacræ Scripturæ historia locari potiùs potest inclytus ille Israëlitarum heros ac dux *Iosua*, quem supra *Herculem Cananæum*, sive *Ægyptiocananæum*, sive etiam *Israëliticum* diximus: aut, si mavis, *Samson*, alter *Israëliticus Hercules*, cujus gesta vide sis Iudic. c. 14, v. 16.

XVI. AQUILA; der Adler;

Iovis ales; Mæro *Iovis Nutrix*; *Iovis armiger* Virgilio, *Satelles*, & *internuncia*, *fulminis Minister* Horatius, *Raptrix Ganymedis*; *Servans Antinoum*; *Avis Romana*; quibusdam *Promethei Aquila*; item *Vultur volans*: Græcè Ἀετὸς, Lycophroni

cophroni Κνηκεῖος, fortè à rapacitate, quòd rapiat, & concerpat, Διὸς ὄρνις, Pindaro Οἰωνῶν βασιλεὺς, *Avium regina* : quibusdam βάσανος, hoc est, *lapis exploratorius*, item *probatio*, Synesio, *tormentum*; Isocrati βασανισμὸς, *cruciatus*, *tormentum*, βασανιστήριον, quasi dicas *exploratorium*, *instrumentum ad explorandum*, Synesio *locus cruciatus*, vel, quod longè aptiùs, βασανιστὴς, h. e. *tortor*, *explorator* scilicet *Promethei*: Arabicè *Alcar*, *Alcair*, pro *Atair*, Schickardo *Attayro*, id est, *avis*, noviter *Alhakkab*. Meridianum mediâ nocte pervagatur circa medium Iulii : & complectitur in globo nostro 10 stellas.

Postello intra novem, & extra 6 : Bayerus autem Aquilæ Ganymedem subjungens, numerat 30; *quarum una secundæ magnitudinis in colli eductione, quibusdam in interscalpio, κατ' ἐξοχὴν* Atair, *sive* Aquila *dicta*; 10 *tertiæ*; 2 *quartæ*; 3 *quintæ*; *&* 14 *sextæ, omnes Martem & Iovem sequuntur.*

Inter astra autem receptus dicitur *Aquila*, quòd Iovem Cretensem, cùm adhuc infans esset, in spelunca, ne à Saturno patre occideretur, absconditum, nectare nutriverit; ut tradidit Mæro Poëtria Byzantina, quam sic Latinè loquentem audi :

Ast Aquila huic nectar, de petrâ dulce quod hausit,
mox rostro sublime volans, afferre solebat.
Hanc patri Altitonans mox regno victor ademto,
esse immortalem voluit, cæloque locavit.

Vel quòd Iovi ad expeditionem bellicam adversus Titanes, qui parentes ejus in vincula conjecerant, accincto, hæc avis augurium futuræ victoriæ in Naxo attulerit; & arma pugnanti subministrârit. Vnde & sibi sacram Iupiter imposterùm voluit; & in reliquis expeditionibus Aquilæ effigie pro signis militaribus usus est; quod imitati sunt posteà Romani; ut auctor est Alexander ab Alexandr. Genealog. dier. l. 2, c. 2 : imò attri-

attribuit illi tantam facultatem, ac immunitatem, ut nullo fulminis ictu imposterum lædi, & solis fulgorem oculis semper apertis, ac minimè hebescentibus intueri posset. Vel etiam, quòd formosissimum illum Ganymedem Trois Trojanorum regis filium, centesimo circiter anno ante bellum Trojanum, rapuerit, ac in cœlum portaverit, quo Deorum consuetudine frueretur: ut auctor est Apollonius Argonaut. l. 3. Vnde & traditum illi imperium in cæteras aves, teste Horatio Carminum l. 4:

Qualem ministrum fulminis alitem,
cui rex Deorum regnum in aves vagas
permisit, expertus fidem
Iupiter in Ganymede flavo.

Alii tamen tradunt, Iovem ipsum in aquilam conversum, Ganymedem ex luco agris Priapenis, & Cyzicenis contermino rapuisse: unde locus ille postmodum *Harpagia* sit dictus; ut testatur Strabo l. 13. Verùm raptor ille non aquila fuit; neque Iupiter Phrygius, qui Ganymedem rapuit, aut rapi curavit, in aquilam transformatus; ut poëticâ saltem fide traditur. Proinde suspicor navem fuisse Aquilam dictam, ob aquilæ insigne; vel, si mavis, cohortem, aut exercitum Phrygium aquilæ picturâ in vexillis militaribus, ut modò diximus, utentem: quorum vel hujus, vel illius adminiculo Tantalus, Phrygiæ & Paphlagoniæ rex catamitum hunc abduxerit. Vnde & Troi patri Ganymedis, & Tantalo maximum bellum exortum esse, indicat Phanocles apud Orosium, & Eusebium. Vide sis quæ diximus de hoc ad Signum Aquarii, & Antinoi.

Verùm quidam hic intelligunt *Aquilam*, illam Typhone & Echidna, ut vulgò fabulantur, prognatam: quæ Promethei, Iapeti filii, quem Osiris sive Mizraim parti Ægypti præfecerat, cor, & jecur in monte Caucaso exedisse, & ab Hercule postea sagittis transfixa dicitur; ut traditum est Duridi Samio, Pherecydi, l.2, & 10 Histor. Apollonio l. 2 Argonaut. Hesiodo in Theogonia, ac Luciano in Prometh. & dial. de Sacrificiis.

ficiis. Hi Prometheum tantis cruciatibus à Iove affectum scribunt; quòd igne (nempe rerum divinarum, & Scientiarum cognitione) mortalibus divinitus ademto, Minervæ (h. e. Sapientiæ) auxilio, in cœlum ascenderit, ibique ferulâ ad currum Solis admotâ, eum rursus in terram portaverit. Cujus tamen aliam causam affert Nicander; nempe quia Prometheus invenerit fœminam, (fortè Philosophiam intelligit) omnium humanarum calamitatum auctorem, & animalium genus scelestissimum, γῦνος μιαρὸν: vel quia Palladem, hoc est, sapientiam amaverit: ut Duridi proditum. Sed plura de hoc dicemus ad Signum Sagittæ.

Atque ex his videmus, quòd Aquila cœlestis non ita malè, ut Bayerus in Vranometria sua judicat, à quibusdam vocetur βάσανος, βασανισμὸς, & βασανιστήριον; quæ omnia *cruciatum*, & *tormenta*, sive *instrumenta tormentoria* significant. Quamquam non negaverim, quòd vocabulum βασανιστὴς, hoc est, *tortor*, *explorator*, huc meliùs quadret.

Cæterùm in Historia veteri aliquantisper versatis haud adeò operosum erit distinguere, quid poëticâ, & quid historicâ fide à Poëtis de Prometheo sit dictum. *Non* enim *res ipsas gestas finxerunt Poëtæ*, ut loquitur Lactantius l. 1 de Falsa relig. c. 11: *sed rebus gestis addiderunt quendam colorem*. Et hoc detracto, ac quasi decoloratâ fabulâ, nuda nobis apparebit historiæ veritas. Apud Herodotum legere est in illo libro, quem composuit de vinculis Promethei; quòd Scythiâ fluvio Aquilâ inundatâ, Prometheus Scytharum rex populis sibi subjectis res victui necessarias non suppeditare potuerit, atque ea de causa à Scythis in vincula conjectus sit. Quem tamen haud ita longè post Hercules in illas veniens regiones, à vinculis liberaverit, fluvio Aquilâ in Oceanum ducto. Agæthas Rer. Scythic. l. 13, eadem ferè scripsit. Verùm uterque non nudam, & sicuti gesta erat, sed adhuc fabulis, & commentis quibusdam contaminatam recitat historiam. Audiamus igitur Polycharmum in Rebus Lyciis, & Diodorum Siculum;

qui ſcribunt: Nilum Ægypti fluvium aliquando, Sirio exorto, adeò intumuiſſe, ut aggeribus ruptis, Ægyptum aquis obruerit; imprimis autem illam partem, cui cum imperio præfuerit Prometheus. Et hunc fluvium, ſive potiùs alveum Nili, qui Ὠκεαμὴς, unde nomen *Oceano* datum, dicebatur, ob aquæ violentiam, & celeritatem (unde etiam viſcera Promethei exediſſe fabulantur) poſtea Aquilam eſſe nuncupatum. Herculem autem, quo nomine fortè ſupra memoratum Iapeti filium Prometheum, ſive ipſum Oſiridem intelligunt, obturatis, quibus irruperat, locis, eum intra ripas coërcuiſſe. Atque ſic Prometheum imprimis ob Aſtronomiæ peritiam, qua mortalium animos, igne quaſi accenſo, imbuiſſe, eorumque oculos ad illa cœleſtia, & nobilia corpora contemplanda erexiſſe dicitur, tam variis fabulis locum dediſſe videmus. Sed antequam manum de tabulâ tollam, dicere eſt animus; quòd quidam veterum in ea quoque, ut videtur, fuerint opinione, animam Platonis in hanc Aquilam cœleſtem fuiſſe converſam. Et indicat idipſum Speuſippus, aut quiſquis ille fuit, qui Græcum epigramma illud in tombum Platonis compoſuit; quod alius ſic tranſtulit:

Cur, aquila, *ad tumulum hunc volitas? dic: numquid ab aſtris*
hîc habitare Deum fortè aliquem intuita es?
Imò anima *extincti ſum* diva Platonis; *Olympum*
quæ colo: ſed corpus terrigenum Attica habet.

Verùm hoc ſigno potiùs intelligamus *Aquilam Romanorum*; qui ſub Flavio Veſpaſiano, cum legionibus ſuis, ac ſignis *in ſimilitudinem aquilæ volantis*, anno à nato Chriſto 68, primùm in Iudæam irruperunt, Deuteron. c. 28, v. 49. Hoſ. c. 8, v. 1: vel, ſi magis placet, *S. Iohannem, Evangeliſtam* illum altiloquum: *qui Aquilæ* ſymbolum meruit, quòd in Ἀποκάλυψει, hoc eſt, *Revelatione ſuâ rerum abſconditarum*, ipſâ ſuſceptæ lucubrationis materiâ ab ipſo rerum principio repetitâ, fuerit ſublimis; ut ait Eucherius: atque adeò volatu ſublimi in ipſam Omnipotentis aulam elatus, oculorum aciem in admirandæ divinitatis faciem infixerit, doctri-

doctrinamque nullo antea mortalium ingenio conceptam cœlitus detulerit.

XVII. ANTINOUS; der Knabe/ Spiel-knabe/ Liebling/ Mund-schenke/ Becher-diener/ das Knaben-gestirn;

Puer Adrianaus, Adriani Amasius, Puer Bithynicus, Novus Ægypti Deus; aliis *Ganymedes, Puer Troius, Trojanus, Iliacus, Phrygius*, Catullo *Iovis Cinædus, catamitus, Puer Aquilæ, Iovis Pincerna*, sive *Pocillator*. Meridianum mediâ nocte transit medio Iulii: & septem in globo nostro continet stellas; de quibus in præcedenti egimus Signo.

Antinous admirandæ pulchritudinis puer Claudiopoli Bithyniæ natus, postquam Nilo submersus erat, Adriani Cæsaris jussu, cujus amasius fuit, ab Ægyptiis cultus, ac in cœlum locatus, propè Viam lacteam, sub Aquila, inter Zodiacum, & Æquatorem, Aræ quasi insistit. Devictâ enim ab Augusto Cleopatrâ Ægypti reginâ, ac Adriano postea imperium consecuto, novum hic Ægyptiis Deum, nempe hunc *Antinoum* dedit. Vnde apud Goltzium in Thesauro rei antiquariæ, vetus inscriptio Romæ reperta in Campo Martio ad Isidis fanum, hæc habet: ΑΝΤΙΝΟΩΙ ΣΥΝΘΡΟΝΩΙ ΤΩΝ ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩΙ ΘΕΩΝ, hoc est, *Antinoo eundem cum Diis Ægyptiis thronum occupanti.* Quin & idem Adrianus in ejusdem Antinoi honorem urbem *Antinoiam*, quæ & *Adrianopolis* dicta, in Ægypto condidit: imò non solum statuas erexit, templa, & sacerdotes constituit; sed etiam numismata procudit, aut procudi fecit. Quod præter alios, testatur nummus Bayeri æneus, in cujus altera facie *Caput Antinoi* expressum, cum hac inscriptione: ΟCΤΙΛΙΟC ΜΑΡΚΕΛΛΟC Ο ΙΕΡΕΥC ΤΟΥ ΑΝΤΙΝΟΟΥ, hoc

 est,

eſt, *Hoſtilius Marcellus Sacerdos Antinoi*: in altera conſpicitur *Mercurius cum Pegaſo*, circumque hæc legitur epigraphe: ΤΟΙϹ ΑΧΑΙΟΙϹ ΑΝΕΘΗΚΕ, hoc eſt, *Achæis conſecravit.* Videatur de hoc Dion, Spartianus, Tatianus, Theophilus, Athanaſius, Euſebius, & Athenagoras in Legatione; item Tertullianus adverſus Marcionem: imprimis autem Origenes in tertio; ubi Celſum Epicureum refellit, quòd tantæ devenerit impudentiæ, ut quæ Antinoi ſacerdotes facerent, conferre auderet cum miraculis Domini, ac Servatoris noſtri: cùm tamen aliàs ipſe gentilium riſerit oracula, & ſacerdotum impoſturas: ut ex Luciani Alexandro Pſeudomante huic Celſo dicato videre eſt. Cæterùm hic Antinous, Adriani Imperatoris deliciæ inſipidæ, non tantùm ab Ægyptiis cultus eſt: ſed & in Arcadia à Matinenſibus; qui eum annuis ſacris, & quinquennali certamine honorârunt: ut auctor eſt Pauſanias in Arcadicis.

Verum enimverò aliis placet *Antinoum* hunc in cœlum receptum, eſſe unum ex procis Penelopes Icarii filiæ, & Vlyſſis caſtitatis ac fidelitatis ferè inauditæ uxoris: cujus mentionem ingerit Ovidius; item Propertius l. 4, eleg. 5:

Penelopen quoque, neglecto rumore mariti
nubere laſcivo cogeret Antinoo.

Alii tamen Antinoo ſubſtituunt *Ganymedem* Trois Trojanorum, ſive, ut antea dicebantur, Dardaniorum regis filium, Iovis Phrygii amaſium, & pocillatorem, in locum Hebes ſuffectum: quæ antiquitus *Ganymeda*, teſte Pauſaniâ in Corinthiacis; Latinis poſtea *Iuventas* dicta; quia juventutis præſes, ac Dea credebatur. Sed Ganymedes hic potiùs pertinet ad ſignum Aquarii: cùm phyſicè, ſive juxta veterum ſacerdotum philoſophiam conſideratus, *hyemem*, cui nomen Græcum à *pluviis*, æquè ac Hebe, ſive Iuventas, *juventutem*, ac *æſtatem*, denotet. Nam per fabulam illam, qua Hebe pocula miniſtrans, cecidiſſe, ac partes pudendas ſuperis oſtendiſſe, imò eâ cauſâ à functione ſua remota dicitur,

nos

nos intelligimus casum juventutis, sive æstatis: cùm scilicet folia arboribus deciderunt, ac rami veste frondeâ denudati deformes, ac turpitudine quasi affecti videntur: ita ut æstas à munere remota, partes suas hyemi cedere cogatur. Sed plura de hoc diximus ad Signum Aquarii, & Aquilæ.

Denique his Catamitis futilibus è cœlo sublatis, subrogandum potiùs ex sacro Codice duximus *Filium Sunamitanæ*, quem Elisa Propheta ex mortuis resuscitavit: ut proditum est 2 Regum c. 4, v. 35.

XVIII. SAGITTA; das Pfeil / Flitzpfeil / der Boltze / das Boltzen-gestirn;

Sagitta Herculea; Iaculum, Telum, Canna, Arundo, Manilio *Calamus, Virga, Missile, Vectis*, vel *Fossorium*, apud Ciceronem *Missore, Musator:* Armeniis *Tigris:* quibusdam *Dæmon*; aliis *Temo meridianus*; *Orfercalim*; *Obelus*; *Virgula jacens:* Græcè τόξευμα, id est, *sagitta*, & ὀϊστὸς ἀπὸ τόξου, hoc est, *sagitta absque arcu*, item βέλος, id est, *telum, virga:* Arabicè *Alahance*, sive *Alhance, Alahanze*, Ebraicæ originis, Schickardo *Alchanzato*, hoc est, *telum*, vel *sagitta*, noviter *Alsoham:* nonnullis *Istusc.* Meridianum mediâ nocte transfigere quasi conspicitur circa medium Iulii: & in globo nostro 5 ornatur stellis.

Postellus totidem numerat; Bayerus autem octo, quarum 3 quartæ magnitudinis; 11 quintæ; & 4 sextæ, omnes ♂ & ♀ complexionem imitantes.

Sagitta conspicitur in Via lactea, inter Zodiacum, & Tropicum. De hac variæ sunt opiniones. Quidam putant eam denotare *Sagittam illam Cupidinis* cum ipso tractore fictitiam; qua Veneri matri immedicabile inflixerit vulnus: ac ideò in cœlum locatam dicunt. Verùm

à puero hoc cœco & ipſos obcœcatos dicas, qui vides Sagittam cœleſtem ingentem, & quaſi trabalem, ac antea ferream, in cœlo demum quendam auri fulgorem intermicantibus ſtellis nactam. Cùm Cupidinis illa valdè gracilis, & exigua, auroque obducta, imò tota aurea fingatur: ut Symbolum ſit amoris; non odii, ut hic noſter: quia licet altum, tamen jucundum vulnus infligit: ut Ariſtæneto videtur epiſtola 10. Præterea Cupidinis illa nunquam reipſâ extitit: ſed ficta duntaxat ex radiis, quæ ex oculis amantium prodeunt: ut ex Platonis mente ſenſit Leo Ebræus l. 2. Vnde Muſæus:

Κάλλος γὰρ περίπυστον ἀμωμήτοιο γυναικὸς,
ὀξύτερον μερόπεσσι πέλει πτερόεντος ὀϊστοῦ.
Ὀφθαλμὸς δ' ὁδός ἐστιν· ἀπ' ὀφθαλμοῖο βολάων
ἕλκος ὀλισθαίνει, καὶ ἐπὶ φρένας ἀνδρὸς ὁδεύει.

Hoc eſt:

Pulchritudo celebris immaculatæ feminæ
acutior hominibus eſt veloce Sagittâ.
Oculus verò via eſt: ab oculi ictibus
vulnus delabitur, & in præcordia viri manat.

Imò nec eſt illa *plumbea*, quâ Cupido *Daphnen* fixiſſe dicitur. Vnde Ovidius in Metamorph.

Deque ſagittiferâ promſit duo tela pharetrâ
diverſorum operum: fugat hoc, facit illud amorem.
Quod facit, auratum *eſt, & cuſpide fulget acutâ:*
quod fugat, obtuſum eſt, & habet ſub arundine plumbum.

Sed eſt *ferrea Herculis*: unde & *Sagitta Herculea* dicitur. Quæ ob inſignem Herculis audaciam in cœlum recipi meruit; quod eam jaculaverit vel in Iunonem, ejuſque dextram percuſſerit mamillam; ut traditum Homero Iliad. l. 6: vel in Plutonem; cujus cor telo triſulco Herculem vulnerâſſe idem prodidit Homerus. Vel quòd eâdem impetierit Apollinem, ſive Solem: qui eò Herculis vires, ac animi magnitudinem admiratus, aureum illi donavit poculum (lebetem dixit Theolytus in primo Horarum:) quod tamen poſtea Oceano ad capienda aurea mala, aut boves Geryonis in illo trajecto, Soli reſtituit; ut ſcriptum Pherecydi l. 3 Hiſtor. Vel

etiam

etiam Neptunum fortitudinem ejus tentantem: aut, si mavis, Aquilam Iovis, tortorem illum Promethei, Iapeti ex Clymenâ juxta Hesiodum in Theogonia filii, & patris Deucalionis, fratrisque Epimethei: cujus fabulam breviter enarrare juvabit.

Prometheus ἀπὸ τῆς προμηθείας, hoc est, *à providentia* dictus, tantâ præditus fingitur sapientiâ, ut hominem primus formaverit ex lutò, prodente Ovidio Metamorph. l. 1, & Horatio in primo Carminum: imò in cœlum, favente Minervâ, ascenderit, ac surrepto inibi igne ex rota Solis, spiritum quoque in illo accenderit. Vnde Horatius loco adducto:

Audax Iapeti genus
ignem fraude malâ gentibus intulit,
post ignem æthereâ domo
subductum.

Hoc cùm rescivisset Iupiter, Vulcano dicitur imperâsse, ut fœminam Pandoram ex luto faceret, eamque cum omnibus malis ad Prometheum duceret. Verùm hac à Prometheo spretâ, Iupiter Mercurium jussum suorum administrum ablegavit, ut Prometheum monti Scythiæ Caucaso ferreis vinculis alligaret, additâ aquilâ, quæ cor ejus depasceret. Vnde Virgilius in Bucolicis:

Caucasusque refert volucres, furtumque Promethei.

Et Valerius Flaccus l. 5 Argonauticorum:

Vltimus inde sinus, sævumque cubile Promethei
cernitur in gelidas consurgens Caucasus arctos.

Cæterùm Hercules ab Euristheo poma ex horto Iunonis aurea surreptum missus, ubi ad Caucasum montem pervenerat, & ex Prometheo, quem dicto modo, ac loco tormentari vidit, viam, ac introitum in hortum Iunonis cognoverat, remunerationis gratiâ aquilam illam ejus tortorem sagittâ transfixit. Videatur de hoc Hesiodus loco adducto, Propertius l. 2, Pherecydes l. 2 Histor. Strabo l. 15, Nicander in Theriacis, Herodotus libro de vinculis Promethei, Plato in Protagora, & Apollodorus l. 2; item quod ad Signum Aquilæ nobis est dictum. Atque sic sagittæ illæ Herculeæ tricuspides,

 quales

quales unà cum arcu Hercules jam moriturus Philocteti donârat, eâ conditione, ne corporis sui reliquias indicaret, meruerunt; ut una ex illis in perpetuam Herculeæ audaciæ memoriam à Diis in cœlum locata sit: aut si mavis ex consilio Minervæ, ne capiendæ Trojæ aliquando sit causa. Quippe hæc ex Oraculi Delphici responso, sine Herculis sagitta, aut cadavere capi non poterat.

Pinguntur autem illæ sagittæ tribus cuspidibus tam Græciæ, quam Ægypti sacerdotibus: ut denotent tripartitam philosophiam, vel potius triplex ingenii acumen in contemplando triplici mundo; nempe cœlesti, terrestri, & inferno, hoc est, in perscrutandis disciplinis mathematicis, rerum naturalium causis, & divinis mysteriis; vel ex mente Socratis, in assequenda disserendi subtilitate, revelandâ naturæ obscuritate, acquirendâ vitæ, ac morum integritate. Atque eâdem de causâ trinodis fingi videtur Clava Herculis; qua triplicem adumbrari virtutem, in Hercule diximus. Videatur de hoc Stewechius in Vegetii l. 4, c. 9; ubi tribolatæ & mamillatæ Sagittæ descriptionem adfert: item Agellius l. 10, c. 25. Bayerus tamen Sagittam cœlestem non tribus, sed unicâ tantum cuspide, ex antiquo quodam prototypo, effinxit. Et in Arato, ac Hygino imago Aquilæ exhibetur Sagittam cœlestem unguibus tenentis. Idipsum inde suspicor profluxisse, quod Germanicus scripserit:

Est etiam incertum, quo cornu missa Sagitta
quam servat Iovis ales. —

At hoc intelligendum de fulmine; non de sagittâ Herculeâ.

Verùm nobis sit potiùs *index* illa *sagitta*, quam *Ionathan* amicorum ille fidelissimus, Davidi in signum suæ securitatis, vel præmonitionis ejaculavit; ut proditum 1 Samuel. c. 2, v. 35: aut quam Ioas, jussu Elisæ Prophetæ, versus orientem emisit; quæ *Telum salutis contra Assyrios* dici meruit: ut videre est 2 Reg. c. 13, v. 17.

XIX. LY-

XIX. LYRA ARIONIS; die Leier; die Zitter; die Harfe; das Seiten-spiel/ das Leier-gestirn;

Lyra, sive potiùs *Cithara Apollinis*, *Apollinea*, *Orphica*; *Lyra Mercurii*, aut *Amphionis*; Raitæ *Lyra aquilaris*; *Decachordum*, *Psalterium*; *Nablium*; *Tympanum*; *Canticum*; aliis *Cithara*; *Testudo*, sive *chelys marina*, *lutaria*; Plinio *Fidicula*, *fides*: Græcè Arato Λύρα, χαλωφερής, *declivis*, *deorsum propendens*, ὀλίγη, *exilis*; Φόρμυγξ, hoc est, Κιθάρα, Homero Κίθαρις, Athenæo Κιθάριον, *cithara*; χελύς, χελύνη, χελώνη, *chelys*, *testudo*; nonnullis μῦς, ἐμῦς, *musculus*; Aristoteli *testudo marina*: Ebraicè נבל, *nablium*: Arabicè *Nablon*, quod conveniens cum Latino *Nablium*, hoc est, *psalterium*, Schickardo significat *Falconem sylvestrem*, vulturi non absimilem; aliter *Alohore*, Schickardo *Alchoro*, h. e. *albicans*, *candore excellens*, *clarè lucens*, à Lucida Lyræ sic dicta; *Assangue*, aliis, sed corruptiùs, *Mesangue*, rectiùs Schickardo *Azzango*, hoc est, *Cymbalum*, ein Zinke, *cithara*, *lyra*; *Brinek*, juxta Schickardum *Species sindonis*, quod fortè Arabes pro Lyra pinxerunt: Peruanis, Iof. à Costa teste, *Vrcuchillay*. Pingunt enim arietem diversicolorem.



VULTUR CADENS; der fallende Geier/ der Leier-träger/ der See-adler;

Deferens psalterium, *pupillam*, & *testam*; *Fidicen*;

Aquila marina; *Bellua aquatica*; *Falco*: Græcè *βάσαν@*, *Tortor*: Arabicè *Nesrussakat*, meliùs *Nesrussakito*, h. e. *aquila cadens*; *Nesron*, id eſt, *aquila*, Ebraicæ originis. *Veka*, vel *Weka*, hoc eſt, *Vultur cadendo volans*; *Albegala*, vel potiùs *Albegalo*; quo juxta Schickardum, *mulus* denotatur. In meridiano circa noctis medium conſpicitur hoc ſitu, partim menſe Iulio, partim anni initio, & fine: aliàs nobis ſemper ſupra horizontem eminet. Complectitur autem in globo noſtro decem ſtellas; quarum fulgidiſſima Bayero ſub vulturis roſtro vel orificio, in ipſa Lyra, aliis in ala dextra, *Vega*, vel *Wega*, quod *vultum*, ſive orificium ſignificat; item *Pupilla*, *teſta*, & κατ' ἐξοχὴν *Brinek*, *Lyra*, *fidicula*, appellatur.

Poſtellus itidem numerat decem; aquè ac decem cum Apolline Muſæ, ac decem Fulgentio in Lyra chordæ juxta decem variationes humanæ vocis numerantur: Bayerus verò tredecim, nempe ſex in vulturis collo, & alis; & ſeptem in ipſa Lyra; quarum una ſub roſtro vulturis, ut diximus, in cornu Lyræ, Arabicè Vega, *appellata, primæ magnitudinis;* 2 *tertiæ;* 1 *quartæ;* 6 *quintæ, &* 3 *ſextæ, omnes* ♀ *&* ☿ *complexionem imitantes.*

Lyra, *Cithara*, & *Teſtudo* ſive *chelys*, licet diverſa ſint inſtrumenta, tamen à Poëtis ſæpius pro eodem uſurpantur: quia nempe hæc omnia ὄργανα ſunt ἐπιψαλλόμενα, καθαπτά, ἔγχορδα, καὶ ἐντατά, hoc eſt, inſtrumenta muſica, quæ fidibus, ſive nervis intenduntur, ac pulſantur; atque adeò inter ſe cognata. Sic *teſtudinem* eandem ac *lyram* facit Manilius in Sphæra barbarica: & omnes tres confundit Statius in primo Achilleidos, & 10 Thebaidos. Sed diverſa & tum fuiſſe argumento eſt; quòd Pauſanias, Lucianus, item Demetrius Bizantius l. 3, & Philoſtratus in Amphione, aliique Græci ſcriptores Citharam, quam Scaliger ad Manilium, uti & chelyn, *lyram Mercurii reformatam* vocat, referant inter Apolli-nis,

nis, ac Lyram inter Mercurii reperta. Et Lyram, quæ Platoni de anima celebratur inter amoris monumenta, poſt Citharam, contra Scaligeri mentem, inventam indicat Diodorus l. 5: ubi legas, Mercurium, ut illum Ovidius epiſt. Parid. deſcribit,

Atlantis magni, Pleioneſque nepotem,

tum demum ex teſtudine lyram eſſe commentum; poſtquam Apollo, pœnâ ſumtâ de Marſya cantu à ſe ſuperato, pœnitudine crudelitatis ſuæ ductus, ruptis citharæ nervis, aliquanto tempore manum ab ejuſmodi organo cohibuiſſet. Teſtudinem autem illam Mercurius in Cyllenem Arcadiæ montem profectus, pro antri oſtio, carne egeſtâ, invenit; & ſuper ejus teſta ſeptem nervos ex inteſtinis boum præparatos tetendit; atque ſic lyram abſolvit. Vide ſis Pierium in Hieroglyphicis l. 47, p. 503; imprimis autem amplam illam Lyræ Mercurii deſcriptionem Ioſ. Scaligeri in Notis ad Sphæram Manilii Barbaricam: ubi *veterem Lyram* Scarabæis illis galeatis, quos Galli *cervos*, Nigidius *lucanos*, Germani à galeâ cornuta, Haus-brenner vocant, planè ſimilem fuiſſe dicit. Sed *citharam* figurari in modum Græcanicæ literæ Δ, chordiſque obtendi viginti quatuor, ac per digitos variis vocibus, tinnuliſque ictibus in diverſis modis concitari, auctor eſt Hieronymus. Suſpicor tamen ante Hieronymi tempora citharam longè pauciores habuiſſe nervos. Præſertim cum ipſe primus inventor Apollo pingatur Decachordo. In ejuſmodi enim organis muſicis, quæ chordis intenduntur, veteres mox tres, mox quatuor, mox ſeptem, mox novem, mox decem plus minus agnovere chordas. Tribus nervis Lyram Mercurii, ſuſpicor Ægyptii, conſtitiſſe ajunt; indeque *Trichordum* appellatam: fortè cùm ille tres voces, juxta tria Ægyptiorum tempora quadrimeſtria, invenerit; nempe acutam, gravem, & mediam: ac acutam æſtati, gravem hiemi, mediam veri attribuerit. Inſtrumentum verò, quod quatuor nervos complectebatur, ab ea cauſa vocabant *Tetrachordum*. Quale Anacreontis eſt *Barbiton*; & Athenæo *Sambuca*, Græcè

σαμ-

σαμβύκη, σαμβὺξ, instrumentum triangulum à Sambuco inventore sic dictum, aliis *Harpa*, Germanicè ein Hakkebret, Italis *Harpicordo*: quo Parthi & Troglodite utebantur. Et Harpæ meminit Venantius Fortunatus:

Romanusque Lyrâ *plaudat tibi, Barbarus* Harpâ.

His quintum addidisse nervum dicitur Corœbus regis Lydiæ filius: uti sextum Higianis Phryx. Ex septem nervis, juxta ordinem septem Planetarum, inventis conflatum erat *Heptachordum*: de quo passim apud plurimos legas auctores. Atque sic Heptachordum numero septenario non solùm repræsentare videbatur septem planetas: sed insimul etiam ternario animam; & quaternario corpus ex quatuor constans elementis. Vt juncta hæc omnem reddiderint harmoniam, quæ tam ex operibus, quàm cogitationibus hominum percipitur. Hoc itidem de fistula Satyrorum, quæ

— *disparibus* septem *compacta* cicutis,

ut Virgilius eam Eclogâ 2 describit, dicendum. Orpheus præter tetrachordum & Heptachordum, usus etiam legitur *Enneachordo* fortè juxta numerum Musarum adornato: unde Avienus de eodem loquens:

Hic jam fila novem *docta in modulamina movit.*

Ejusdem usus quoque tribuitur Phrynidi: cui duos amputavit nervos bipenni Emerepes Lacedæmoniorum Ephorus, cujus censuræ universa olim Græcia acquiescebat; additis hisce verbis: μὴ καϰούργει τὴν μουσικήν, *Noli depravare Musicam*: ut traditum Plutarcho 9 Symposiακῶν, & Erasmo Roterodamo in Apophthegm. chil. 4, c. 3.

Denique *Decachordum* dictum est à decem nervis; quibus intendebatur vel juxta decem vocis humanæ modulamina, vel juxta numerum Musarum; quæ ex Iove & Mnemosyne, vel, juxta alios, Cœlo & Terrâ natæ, cum præside suo Apolline, totidem celebrabantur: ut sunt *Clio* Historiæ, *Euterpe* conjugii, & saltationis, *Thalia* plantandi rationis, sive etiam conviviorum, *Melpomene* luctus & Tragœdiarum, *Terpsichore* chorearum, & humanitatis, *Erato* amoris, & cantus, *Polymnia* agri-

agriculturæ, *Vrania* Astrologiæ, & *Calliope* Poëtices inventrix, sive præses. Videatur de hoc Gyraldus in Syntagm. de Musis, item Fulgentius. Et Δεκάχορδον in sacro Codice Græcis est Ψαλτήριον, *Psalterium*, quasi Latinè dicas *Laudatorium*, sive *Tactorium*, Germanicè **ein Lob- oder schlag-spiel**, id est, quod vulgò, sed barbarè dicunt, **ein Psalter**, Ebræis עשור ; item נֵבֶל sive נֶבֶל, Arabibus vulgò *Nablon*: unde Græcum νάβλιον, item νάβλα Hesychio & Suidæ ; ac Latinum *nablum*, *nabla*, vel, quod usitatius, *nablium* ; quo vocabulo usus est quoque Ovidius l. 3 de arte amandi :

Disce etiam duplici genialia *nablia* palmâ
vertere : conveniunt dulcibus illa modis.

Videtur tamen עשור, hoc est, *psalterium* aliud fuisse instrumentum, ac נֶבֶל, hoc est, *nablium* : quod nos propriè dicimus vel **eine Harfe**, vel **harpfe**, vocabulo radicali significatione optimè conveniente cum נֶבֶל, quod Munsterus perperam reddidit *psalterium* : utrumque enim à sonitu *animas rapiente*, vel *defluente*, hoc est, *aures instar citissimi fluvii transeunte, & cum tactu quasi evanescente*, dictum. Atque idipsum patet ex Psalmo 57, v. 9 : ubi regius Psaltes, sive Israëliticus ille Apollo David in hæc verba erumpit : *Evigila gloria mea ; evigila psalterium, & nablium*, &c. imprimis autem ex Psalmo 33, v. 2 ; *Confitemini Domino in cithara* (sic Hieronymus hîc interpretatus est נֶבֶל) *psalterio decem chordarum psallite illi.* Quod ~~B. Lutherus Germanicè vertit~~ : ~~**Danket dem HErren mit harfen : lobsinget Ihm auf dem Psalter von zehen seiten** ; scilicet *decachordo*, עשור~~, ~~quod habet עשרה נימים *decem chordas.*~~ Et Septuaginta Græcè : ἐξομολογεῖσθε τῷ Κυρίῳ ἐν κιθάρᾳ ; ἐν Ψαλτηρίῳ δεκαχόρδῳ ψάλλατε. Quos pariter ac Lutherum sequitur Piscator in sua Bibliorum versione : **Danket dem HErren mit harfen: lobsinget Ihm auf lauten und instrumenten mit zehen seiten.** Atque sic hæ versiones optimè conveniunt. Sed vulgata Latina Iudæi cujusdam longè recedit ; quæ sic habet : *Cantate ei carmen novum : suaviter laudate instrumentis cum clangore tubæ.* Vbi *Tuba*, meo judicio, minimè

mè quadrat : cùm עָשׂוֹר propriè id ſignificet, quod *decem*, עֶשֶׂר, עֲשָׂרָה comprehendit, etwas / das aus zehen beſtehet / wie dieſes zehn-ſeitenſpiel oder zehn-ſeitige kling-ſpiel.

Cæterùm Theologi per *Pſalterium animam*, per *Nablium corpus* intelligunt : ut Euthymio obſervatum. Atque hinc illius, nempe *Pſalterii*, uſum tantummodò in rebus ſacris, hujus verò, ſcilicet *Nablii*, & in ſacris, & in prophanis locum habuiſſe, contra quàm Cælio Lection. antiqu. l. 5, c. 23, viſum, ſuſpicor. Sanè *Pſalterio* non uſus legitur David, extra cultum divinum ; ſed *Nablio*. Nec credo eum pſalmos ſive cantilenas ſacras fidibus Pſalterii ceciniſſe ; cùm ex ambulacro regii palatii in hortum, ac balneum Batſabæ proſpiciens, amore lavantis impudico caperetur : ſed fortè prophanas. Athenæus ait lib. 14, *Pſalterium* olim μαγάδιν eſſe dictum.

Erat autem μαγάδις vel μάγαδις organum muſicum ab inventore Magado ſic dictum, tabulâ conſtans quadratâ ac leviter convexâ, intentis in ea, teſte Anacreonte, triginta fidibus. Quale quoque fuiſſe ſcribit idem Athenæus ibidem, cui quatuor nervos ad ſeptem illos priſcos juxta numerum Planetarum inventos, Timotheus Mileſius adjecerat. Ejuſmodi parvum inſtrumentum Luciano vocatur μαγάδιον. Μαγὰς quoque Suidæ, & Heſychio eſt magadis, ſive citharæ, vel teſtudinis tabulatum repandum nervos ſuſtinens, ſonumque è foraminibus, quibus pertuſum eſt, reddens : quod Boëthio dicitur *Hemiſphærium*, Muſicis *fulcrum, canon, pons*, Germanicè eine lauten-brücke, Gallicè *chevalet*, id eſt, *equuleus*, quòd eo nervi quaſi vectentur.

Sed redeamus ad *Lyram*, quæ Athanaſio rationis ſymbolum ; ac videamus, qualis illa fuerit, quæ inter aſtra locata dicitur. Scaliger loco adducto eam vocat *Mercurii* : eóque vult, ut inter aſteriſmos ejuſmodi figurà pingatur, quemadmodum eam longè diverſam à poſteriori, quæ in numiſmatis conſpicitur, ſatis amplè deſcribit.

Alii

Alii nuncupant *Lyram*, ſive potiùs *Citharam Apollinis*, non primi, qui fuit *Iubal* Tubalcaini frater, à Moſe Geneſ. c. 4, v. 21, *pater canentium in citharâ, & organo* dictus; ſed ſecundi, ſcilicet Noachidis illius, qui Diodoro l. 5, Oſiridi militiæ comes, & Germanus, ſive, ut Iuriſconſulti amant loqui, conſanguineus frater fuiſſe dicitur; ac præſes erat novem virginum Muſices intelligentiſſimarum, quas in aula ſua aluit Oſiris ſive Mizraim. Vnde & cognomen obtinuit Μȣσαγέτȣ; imò & Poëſin & Muſicen inveniſſe exiſtimatus: ut ipſe ait apud Naſonem Metamorph. 1:

— *Per me concordant carmina nervis.*

Rurſus alii appellant *Citharam Arionis* Methymnæi, Neptuni ex Oncæa nympha, ſive Autoloë, ut fingitur, filii, & Periandri tyranni Corinthiaci, teſte Herodoto in Clio, Citharœdi: qui ex Italia, & Sicilia domum navigans, ac citharâ ludens in mare deſiliiſſe, & à delphino exceptus, Tænaram portatus dicitur. Vnde, cùm veri parentes neſcirentur, fingitur filius Neptuni: ut ad Signum Delphini videbimus.

Nonnullis eſt *Lyra Amphionis* regis poſt Cadmum Thebani, filii Iovis, ſive potiùs Theoboontis, teſte Diophane rer. Ponticarum l. 1, & Tzetze hiſt. 13, chil. 1, ex Antiope Nyctei, ut Nicocrati in reb. Cypriis, ſive, ut aliis traditum, Aſopi filiâ, & fratris Zethi: unde Apollonius l. 1:

Zethus, & Amphion *aderant, duo pignora clara*
Aſopi Antiopes: *nondum turrita manebant*
mœnia Thebarum. —

Huic aſſignat Plato l. 3 de Republ. organicam, qua canitur lyrâ; quæ verò aſſâ fit voce, Marſiæ Lydo, vel Olympo: fortè quòd ille tetrachordo à prioribus muſicis invento tres addiderit chordas; ut eſt apud Ariſtoclem in primo de Muſica. Et Epimenides Mercurium tractandis lyræ fidibus magiſtrum habuiſſe refert; quod proditum quoque Pauſaniæ in Bœoticis. Hinc primus mortalium aram Mercurio dicâſſe dicitur. Lyram verò à Muſis primùm accepiſſe legimus apud Antimenidem

in

in primo Hiſtor. & Pherecydem l. 10 : vel ab ipſo Apolline ; ut eſt apud Dioſcoridem. Hac ſuaviter pulſâ, fabulati ſunt ſaxa ſuâ ſponte aſſiliiſſe, cùm Thebas muris cinxerit, ac ſeptem portis, juxta numerum nervorum Heptachordi à ſe inventi, muniverit. Vnde Horatius in arte poëtica :

Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis
ſaxa movere ſono teſtudinis, & prece blandâ
ducere, quo vellet.

Idem de mœnibus Trojæ Apolline lyram pulſante ædificatis, memorat Ovidius in epiſtola Paridis :

Ilion aſpicies, firmataque turribus altis
mœnia Phœbeiæ ſtructa canore lyræ.

Sed ut cantu exſtructa erat potentiſſima Thebanorum civitas : ita cantu, nempe flebiles numeros tibiâ accinente Iſmenia, ab Alexandro Macedoniæ rege rurſus deſtructa, ac everſa eſt ; ut teſtatum reliquit Calliſthenes. Denique morbo correptus peſtifero, quem Latona, quòd ob artis præſtantiam nimiùm gloriaretur, ac ipſum Apollinem contumeliis affeciſſet, in ædes Amphionis immiſerat, cum tota ſua familia extinctus eſt.

Præterea quoque *Lyra Orphei* domo Thracis, in hoc ſignum cœleſte fertur converſa. Fuit autem Orpheus Lini illius, qui rhythmos, & melos invenit, auditor, & ex Aſclepiadis, ac Menæchmi ſententia, Apollinis & Calliopes filius : unde Poëta quidam vetus :

Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
nec Linus : mater licet illi, atque huic pater, adſit,
Orphei Calliope, *Lino formoſus Apollo.*

Alii filium faciunt Oeagri, & Calliopes : ut Apollonius l. 1 Argon. & Manilius in quinto Aſtron. Imò & matrem illi tribuunt Polymniam alii, alii Menippen, alii Themyriden. Huic filio Oeagri, Herculis Thebani, prodente Tzetze, coætaneo, ac Orpheorum antiquiſſimo (plurimos enim fuiſſe teſtatur Suidas) cœterorum omnium facinora tribuerunt. Et dicitur omnium primus apud Græcos Deorum initia, & univerſam theologiam aperuiſſe; ac primus itidem de aſtrologia ſcripſiſſe :

ut

ut proditum Luciano in dialogo de Aſtrol. *At Græci,* inquit, *nihil vel ex Æthiopibus, vel Ægyptiis de aſtrologia audiverunt: ſed illis Orpheus, Calliopes & Oeagri filius, eam primus explicavit.* Quid amplius ſcripto evulgaverit, ejus immenſum ferè catalogum videre eſt ſtatim ab initio ſuorum Argonauticorum.

Cæterùm Lyram dono, ſive potiùs uſum lyræ, ab ipſo Mercurio accepiſſe, auctor eſt Hyginus, & Nicomachus Geraſenus l. 2 Muſices. Quamquam ab aliis proditum, quòd primus uſus ſit heptachordo ad ſeptem planetarum imitationem ac rationem, uti dictum, concinnato. Vnde ejuſmodi inſtrumento in Campis Elyſiis ludentem introducit Virgilius Æneid. l. 6:

Nec non Treicius *longâ cum veſte* ſacerdos
obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum:
jamque eadem digitis, jam pectine pulſat eburno.

Hoc autem organo tam admirabilem ſe præbuit; ut ejus ſonitu, ac cantu acutiſſimo, cùm Minyæ, Ancæo gubernatore, per ea loca navigabant, ubi Sirenes Acheloi fluminis & Terpſichores, ſive, ut mavult Nicander l. 3, Melpomenes filiæ degebant, cantum earum dulciſſimum retuderit; eaſque omnes ſuperârit: ut eſt apud Apollonium l. 4 Argon. Quippe, Ovidio teſte l. 3 de Arte amandi,

Monſtra maris Sirenes *erant, quæ voce canorâ*
quaslibet admiſſas detinuere rates.

Quin & hoc ipſo uxorem Eurydicen, quæ Ariſtæum ejus amore flagrantem per loca devia fugiens, ab ictu ſerpentis in herba latitantis interierat, ab inferis eâ conditione, ne priùs reſpiceret, quàm ad ſuperos ſuam Eurydicen reduxiſſet, obtinuit: imò ipſi Plutoni, ac Proſerpinæ mortuorum regibus lamentabili ſono lachrimas excitavit: ut inter alia teſtatur Manilius l. 5 Aſtronomικῶν:

Nunc ſurgente Lyrâ, *teſtudinis enatat undis*
forma per hæredem tantum præfata ſonantis,
chelarum ſurget cùm pars viceſima ſexta.
Qua quondam ſonitumque ferens Oeagrius Orpheus,

 & ſen-

& ſenſus ſcopulis, & ſilvis addidit aures,
& Diti lachrymas, & morti denique finem.

Vbi per illud, quòd *ſenſus ſcopulis, & ſilvis aures addiderit*, intelligenda Orphei innata pariter ac arte exculta eloquentia, & verborum mirabilis efficacitas: qua non ſaxa, ſed ſaxea, imò adamantina corda; non ſtipites, procellas, ac turbines, ſed ſtupida, procelloſa, ac turbulenta ingenia; non feras, ſed efferos homines moverit, ac in ordinem redegerit. Quod itidem de Arionis ejuſdem efficaciæ cantu dicendum. Et innuit idipſum Horatius in Arte poëtica:

Silveſtres homines ſacer, interpreſque Deorum
cædibus, & victu fœdo deterruit Orpheus,
dictus ab hoc lenire tigres, rapidoſque leones.
Dictus & Amphion, *Thebanæ conditor urbis,*
ſaxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
ducere quò vellet. Fuit hæc ſapientia quondam,
publica privatis ſecernere, ſacra prophanis;
concubitu prohibere vago; dare jura maritis;
oppida moliri; leges incidere ligno.

Denique quod ad ejus exceſſum, variæ circumferuntur opiniones. Agatharchides prodidit l. 2 Aſiatic. Orpheum, mortuâ Eurydice, ad Aorthum perrexiſſe in Theſprotidem antiquiſſimo evocandorum mortuorum oraculo celebrem, atque ibi, cùm Eurydices præſentiâ, quam falſò crediderat, ſe deceptum comperiſſet, mortem ſibi ipſi conſciviſſe. Hinc ſepultum ad Pieriam tradidit Apollodorus l. 1: ubi luſcinias circa ejus ſepulchrum cantum emittere cæteris omnibus ſuaviorem, teſtis eſt Pauſanias. Fulmine verò, quòd profanis, & rudibus initiorum arcana prodidiſſet, percuſſum concidiſſe prodidit Leonidas in Orphei epitaphio:

Θρήϊκα χρυσολύρην τῇδ' Ὀρφέα Μοῦσαι ἔθαψαν,
ὃν κτάνεν ὑψιμέδων Ζεὺς ψολόεντι βέλει.

Et caput ejus cum Lyra in Hebrum dejectum, vique fluminis in Leſbum delatum, atque ibi ſepultum fuiſſe nonnulli teſtantur. Alii ab inſanienti mulierum turba in Bacchi ſacris, quæ ipſe primus Thebis in monte

Bœo-

Bœotiæ, Lactantio de falsa Relig. teste, instituerat, juxta Hebrum fluvium dilaceratum; ac à Musis, membris collectis, in Dio Macedoniæ monte sepultum tradidere. Et mulieres ad hoc facinus enorme Bacchus ipse, furore immisso, incitâsse fertur; quòd Orpheus apud inferos reliquorum omnium Deorum laudes, Liberi patris oblitus, cecinerit. Alii memorant feminas Thracum indignatas, simulatis Bacchi sacrificiis, proprio instinctu Orpheum discerpsisse; quòd post mortem Eurydices, reliquarum mulierum conjugia sprevisset; imò viros quàm plurimos suavitate cantus secum rapuisset; ut Pausaniæ in Bœticis traditum: sive potiùs, quòd eos, quò sese à feminarum conjugiis pariter abstinerent, hortatus esset: ut constat ex Apollodoro Cyrenaico de Diis. At alter Apollodorus, nempe Gelous, inquit in Philadelphis, Calliopen, contendentibus de Adonide, Venere, & Proserpinâ, judicem à Iove electam, ambabus communem Adonidis usum adjudicâsse: inde Venerem indignatam mulieres in ejus filium Orpheum concitâsse. Alii tradunt Venerem eò omnium mulierum amorem in Orphea vertisse: ut ab illis raptim captus, dum inter sese de possidenda ejusmodi præda contendissent, laniatus sit. Et addunt, amnem Heliconem, qui *Baphyra* Diatis dictus, ex eo tempore sub terras sese occultâsse, ne mulieribus Orphei sanguine pollutis expiationis aquas suppeditaret. Quin imò ipsæ Musæ, quarum laudes pariter, ac Apollinis, cantu suo mirificè exornaverat, imprimis autem Calliope mater, & Mnemosyne avia, ejus mortem graviter ferentes, redhostimenti loco, Lyram inter sidera locâsse, ac singulæ singulis, nempe novem insignibus, stellis insignivisse dicuntur. Quibus postmodum & decimam, nempe Apollinis stellam addidere. Videatur de hoc Lucianus περὶ ἀστρολογίας.

Cæterùm in hodiernis globis astronomicis, loco *testudinis veterum*, quam Scaligerum satis dilucidè explicâsse supra diximus, semper pingitur *Vultur deferens* neque novam, neque veterem *testudinem*, sed aliud *Organon*

musicum, quod adhuc hodie vulgò, ſed malè, *Lyram* dicunt. Lyra enim, prout noſtris ferè in uſu eſt agyrtis mendicantibus, longè aliter figuratur. Et Bayerus in Vranometria ſua *Vulturi* Marti volucri, eique non tam *volanti*, quàm *cadenti*, vinculo circa collum nexo, *Lyram,* ſive, ut magis convenienter dicas, *decachordum* affixit, quemadmodum idipſum in marmoribus, gemmis, & numiſmatis vetuſtis Apollini adpictum conſpicimus.

Dicitur autem nobis, exemplo Arabum, *Vultur cadens*, ad differentiam *Aquilæ*, ſive *Vulturis volantis*; qui aliud nobis conſtituit ſignum : vel quòd roſtro in eclipticam converſo, à partibus aquilonis ad auſtrinas cadere videatur. Et *Vultur* eò pingitur loco *teſtudinis marinæ,* quæ olim totum hoc ſignum conſtituit; quòd illa vulturi non abſimilis, cùm pedibus utatur latiſſimis, alarum vulturis ſive aquilæ volantis, vel alas expandentis inſtar; ac roſtrum habeat planè vulturinum, ſive aquilinum : unde & *Aquila marina,* Belgicè **een Zee-arent,** dici conſuevit. Fateor quidem hanc *Vulturis Lyram deferentis*, ut vulgò nuncupant, picturam ſatis incongruè huic ſigno aptatam. Sed cùm adeò irrepſerit, ut jam ab omnibus recepta, mutationem ægrè admittat; imò ad ſimilitudinem veteris picturæ omninò ſit efficta : ſanè non video, cur tantopere explodi mereatur. Et dum Scaliger Artifices novæ hujus picturæ cum rigore caſtigandos cenſet: idem ferè videtur agere, ac Lacædemonii; qui Timotheum fidicinem, domo Mileſium, cum flagitio ex urbe ejecerunt; quòd in magade, organo muſico, quatuor chordas ad ſeptem illas priſcas, numerum Planetarum imitantes, adjeciſſet; vel, ut alii volunt, ab aliis adjectas Spartam intuliſſet : ut eſt apud Boëthium in primo de Muſica, Athenæum l. 14, & Ciceronem l. 11 de Legg.

Diximus modò *Heptachordum* illud, quod ad imitationem Nablii nullo planè magadio ſive fulcro ſubſtratum, vinculo Vulturis collo in aſteriſmis hodiernis alligatur, ineptè, ac incongruè *Lyram* vocari : cùm tam ab hodierna, quàm veteri lyræ forma immenſum quantum diſcre-

discrepet. Quippe veteri tum lyræ, tum citharæ, sive etiam testudinem, sive chelyn dixeris, magis assimilari potest, licet pluribus constet nervis, novum illud instrumentum musicum Germanis, Italis, Gallis, Anglis, imò & Hispanis usitatissimum, ac verè regium; quod Franc. Sanctius Latinè, sed vocabulo peregrino, *Lutam*, Germani eine laute, Belgæ een luite, Hispani *laud*, Angli *lute*, Galli *un lut*, & Itali *lutto* sive *liento* vocant. Quo Italico *liento* Alciatus deceptus, in Emblematis suis *citharam halieuticam* cognominavit:

> *Hanc* citharam, *à lembi quæ formâ* halieutica *fertur*,
> *vendicat & propriam Musa Latina sibi.*

Quippe Germanicæ linguæ nescius, putavit *liento*, quod ex Germanico laute corruptum est, ob similitudinem vocum apparentem, Italis quasi ἁλιευτὸν, resectis primâ, & ultimâ literis, dictum; quòd *scapham piscatoriam* ipsi referre sit visum. Sed merè Germanicum est & vocabulum, & ipsius instrumenti primum inventum; cùm in omnibus linguis idipsum à Germanico laut, quod *sonorum, argutum, clarum* significat, denominationem acceperit.

Atque hîc videmus, quam enormiter sæpissime errent, præter alios, etiam nostri Germani, quibus cum vulgo doctorum statim ad Græcæ, vel Latinæ linguæ fontem recurritur, cùm radix vocis cujusdam vel Germanicæ, vel etiam Gallicæ, Italicæ, & ejusmodi aliæ, quæ originem ex ipsa ducit Germanica, sit perscrutanda. Satiùs esset, ac tutiùs eam quærere ex Ebraicâ, vel potiùs Adamiticâ: quæ prima omnium linguarum mater; uti secunda plurimarum Germanica. Quippe ut & ipsi Germani plurimorum circumjacentium populorum, imò ipsorum etiam ex parte Græcorum parentes videntur: sic multò magis Germanorum lingua parens videbitur linguarum, quas loquuntur iidem populi: ut nobis in Opusculo illo philologico, quod Rosenmahnd, hoc est, Majum appellavimus, præsertim diei septimi colloquio uberiùs est demonstratum.

Quid multis? Etiam ipsum Κιθάρα, sive Latinum *Ci-*

thara, cùm neque ex Græco, neque Latino idiomate ullo radicalis vocabuli significatio peti possit, videtur fluxisse ex Germanico Zitter, quasi dicas, *instrumentum tremulum*, sive quod *tremulis* pulsatur *digitis*: quod primus omnium, posito plectro, fecisse legitur Epigonus. Vnde Statius l. 10:

— *&* digitos *inter sua fila* trementes.

Atque ut *Psalterium* dicitur à ψάλλω, quod est *tango, moveo, mulceo*; quia digitis tangitur, movetur, & quasi mulcetur; sive suavisono concentu tangit, movet, & mulcet corda: sic *cithara* à zittern dicta, quòd pulsa tremat, atque unà audientes sonum ejus tremulum tremulos reddat, hoc est, commoveat. Scio quidem Eustathium ex antiquis tradidisse, Κιθάραν nuncupatam quasi κινοῦσαν, hoc est, *moventem, conciliantem*, sive κεύθουσαν, *occultantem*, scilicet ἔρωτας, *amores*. Et hinc quoque Venerem Κυθέρειαν, *Cythereeam* dictam esse, contra Hesiodum affirmare conatur Proclus: non autem ab insula Κύθηρα, ubi templum in abdito habuit: quia scilicet hujus vocabuli syllaba media per η vocalem longam, illius verò per ε, quod breve, scribitur. Verba ejus sunt: Κυθέρειάδε ἡ κεκλοιμένην ἔχουσα ἐν ἑαυτῇ πάσης τῆς ἐρωτικῆς φιλίας· *Cytherea intra se absconditam habens omnis caritatis ac gratiæ in amorem propensæ, sive consuetudinis amatoriæ vim.* Sed utrumque nimis longè petitum. Et aptiùs derivâssent à verbo κύω *prægnans sum, pario, suavior*; unde κύθος, *sperma*, apud Etymol. item ἄκυθος, *sterilis*, apud Callimachum: & ἔρως *amor*. Vt *Cytherea* dicta sit quasi *gravida amore*, vel *pariens amorem*, vel *osculans* sive *complectens amorem*. Verùm quid opus est his ambagibus? Potiùs censeamus Venerem dictam esse *Cythereeam*, æquè ac *citharam*, à Germanico zittern, hoc est, *tremere, contremiscere, frequenti commotione concuti*; quod *homines in amore reddat tremulos*. Idipsum testatur Sappho amore percita, apud Dionysium Longinum de sublimi genere dicendi; ubi sic lamentatur:

Κὰδ δέ μ' ἴδρως ψυχρὸς χέεται· τρόμος δὲ
πᾶσαν αἱρεῖ· &c.

Quod

Quod nos in Opuſculo noſtro, die Frühlings luſt dicto, Germanicè ita reddimus:

> Das ohr erklinget; beide ſichter weichen:
> der ſchweis durchdringet mein gebein ingleichen:
> ſchauern und zittern fallen hin und wieder
> über die glieder.

Hinc Heſiodus in Theogonia ex congreſſu Veneris, & Martis *timorem* ſive *tremorem*, & *pallorem* natos eſſe ſcribit. Quin &, quia ridens nata fingitur, eodem auctore, ſic dictam fortè putes à kittern, quod eſt ex zittern, & *multo riſu quaſi tremere, cachinno concuti*, ſive, ut Lucretius loquitur, *tremulum riſum edere*, vel *furtim cachinnare*, ac *contremiſcere* ſignificat. Ejuſmodi enim cachinnatio furtiva nunquam fit, niſi cum tremore, & concuſſione quadam corporis. Vnde eandem quoque Homerus æquivalenti vocabulo φιλομειδὴν, hoc eſt, *riſus amantem* dixit: Et quòd omnis riſus, ac lætitiæ, quibus amor conciliatur, ac delectatur, amicam crediderint, innuit Horatius:

> *Sive tu mavis Erycina ridens,*
> *quam jocus circumvolat, & cupido.*

Atque ſic *Cythereami* dictam vides ab utroque Germanico vocabulo zittern, & kittern: æquè ac eadem, *Venus* nuncupata videtur, non à *veniendo*, quòd ad omnia veniat, ut Cicero autumat in ſecundo de natura Deorum: ſed à Germanico fein, ſive, ut olim quidam ſcripſere, vein, vel veen, hoc eſt, *venuſtus, pulcher, clarus, pellucidus*; quòd pulchritudine amor ante omnia concilietur. Vnde & Lutherus Pſalmum vertens 133, fein & lieblich conjungit: Siehe wie fein und lieblich iſt es / daß brüder einträchtig bei einander wohnen. Vbi fein, hoc eſt, *pulcher* rectè præponitur; quia pulchritudo ſive venuſtas amorem præcedit, & quaſi mater eſt amoris. Quicquid enim *amabile* eſt, illud priùs *pulchrum* ſit oportet. Hoc exigit amoris natura. Vnde amor Dei, quo nos minimè pulchros, ſed valdè deformes, adeoque prorſus inamabiles proſequitur, non naturalis, ſed ſupranaturalis dicendus. Sed vide ſis quid de hoc diximus in notis

ad Epithalamium Clarissimo illo Machinatori bellico Matthiæ Dogenio, Electoris Brandenburgici Consiliario, à nobis ante annos aliquot scriptum, ac nostris Odis, die Dichterische Liebes-flammen dictis, insertum.

Cæterùm *parva illa Chelys*, vel *cithara novissimè inventa*, quam Kittarre vulgò vocant, ab eodem vocabulo Zittern, vel potiùs Kittern videtur dicta: quòd ea, cum sit cithara Germanica reformata, vel in minorem formam redacta, & quasi contracta, à priori tantundem ferè differat, ac *cachinnus impeditus* ac *compressus* à *risu arguto* ac *canoro*; adeoque sonum illâ obtusiorem, & ad raucedinem accedentem edere videatur.

Quòd si à Gentilibus antiquis Citharæ, aut Lyræ, aut testudinis signum in honorem Apollinis, vel Mercurii, vel Amphionis, vel Arionis, vel Orphei, inter astra sit locatum: quid impedit, quo minùs sub eo signo intelligamus nostram *Citharam* sive *Chelyn Germanicam*; quæ dulcisono suo, ac suavitatis summè admirabilis concentu non solùm omnia vetera organa musicalia, sed etiam hodierna, si dulcedinem soni amoriferam spectes, longè superat. Atque idipsum quondam tentavimus carmine in honorem Generosæ ac Nobilissimæ Virginis *Catharinæ Victoriæ* von dem Werder, Magni *Diderici* filiæ unicæ; cùm eam non solùm compellandi, sed & chely, quam dixi, Germanicâ sacras optimi Parentis cantilenas mirabili suavitate canentem audiendi facultas concederetur. Carmen illud, sive potiùs Odam Trochaïcam in perpetuam Generosæ Virginis memoriam hîc apponere non gravabor.

Ist es Assaf/ der so singt? seind es Davids Harfen-lieder?
Ach! was für ein Engel-mensch spielt/ und singt so engel-süß/
daß es dringt durch alle glieder/
daß mich dünkt/ ich tuhe schon einen blik ins Paradies?

Es ist Werders währtes Kind/ das des Vaters frommen liedern
eine solche liebligkeit/ nach der kunst/ zu geben weis/
daß sich regt in meinen gliedern/
zu der wahren Gottes-furcht ein gewündschter andachts fleis.

Erden götter konten zwar Orfeus/ und Amfion beugen/
durch ihr sing- und seiten spiel: aber dieser süße tohn
kan den himmel selbst ersteigen;
ja er dringt mit starker kraft für des höchsten Gottes trohn.

Die von Lesbo gab den glantz ihrem angebohrnen Adel /
wan sie schrieb/ und spielt'/ und sang/ was sie eitle liebe hies:
dannoch nicht gantz ohne tadel;
weil sie ihren buhlern nur schnöde sucht ins hertze blies.
Aber unsre **Werderin** ist von weitweit edlern sinnen:
weil sie singt/ und spielet nur/ was der ehrbarn welt gefellt /
was den Himmel kan gewinnen /
was ihr Gottes reiche gnad' immerdar vor augen stellt.
So hat sie das beste teil/ das den Adel ziert/ erkohren.
Folgt/ ihr andern: sucht auch so eures Adels wahren glantz /
die ihr edel seid gebohren.
Dan führt euer Adel erst/ gleich wie Sie den Adels-krantz.
Ich gesteh/ wan sie gelebt/ da aus menschen Götter worden /
daß Sie/ wegen ihrer zucht/ längst des Adels Göttin sei.
Dan wer so des Adels Orden
hat erhöhet/ und geziert/ der ist vor dem tode frei.
Ihre Laute/ die Sie rührt/ macht verzükt den gantzen himmel /
dem sie bloß zu liebe klingt. Ja mich dünkt/ ich seh sie schon /
dort im lichten stern-gewimmel /
mit zehn flammen flinkernd stehn/ dir/ o Leier/ nur zum hohn.
Orfeus Nahme stund mit gold in die düstre luft geschrieben.
Aber unsre **Werderin** hat ihn seiner zierd' entsetzt /
und aus seinem sitz vertrieben.
So wird kunst/ durch himmels-gunst/ mit der höchsten ehr' ergetzt.

Verumenimverò si instrumentum aliquod ex Sacris huic Lyræ Mercurii, vel Orphei substituere malis; substitue *Nablium*, sive *Decachordum* Poëtæ ac Fidicinis regii *Davidis*, 1 Sam. c. 16, v. 23.

XX. CYGNUS, sive *Olor*, der Schwahn/ ölbsch; item *Crux*, das Kreutz;

Ales Canora Horatio; *Helenæ genitor, Ales Iovis, Olor Ledæus, Ledæ adulter, Ales Ledæus*; *Laystrius*; *Phœbi assessor* Luciano, *Volucris Phœbeius*; *Avis Veneris*: aliis *Ciconia*: Ovidio *Milvus*: rursus aliis *Gallina*; item *Vultur cadens*; *Myrtilus*: Græcis Κύκνος, ὄρνις, *Avis*: Arabicè *Altayr*; *Hirezym*; *Arided*, quod Grotio *redolens ut lilium*, Scaligero *flos rosæ similis*; Bayero *Adigege*, quasi dicas, *rosa redolens lilium*;

Degige, Adegige, Aldigaga, Digegi, Adigegi, Adigege, Schickardo *Addigagato*, quod eſt *Gallina.* Nocte mediâ in meridiano hæret menſe Iulio: & in globo noſtro 22 conſtat ſtellis; quarum in cauda lucens, dicitur *Vropigium, Arrioph, Aridef, Arided*; *Denebedegige, Denebaldigaga, Denebadigege*, Schickardo *Dhanbod-digageti*, hoc eſt, *cauda gallinæ.*

Poſtellus numerat 17 *intra, &* 2 *extra ſignum: Bayerus autem* 36; *quarum una in, vel juxta caudam*, Arided, *q. d.* Os roſæ, *Germanicè* Roſemund, *propter fulgorem dicta, ſecundæ magnitudinis*; 5 *tertiæ*; 16 *quartæ*; 5 *quintæ*; *&* 9 *ſextæ, omnes ſub* ♀ *&* ☿ *imperio conſtitutæ. Cæterùm* nova illa ſtella lucida tertii fulgoris in pectore Cygni *anno* 1600 *primùm apparuit, ac etiamnum immota manet.*

Apollinis citharam, ſive lyram Orphei, ſequitur *Avis Apollinea*, ſive *Phœbeia*; quæ Sacerdotibus Ægyptiis Muſici ſenioris eſt hieroglyphicum: quia

dulcia defectâ modulatur carmina linguâ
cantator Cygnus *funeris ipſe ſui*;

ut Martialis Epigr. l. 13 deſcribit. Quippe Cygno morituro pennam per cerebrum excreſcere dicunt: unde dolore affectus dulciſſimè canat. Quod ex Ovidio fortè hauſerunt, qui in 2 Faſtor. ſic ait:

Flebilibus numeris veluti canentia durâ
trajectus pennâ tempora cantat olor.

Sed Abrahamus Cæſius, avus meus, in Diſquiſitionibus ſuis Lipſiæ anno 1564 editis, hunc locum paullò aliter explicat: *Suſpicari etiam*, inquit, *aliquis poſſit, quòd olor ſagittâ pennatâ transfixus*, θρηνῳδίαν *edat: ut penna ſynecdochicè ſit pro pennata ſagitta.* Et *Cygneum* hoc *melos* Æliano de Natura animal. κύκνειον ᾆσμα dictum, ſymbolicè intelligitur de quocunque, quod in ſenis cujuſdam vel eloquentia, vel doctrina deprehenditur, ſedato & elaborato cum ſuavitate quadam conjuncto. Cygnus enim quò magis in ſenium vergit, eò ſuavius, ſi credere

fas

fas eſt, modulari, hoc eſt, ut nos interpretamur, depoſitâ juvenili ferociâ ſedatior, ac moderatior fieri fertur; quòd brevi ſe moriturum præſentiat. Hinc Petrus Santerus Siculus:

Tempora fatalis quoniam ſic limitis itis,
triſtia concentu funera ſolor olor.

Et Socrati apud Platonem videtur hæc cantio non triſtitiæ, ac doloris; ſed lætitiæ eſſe argumentum: quia Deo ſuo gratias quaſi agant, quòd ad eum, cujus miniſtri creduntur, jamjam ſint migraturi. Vbi ſuſpicor Socratem per *Deum ſuum* intelligere Phœbum: quia Luciano in Cygno, Phœbi aſſeſſores vocantur; & ab eo artem divinantem, cùm alterius vitæ bona quaſi præſagiant, edocti videntur. Huic aſtipulatur & Tullius in primo Tuſcul. Cùm *Cygnos* ait, *non ſine cauſa Apollini dicatos; ſed quòd ab eo divinationem habere videantur: quia prævidentes quid in morte boni ſit, cum cantu, & voluptate moriantur.* Vbi prudenter addit: *ſic omnibus & bonis, & doctis eſt faciendum.*

Sed Cygnus non ſolùm videtur Muſici ſenioris hieroglyphicum, verùm etiam ſymbolum eximii diffamatoris, &, ex ipſa Poëtarum mente, injurii in municipes, ac concives ſuos; quòd morſibus alter alterum mirâ petat crudelitate. Vnde crediderim Pindaro *inhoſpitalem* dictum. Adde, quòd Meliſto Euboico convitiis adeò ſcatens prædicetur, ut cæteræ aves, quæ præſtò ſint, eo clangente, conticeſcere cogantur. Atque eâ cauſâ Poëtaſtello cuidam ſpurcidico, ac diffamatori omnium rigidiſſimo & convitiis mendaciiſque merè ac verè infernalibus optimos quoſque laceſſenti aliquando non incongruenter tribuebatur *Oloris* inſigne. Quod nos tunc temporis hâc ipſâ excepimus, ac illuſtravimus faculâ:

Mir ſchwahnt von deinem Schwahn kein weiſſer ſchwanen-ſang.
Doch reimt er/ Reimſchmid/ ſich mit dir euch gegen dank.
Die haut iſt ſohl; kohlſchwartz der ſchnabel/ ſamt den tatzen:
weil jener pikt/ und zwikt; und dieſe heil loß kratzen/
auch ſelbſt ſein gleiches volk. Nichts milcht/ als ſein gefieder:
davor fällt in der brunſt erblindt die Schwänin nieder.

So bistu weis-schwartz auch : schwartz/ wan du dornen reimst ;
weis/ wan du Leben suchst/ und lauter rosen treumst.

Quin & Cygnus amoris eſt ſymbolum ; atque ab ea cauſa ſacer Veneri : quam roſeâ inſignitam coronâ curru vehi, qui cygnis traheretur, finxerunt. Hinc Ovidius l. 10 Metamorph.

Vecta levi curru medias Cytherea *per auras*
Cypron olorinis *nondum pervenerat* alis.

Mutatum verò in hanc avem Orphei muſici corpus à Bacchis, ſive mulieribus bacchantibus fœdè diſcerptum, exiſtimavit Plato l. 10 de LL. Quod cùm fortè legiſſet Horatius, de ſeipſo adhuc vivente idem ſenſit ad Mecœnatem:

Iamjam reſidunt cruribus aſperæ
pelles, & album *mutor in* Alitem
ſupernè. Naſcunturque leves
per digitos, humeroſque plumæ.

Platonem in hoc ſecutus Æneas Philoſophus, defunctum Orphea cygni ſpecie, ut luſciniæ Homerum, evocandum docet. Defunctorum enim animas idem, ex mente Chaldæorum, & Ægyptiorum, evocari poſſe opinatus eſt. Atque hinc Cygnum cœleſtem in Orphei memoriam non procul ab ejus lyra ſuſpenſum, non abſque cauſa ſuſpiceris.

Sed Manilius l. 1 Aſtronom. hoc eſt, in Sphæra mundi, aliique tam Græci, quàm Latini Cygnum, ob Ledæ Ætolicæ concubitum cum Iove in cygnum mutato, cœlo receptum dicunt. Manilii verba ſunt hæc:

Proxima ſors Cygni, quem cœlo Iuppiter ipſe
impoſuit, formæ pretium, qua cepit amantem,
cum Deus in niveum deſcendit verſus Olorem,
tergaque fidenti ſubjecit plumea Ledæ.
Nunc quoque diductas volitat ſtellatus in alas.

Atque hinc Cygnus ille cœleſtis antiquitus pingebatur non totus volucris ; ſed ita, ut cognoſceretur Iupiter in eo conditus. Hanc verò de Leda fabulam cùm ad Signum Geminorum perquàm leviter perſtrinxerimus, quos tamen unâ operâ adire non graveris, hîc aliquanto fuſiùs

fuſiùs exponere eſt animus. Euripides ait in Helena, Iovem ſpecie cygni aſſumtâ, cùm inſimul & aquilam ſe inſequi ipſe feciſſet, eóque timorem ſimulantem confugiſſe ad Ledam, quaſi quæreret ejus protectionem: atque ſic illam callidè deceptam compreſſiſſe. Vnde ea duo peperiſſe dicitur ova: ex quibus incubatione excluſi Pollux & Helena, item Caſtor & Clytemneſtra prorepſerint. Prorepſit autem unà cum Helena omnis cauſa belli Trojani: ubi multi heroës cæſi, Troja exciſa, & omnis regio ferè everſa eſt: ut ad Signum Picæ Indicæ, ſive Anſeris videbimus. Et hæc eſt vulgatior ac receptior opinio, quam fovent Hyginus, Lactantius, Firmianus, Ovidius, Germanici & Arati interpretes, aliique.

Nonnulli tamen idipſum longè aliter enarrant: nempe quòd Iupiter in cygnum transformatus, jucunditate cantus Nemeſin virginem, poſtea Deam vindictæ cognomine Adraſteam, quam Pauſanias in Achaicis Noctis & Oceani, Euripides verò Iovis filiam dixit, in ſui amorem illexerit, ac ſtupraverit. Quæ cùm ovum ex hoc concubitu peperiſſet, illud opilioni obvio dederit, ut Ledæ ſervandum deferret. Atque ex hoc in arca depoſito, nata ſit Helena: quam Leda tanquam ex ſe genitam educaverit. Educavit autem eam, uti & tres reliquos modò dictos infantes, ſive eos tantummodo, qui ex Iove furtim ſuſcepti dicuntur, nempe Helenam & Pollucem, quibus & additur Hymno in Διοσκύρυς Caſtor, clam marito rege, loco quodam, ut ſuſpicor, abſcondito ſub tecto, in ſuperiori ædium parte; quam Lacedæmonii vocabant ῷον; quod ex ὠὸν, hoc eſt, *ovum* formârunt: ut teſtatur Euſtathius Odyſſ. α, p. 1420, & Odyſſ. λ, p. 1686, edit. Rom. Ac ῷον eam ædium partem eò vocârunt, ut auguror, quòd forma ejus concava cum ovo conveniret. Vnde & Plutarcho de audit. poëm. & Galeno ad Glaucum, *palatum* dicitur ὑπερῷα; quòd ſummum in ore locum, qui ovi figuram repræſentat, occupet. Præter hæc valde veriſimile eſt Ledam ipſam poſt illum cum adultero quodam concubitum, locum

illum

illum ſecretum ad hunc uſum in ſuperiori parte ædium ovi figurâ confeciſſe: unde fabula exorta, Ledam peperiſſe ovum, ex quo Helena cum Polluce in conſpectum prorepſerint. Iccircò perperam auguratur Natalis Comes, cùm ſcribit, Ledam eò ovum peperiſſe dictam, quòd prægnans ventrem ad ovi formam rotundum habuerit: quaſi id non commune ſit omnibus uterum ferentibus. Quòd verò Iovem in cygnum converſum Ledam compreſſiſſe fingunt; hoc inde proceſſum ſuſpicor, quòd adulter quidam Regius Ledam non in regio cubiculo, & mollibus ſtratis, ac regio apparatu; ſed in loco occulto, & humido, humi cygnorum more ſtratam, apud Eurotam Lacedæmoniorum fluvium compreſſerit.

Præterea quoque in Cygnos mutatos legimus ſocios ac comites Diomedis Tydei ac Deiphiles filii, ob Ægialiæ uxoris perfidiam in Italiam, ad regem Daunum Pilumni ex Danaë filium, profugi; ut proditum Sileno in hiſtoriis fabuloſis: Cygnum Stheneli filium, Ligurum in Gallia Trans-padana regem, ac Muſicum excellentem: quem Apollo jam mortuum in avem ſui nominis transformâſſe fertur; ut habet Pauſanias in Atticis, & Plato in Timæo. Alii tamen, ut eſt apud Virgil. l. 10, dicunt, hunc Ligurum ducem fuiſſe, ac Phaëthontem Solis ex Clymene nympha, teſte Ovidio, & Tzetze hiſt. 137, Chil. 4, vel, ut Pauſanias in Atticis, & Heſiodus in Theogon. maluere, Cephali, & Auroræ filium adeò amâſſe, ut poſt ejus caſum infortunatum aſſiduè fleverit, ac ejulaverit. Hinc Deorum miſericordià in avem ſui nominis ſit mutatus, ac poſt mortem Apollini Muſicorum Deò conſecratus, aſſeſſorque conſtitutus. Videatur de hoc Ovidius Met. l. 2. Comites autem Diomedis eò cygnos factos, ac *aves Diomedeas* dictos finxere; quòd occiſum à dicto Dauniæ in Apulia rege Diomedem in Inſula Diomedea è regione Gargani juxta Sinum Ionicum, & Adriaticum ſita, teſtibus Callimacho, & Agatharchide in reb. Europicis, more cygnorum ſtridulè conquerentes, magnoperè, ac nullâ queſtus intercapedine luxerint. Sed

Sed & Cygnus alius, qui Martis & Cleobulinæ filius, ut traditum Posidonio in libro de diis, & heroibus, & ab Hercule in Thessalia occisus fuit, quòd advenas interimeret è cæsorum capitibus templum patri conditurus, in avem ejusdem nominis mutatus dicitur: uti & Cygnus ille Neptuno, sive, ut aliis placet, Apolline prognatus, quem Achilles Pelei ex Thetide Chirone natâ filius ad Trojam militans occîdit; quòd opem Trojanis ferens, angustias maris Trojani longis navibus obstruxisset, ut ab aditu Græcos excluderet. Vnde nata est fabula, Iovem ipsum in cygnum conversum, filiæ Helenæ obsessâ Trojâ laboranti suppetias tulisse, cygnisque numero ingenti congregatis aditum illum occlusisse. De hoc autem Cygno sic scripsit Isacius: *Achilles, cùm ad Trojam militaret, Cygnum interemit, ac Tenen, nomine quidem filium Cygni, at reipsâ Apollinis.* καὶ Τένιν τῷ λόγῳ υἱὸν Κύκνου, ἔργῳ δὲ Ἀπόλλωνος. Ergo Tenes fuerit filius Apollinis; non Cygnus. Et hic Tenis pater creditus, procul dubio, Cygni nomen demum post mortem à Poëtis accepit: qui eum in cygnum mutatum ad consolationem suorum, ut suspicor, finxerunt: uti eâdem causâ ab iisdem alios sæpissime in numerum deorum intrusos videmus. Nam sic hominum benevolentiam aucupari solebant veteres tum Poëtæ, tum alii. De *Cygno*, sive *Swenone*, ut juxta vernaculum vocatur, Herculis Germanici sive Alemanni filio, quem in hoc quoque Signum quidam conversum ajunt, dictum fuit superius ad signum Geminorum, quos adi. Atque sic Cynus vel ob hujus, vel alius cujusdam Cygni nomine perpetrata facinora in cœlum recipi meruit: ubi, ut ait Poëta Aratæa vertens,

hæc ales volucris similis tranquilla volanti
dextra petit Cephei.

Sed existimemus potiùs *Cygni* imaginem eò in cœlum locatam, ut Israëlitæ, quotiescunque eam inter sidera pendentem contemplentur, toties quoque edicti divini, quo cygnorum esu iis fuerat interdictum, ut ex Levit. c. 11, v. 15 constat, recordarentur.

XXI. DEL-



XXI. DELPHINUS; das Meer-schwein;

Delphin, Crinito, & Paccuvio *Animal repandirostrum*, item *incurvicervicum*, aliis *Piscium rex*; Plinio *Hermippus*; Nautis *Simon*; *Persuasor Amphitrites*; *Vector Arionis*; Ciceroni ob gibbum in dorso *Curvus*, quidam legunt, *Currus*: aliis *Neptunus*; & *Triton*; item *Apollo*: Græcis Δελφὶς, sive Δελφὶν; ἱερὸς ἰχθὺς; quibusdam Μουσικὸν ζώδιον, *Musicum signum*: noviter Arabico quasi nomine *Aldelphin*. Meridianum transit mediâ nocte sub finem Iulii: ac in globo nostro decem constat stellis.

Aratus numerat 4 tantùm, quæ rhombum constituant; & Ovidius novem: Postellus verò, & Bayerus itidem ac globus noster 10; *quarum 5 tertiæ magnitudinis in capite, collo, & caudâ; una quintæ juxta collum; & 4 sextæ in reliquo corpore, omnes* ♄, *&* ♂ *dicatæ. Atque hæ stellæ olim Romæ oriebantur heliacè 5 iduum Ianuarii: ut testis est Ovidius in primo Fastorum*:

Interea *Delphin* clarum super æquora sidus
tollitur, & patriis exerit ora vadis.

Occidebant autem ibidem 3 non. Februarii, eodem teste Fastor. l. 2:

Quem modò cœlatum stellis *Delphina* videbas,
is fugiet visus nocte sequente tuos.

Delphinus est Symbolum φιλανθρωπίας: quia innato quodam amore prosequitur non solùm homines, imprimis qui teneræ sunt ætatis; ut Plutarcho de industria animalium, Gellio l. 7, c. 8, & Alciato in Emblematis, videtur, ac Plinius uterque non uno demonstrat documento: verùm etiam omnes humani generis amicos. Atque hinc infensissimus dicitur hostis Crocodili, ob insidias, quas ille hominibus struit, continuas. Sed exempla, si placet, audiamus. Phalantum Lacedæmonium, qui Tarentum coloniam duxit, priusquam Italiam attin-

attingeret, in Crisæo mari naufragium passum, Delphinum dorso excepisse, ac in littus incolumem exposuisse testatur Pausanias. Telemachum Vlyssis filium, cùm adhuc puer in alto maris littore ludens, in aquas decidisset, delphini beneficio servatum tradidit ex Critheo Stesichorus. Vnde pater postea delphinorum insigni mirè adeo delectatus fertur, ut sculpturâ eorum in ense, scuto, ac annulo sigilli vice usus, imò eâ causâ Lycophroni Δελφινόσημος, & Philostrato *Subsimus* sit dictus. Arionem nobilem illum Citharœdum, ac Poëtam Lyricum patriâ Metymnæum, cui dithyramborum debetur inventum, à delphino itidem servatum esse testantur numismata; in quibus ille nudus delphino vectus, dextrâ victoriam prætendere, lævâ lyram sustinere videtur: item Delphinus ille cum insidente Arione, qui ex ære factus olim apud Tænarios diutissimè conspiciebatur. Denique, ut cætera taceam, Hesiodi Poëtæ in templo Iovis Nemeæi per errorem trucidati in mare abjectum cadaver delphinus excepit, ac inter Locridem, ac Eubœam exposuit. Sed poëticè, non historicè hæc, de Arione & Hesiodo imprimis, ut mox parebit, dicta videntur.

Quin & unà symbolum est grati animi. Atque idipsum imprimis patet ex hoc exemplo. In urbe Ioniæ Poroselene inclamatus quidam delphin à puero, teste Pausania, statim adproperare, & ad vecturam, si placeret, sese accommodare consuevit: nempe ut gratum se præberet erga puerum, cujus beneficio piscatorum manibus evaserat, atque ex vulnere ab iis accepto convaluerat.

De Delphino autem in cœlum relato variæ sunt opiniones. Quidam scribunt, quòd Neptunus amore Amphitrites, Nerei Oceano sive Peleo, & Tethye vel, juxta alios, Thetide prognati ex Doride sorore filiæ, captus, sed ab ea fugam parante aspernatus, plurimos emiserit illam quæsitum, atque inter hos Delphinum. Qui Amphitritem non tantùm inventam, sed etiam, ut ad sponsum suum futurum reverteretur, persuasam se-

cum adducens, nuptiarum curator sit factus. Atque hinc factum, quòd Delphinus in tot nummis, & statuis à Cupidine frænatus; ac ejus imago, ut Hyginus testatur, non procul à Capricorno, inter astra à Neptuno, in perpetuum gratæ mentis testimonium, collocata conspicitur: imò quòd Neptuno non tantùm sacratus, & ejus idolo plerumque insculptus, sed etiam ipse Neptunus sub Delphini imagine colebatur.

Alii verò Delphinum, sive potiùs ejus signum inter astra collocatum dicunt, quòd Bacchus à piratis Thyrrenis captus, eos in delphinos mutatos, ipse leo factus, in fugam verterit; ut traditum Demarato in certaminibus Dionysiacis: atque hinc quoque Delphinus, teste Plutarcho, Bacchi simulachro, ac aris solebat adpingi; & leo sacer erat ipsi Baccho. Vel quòd Arion Methymnâ Lesbi oppido oriundus, cujus mentionem quoque fecimus ad signum Lyræ, in mare dejectus à delphino fuerit servatus; ut vulgò fabulantur. Vnde, cùm obscuro esset genere, ut insignes artifices sæpe solent, adeóque parentes ejus veri nescirentur, dictus est filius Neptuni ex Oncæa nympha, sive Autoloë, sive, ut aliis placet, ex Terra omnium matre. Quippe sic dixerunt qui vel per mare venissent, vel in mare dejecti mortis periculum evasissent, vel nati essent ex principe quodam insulari, aut maritimo, hoc est, eo, qui præerat populo maris imperium habenti, aut alio aliquo, cujus mores erant Neptunii, vel etiam qui Neptunius sacerdos, vel in mari perierat, vel per mare venerat; ut annotat Servius in Æneid. vers. 691. Id ipsum quoque attingit Agellius l. 15 Noct. Atticarum c. 21: *Præstantissimos virtute, prudentiâ, viribus, Iovis filios Poëtæ appellârunt; ut Æacum, & Minoa, & Sarpedona: ferocissimos, & immanes, & alienos ab omni humanitate, tanquam è mari genitos, Neptuni filios dixerunt; Cyclopa, & Cercyona, & Scyrona, & Lestrygonas.* Vide sis, quid de hoc ipso dictum nobis ad Signum Geminorum.

Fabula autem, sive potiùs historia fabulosa de hoc illustri fidicine sic se habet: Arion Corintho in Italiam,

Sici-

Siciliamque profectus, cùm peragratis hisce regionibus, ac opibus maximis inibi, teste Herodoto, sive potiùs, ut Lucianus tradit, Corinthi ex Periandri munificentia regia jam pridem collectis, Tarento in patriam rediturus, Siculum mare transfretaret, ob eas opes in extremum vitæ discrimen incurrebat. Quippe socii illi navales, quibus, cùm Corinthii essent, præ omnibus aliis se, suamque supellectilem tutiùs committere posse crediderat, pecuniis, quas secum ferebat, allecti, insidias homini meditari, eumque vitâ privare occipiebant. Vbi Arion hos sibi dolos strui persentiscens, pecunias iis suâ sponte profudit, periculum facturus, an eâ ratione animos illos truculentos placare posset. Sed veriti, ne scelus hoc aliquando Arion superstes ulcisceretur, jusserunt, ut vel seipsum occideret, vel in mare quàm citissimè sese præcipitaret. Sumtâ igitur, permissu nautarum, citharâ, ut cygnorum more sibi ipsi funebre carmen caneret, inter canendum veste pretiosissimâ indutus de prora in mare desiliit: ubi à delphino quodam cantu ejus allecto, sive, ut vera, apud Antimenidem in primo, habet historia, à nautis Tænariis nave, cujus ἐπίσημον delphin, exceptus, & Tænarium in promontorium incolumis portatus est. Meminere Herodotus in Clio, Diodorus, Plutarchus in Convivio, Agellius l. 16, c. 19, Plinius l. 9, c. 8, & Pontanus ad Eclog. 8, fol. 176. Et in hujus rei memoriam erecta fuit statua cum epigrammate Græco; quod Volaterranus sic Latinè reddidit:

Cernis amatorem, qui vexit Ariona, Delphin,
à Siculo subiens pondera onusta mari.

Sed totum negotium satis luculenter expressit Ovidius l. 2 Fastorum:

Nomen Arionium Siculas impleverat urbes;
captaque erat lyricis Ausonis ora sonis.
Inde domum repetens, puppim conscendit Arion:
atque ita quæsitas arte ferebat opes.
Forsitan, infelix, ventosque, undasque timebas?
At tibi nave tuâ tutius æquor erat.

Namque gubernator districto constitit ense,
cæteraque armatâ conscia turba manu.
Ille metu pavidus, mortem non deprecor, inquit:
sed liceat sumtâ pauca referre lyrâ.
Dant veniam, ridentque moram. Capit ille coronam,
quæ possit crines, Phœbe, decere tuos.
Induit & Tyrio distinctam murice pallam.
Reddidit icta suos pollice chorda sonos,
flebilibus numeris, veluti canentia durâ
trajectus pennâ tempora cantat olor.
Protinus in medias ornatus desilit undas:
spargitur impulsâ cœrula puppis aquâ.
Inde (fide majus) tergo Delphina recurvo
se, memorant, oneri suppoſuiſſe novo.
Ille sedet, citharamque tenet, preciumque vehendi
cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas.
Dî pia facta vident. Astris Delphina recepit
Iupiter, & stellas jussit habere novem.

Cæterùm nunquam crediderim, Delphinos ſuppoſito dorſo homines portâſſe, atque ex interitu liberâſſe: quamquam idipſum multi, quorum aliquos ſupra adduximus, auctores affirmare, ac figmenta illa veris hiſtoriis reponere haud dubitent. Locum autem fabulis iſtis dediſſe ſuſpicor naves quaſdam Delphini figurâ, ac nomine inſignitas: quibus, ut modo innuimus, excepti, ac vecti, imò ſæpe ex mortis periculo liberati, poſtea à delphinis id beneficii accepiſſe dicebantur. Et naves delphini picturâ eò inſignitas cenſeo, quòd *delphini* eas obviam factas, choreas quaſi quodam gratulationis affectu circumducentes, non ſolum comitentur; ſed etiam *tranquillo mari laſcivientes*, ut Plinius loquitur, *flatum ex qua veniunt parte præſagiant.* Inſtante enim tempeſtate magno numero emergere, & ad naves accurrere, inque maris ſuperficie frequentiùs ſe vibrantes, invicem colludere ſolent; quaſi nautas admonitos velint, ut in ſtationes ſuas ſe properè recipiant, nec mari navigia credant. Sed non naves ſolùm ab inſigni dicebantur Delphini, verùm etiam ipſi interdum nautæ, & alii,

qui

qui ejuſmodi navibus vehebantur. Hinc Tyrrhenis illis, qui piraticam exercentes, univerſo pœnè orbi terrori erant, Delphinorum cognomentum in fabulis Græcanicis eſt datum. Quin & eâdem cauſâ eoſdem, ut ſupra vidimus, alioſque in Delphinos mutatos finxerunt. Imò ipſe Apollo in Delphinum converſus ad Delphos dicitur adnatâſſe; quia ejuſmodi nave, ut ſuſpicor, vectus, eò appulit. Atque hinc eſt, quòd *Delphinius* ſit dictus; & Delphinus Apollini æquè, ac Neptuno, ſit ſacer, ejuſque aris, teſte Plutarcho, fuerit inſculptus; imò Delphinus cœleſtis ipſo Apollinis æquè, ac Neptuni, & Tritonis, nomine notetur. De Neptuno vidimus ſupra: nunc quoque de Tritone paucis agamus.

Triton, quem Ovidius in primo Metam. ut Deum marinum, ac Neptuni, & Oceani buccinatorem deſcribit, Heſiodo fuit filius Neptuni ex Amphitrite, ſive, ut mavult Aceſander, è Celæno; aut Oceani, & Tethyos Cœli & Veſtæ filiæ, juxta Numenium de piſcatoribus; aut ſi Lycophronem audimus, Nerei. Ac formam habuiſſe dicitur parte corporis ſupremâ hominis, inferiore delphini, cum pedibus duobus equinis, ac caudâ duplici lunatâ: ut traditum Apollonio l. 4 Argonautic. Virgilius verò eandem paullò aliter depingit, cùm Æneid. l. 10 ſic ſcribit:

Hunc vehit immanis Triton, & cærula conchâ
exterrens freta, cui laterum tenus hiſpida nanti
frons hominem præfert, in priſtim deſinit alvus.
Spumea ſemifero ſub pectore murmurat unda.

Alii affingunt illi capillos apio paluſtri ſimiles, humeros colore purpureo tinctos, corpus exiguis ſquamis tectum, branchias auribus inferiores paullò, dentes pantherorum dentibus haud abſimiles, nares hominis, oculos ſubglaucos, manus, & ungues, & digitos teſtæ conchiliorum inſtar, ac denique pinnas ſub pectore, & ventre delphinorum: ut ex Soſtrato de animal. l. 3, aliiſque videre eſt. Præterea curru vectum introducit Ovidius in Epiſt. Didûs:

Iam venti ponent stratâque æqualiter undâ,
cæruleis Triton per mare curret equis.

Cæterùm in cœlum receptum, ac in Signum Delphini mutatum ajunt, quòd ad bellum Deorum cum Gigantibus susceptum profectus, inflatâ conchâ à se inventâ adeò horrendum, ac inauditum ediderit sonitum, ut hostes beluam aliquam formidabilem ratos, in fugam verterit, victoriâ Diis relictâ.

Denique *Hermippus* quoque nonnullis hoc signum constituere videtur; quia in honorem Apollinis dux fuerit Cretensibus in Delphos.

Sed substituamus potiùs his fictis, ac merè poëticis animalibus, verum illum *Delphinum*, quem Psalmus 104, v. 26, æquè, ac alia Oceani animalia, in aquâ ludentem, ac luxuriantem introducit.

XXII. EQUULEUS; das Röslein / Füllen; die Stuhte / Mähre; sive der Pferde-kopf;

Equulus, *Equiculus*, *Hinnulus*, *Equus minor*, sive *parvus*, Postello, & P. Abano *Equus prior*, ad differentiam Equi alati, sive majoris; *Cyllarus*; *Equi caput*: Græcè Proclo προτομὴ τοῦ ἵππου, *Sectio equi*, *sectio equina*, *Præcisio*; in Mappa τομὴ τοῦ ἵππου ἐλάσσονος, hoc est, *Sectio equi minoris*; Arato ἵππος ἡμιτελής, id est, *semiperfectus*: Arabicè novo nomine *Kataat alfaras*. Meridianum illustrat summâ nocte circa initium Augusti: ac complectitur in globo nostro sex stellas.

Postellus, Bayerus, aliique tantùm quatuor, easque in capite numerant, omnes quartæ magnitudinis, duas ♂, *&* *totidem* ♃ *dicatas.*

Hic Equus, quòd æquè, ac Taurus, anteriore tantùm parte extet, sive nubibus exeat, ac quasi prospiciat, vocatur ἡμίτομος, id est, *semisectus*: aliis item *Equus magnus*:

magnus : *parvus* verò, cùm capite tantùm, & collo appareat. Videtur autem esse *Cyllarus*, hoc est, equus ille, quem Mercurius Castori dederat dono: cujus mentionem ingerit Virgilius Georgic. l. 3:

Talis Amiclei domitus Pollucis habenis
Cyllarus, *& quorum Graji meminere Poëtæ.*

Atque ad hanc opinionem inducor, quod videam *equum stellatum* olim Romæ in æde Castoris dedicatum fuisse; ut ad Signum Geminorum diximus.

Aut denotare etiam poterit, si magis arridet, equum illum, quo Trajani Cæsaris filius ex Vrbe in bellum iturus pauperculæ cujusdam mulieris filium obtrivit: unde illi Cæsar amissi filii talionem jure exposcenti filium suum unicum cum donis ingentibus adjudicavit. Quippe cùm equum cœlestem quasi perpetrati cujusdam facinoris conscium, præ timore intra nubes se abscondere videas, in hujus signum conversus ille non sine ratione dici poterit.

Præterea quòd si cygnus in memoriam Iovis in ejusmodi avem conversi, locum in cœlo meruit: quid impedit, quo minùs suspicemur equum ab ipso Saturno inter astra locatum; quia Philyræ Oceani filiæ amore captus, ac Opi superveniente in equum conversus, amores suos occultavit: ut ad Sagittarii diximus signum, ac innuit Virgilius Georg. l. 3:

Talis & ipse jubam cervice effudit equinâ
conjugis adventu pernix Saturnus, *& altum*
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.

Quin & *Neptunum* dixeris equi imaginem in cœlum collocâsse, quòd is in concilio deorum, ortâ de Athenis nomine imponendo contentione, percussâ petrâ equum, cui nomen *Scyphio*, primus produxerit; ut Plutarchus in vita Themistoclis, & Pindari Interpres tradiderunt: vel quòd, teste Pamphilo, Diodoro l. 5, & Pausania in Arcadicis, primus equitandi, æquè ac navigandi, ut traditur, artem invenerit; vel primus Athenis junxerit equos; ut patet ex Sophoclis Oedipode in Colono. Iccirco fingitur à Poëtis super æquore curru vehi; cui

Orpheus in hymnis quatuor jungit equos. Nam & Virgilio

flectit equos, curruque volans dat lora secundo.

Sed equis quoque, teste Claudiano, usus dicitur *Pluto*, Deus inferorum, Saturno & Opi prognatus, adeóque Iovis ac Neptuni frater;

qui terræ claves, & regna gubernat,

ut ex Orpheo loquar: item *Phœbus* sive *Sol*, teste Mimnermo & Hesiodo, ex Hyperione & Thiâ, juxta Homerum Euriphaëssâ, vel potius Iove & Latonâ, ut testatur idem Hesiodus, & Ovidius, sive, ut Herodotus in Euterpe, Dionyso & Iside prognatus; ac soror ejus *Phœbe*, sive *Luna*; ille quadrigis, hæc bigis. De Phœbi est illud Ovidii Metam. l. 2; ubi currum Solis magnificum satis amplè describit:

Interea volucres Pyrois, Eous, & Æthon
Solis equi, quartusque Phlegon *hinnitibus auras*
flammiferis implent, pedibusque repagula pulsant.

De Phœbes verò hoc Virgilii Æn. l. 10:

Iamque dies cœlo concesserat, almaque curru
noctivago Phœbe *medium pulsabat olympum.*

& de amborum sequens Manilii:

Quadrigis & Phœbus *equis*, & Delia *bigis.*

Quamquam & Lunam, quæ, quia in insula Delo nata, Delia dicta, quidam mulo, alii juvencis vehi tradiderunt. Ovidius de Remed. amor. l. 1, eidem attribuit equos candidos; alii discolores, album, & candidum. De Solis autem equis hæc habes apud Radinum: *Equi quatuor, qui aurei licet forent, colore tamen quisque proprio noscebatur.* Pyrois *rubens*, Eous *candicans*, Æthon *coruscans*, Phlegon *nigricans*, *hinnitibus flammiferis*, *elatis naribus auras implebant*, *erraticis cursibus vagabantur incerti.* Et his quintum videtur adjungere Martialis:

Qui cupidum Titana tenes? jam Xanthus, & *Æthon*
fræna volunt.

Æthon autem dictus quoque fuit equus Hectoris, apud Homerum l. 8 Iliad. item Plutonis teste Claudiano; & Pallantis filii regis Euandri; in cujus exequiis

quiis collachrymâsse fertur: unde Virgilius Æneid. l.2

*Post bellator equus, positis insignibus, Æ*thon
it lachrymans, guttisque humectat grandibus ora.

Imò singulis sideribus singulos dederunt equos; ut Lutatius in Statium 6 Thebaid. annotavit: desultores verò *Veneris stellæ*, nempe *Lucifero* album, *Hespero* furvum, teste Ovidio l. 2 Amor. el. 11, & Fast. l. 2, item Pedone in obit. Mœcenatis. Vnde Isidorus l. 18 Orig. c. 36: *Quadrigas Soli, bigas Lunæ, & trigas inferis, sejugas Iovi, desultores Lucifero & Hespero consecrarunt.*

Quin & Marti Iovis & Iunonis filio, ac Hebes fratri, illi bellorum præsidi,

quem cum sanguineo sequitur Bellona flagello,

ut cum Virgilio loquar, duos tribuunt equos, *Pavorem*, & *Terrorem*: unde Statius:

Fræna ministrat equus Pavor *Armigeri:*

& Virgilius Georg. l. 3:

Martis equi bijuges, & magni currus Achillis.

Equus enim bellorum est hieroglyphicum; quia, ut testatur idem Virgilius,

bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur.

Atque hinc *equus* ob similem ferocitatem Marti erat sacer, æquè ac *lupus, canis, verres, vultur*, ob rabiem, & rapacitatem; item *gallus*, *picus*; & inter plantas *gramen*, quòd ex hominum sanguine plurimum nasci crederetur: eóque idem gramine coronari solebat. Imò Romani equo, qui à dextra victor fuerat, idibus Decembris immolato, ac, ut cum Statio loquar, sociâ

prece numen amicant.

Fortè *Bucephalus* à bovis capite sic dictus, equus ille Alexandri Magni duodecim talentis, ut testatur Cares apud Agellium, emtus, eundem quoque honorem meruit. Quippe phaleratus, & regio instratus ornatu, nullum admisit sessorem, præter Alexandrum; quem suâ sponte genua submittens, teste Curtio, excipiebat: ac in bello Indico sagittis undique perfossus, regem è mediis hostibus, licet exanguis, ac moribundus, pernicissimo cursu retulit, atque tum demum domini superstitis

ſecurus expiravit. *Propter quæ*, ut loquitur Plinius l. 6, & 8, *rex defuncto ibidem duxit exequias, urbemque tumulo circumdedit nomine ejus.*

Denique, ut colophonem huic Signo imponamus, ſi magis placet ex Sacris hiſtoriam quandam depromere, applicari eidem poterit *Equus ille regius*, quo, ductore Hamano; Mardochæus veſte regia indutus, ac diademate ornatus, per urbis plateas fuit vectus: ut videre eſt ex libro Eſther c. 6, commate 8, & ſequentibus.

XXIII. PEGASUS; das Flügel-pferd / das fliegende Ros; item ſimpliciter das Ros/ ſive der Hängſt;

Equus Gorgonius, Meduſæus, Ovidio *Equus ales, volans, alatus, pennatus, aëreus, dimidiatus, Fontis Muſarum inventor*; Iſidoro, & Lampridio *Sagmarius caballus*, id eſt, *ephippiatus*, quia olim alarum loco ephippium pingebant; *Equus, Equus major, ſecundus, poſterior*, ſive *alter*; *Bellerophon, Bellerophontes*; *Menalippe*, vel potiùs *Melanippe*; aliis *Theano*: Græcè ἵππος, id eſt, *equus*, Nonno Ἡμιφανὴς λίβυς ἵππος, *equus Libycus ſemiconſpicuus*, Πήγασος: Arabicè *Alphares, Alpheraz, Alfaras-alathem*, Schickardo *Alpharaſo*, hoc eſt, *equus*. Meridianum nocte profundiſſimâ pervolat circa medium Auguſti, & initium Septembris; ſtellaſque in globo noſtro complectitur octodecim: ex quibus illa in naribus lucida, Arabibus vocatur *Enif*, rectiùs, juxta Scaligerum, *Enf Alpheraz*, Schickardo *Aniphol-Pharaſi*, id eſt, *naſus equi*; Ptolemæo ῥύγχος τοῦ ἵππου, hoc eſt, *os*, vel *roſtrum equi*, Almageſti inter-

interpretibus *Muscida*, vel *Grumium*, quod idem est, ac Italicum *grungo*, & Gallicum *museau*. Germani dicunt schnautze/ rüssel/ item schnabel. Alia in cruris eductione, dicitur *Seat-Alferas*, Schickardo *Saidol-pharasi*, hoc est, *brachium equi*: ac rursus alia in ala, sive scapulis, *Ted Alpheras*, *Markab*, Schickardo *Markabon*, hoc est, *ephippium*, aut *sagma*, vel *stragulum*, cui inequitamus.

Ovidius huic Signo tribuit 15 *stellas*; *Aratus*, *&* *Hyginus itidem*, *ac globus noster*, 18; *Ptolemaus*, *&* *Postellus* 20: *Bayerus verò, additis tribus sexti luminis*, 23; *quarum quatuor secundæ magnitudinis in scapulis, ala, latere, sive potiùs umbilico, & juxta pedem*; 3 *tertiæ in cervice, rictu, & juxta sinistrum genu*; 6 *quartæ in capite, poplite, pectore*; 3 *quintæ*; *&* 7 *sextæ hinc inde dispersæ. Omnes partim* ♂, *partim* ☿ *naturam sequuntur.*

In hoc Signo tria imprimis consideranda occurrunt: nempe *Bellerophon, Chimæra*, & *Pegasus* sive *equus alatus*; quo vectus Bellerophon Chimæram confecisse dicitur. Vnde Sidonius de Bellerophonte loquens:

Ac Iuvenem, Sthenobœa, tuum; cui terga vetustas
Pennati largitur Equi. &c.

Is autem fuit Sisyphi illius, qui Corinthiis imperans, Meropen unam ex Pleiadibus duxit, & à Theseo interfectus, apud inferos saxum subinde rediturum in altissimum montem volvere fingitur, ex filio Cæsio sive Glauco, quem aliter Taraxippum vocant, nepos, antea *Hipponus* dictus: ut proditum Pausaniæ in Corinthiac. & Dioxippo l. 2 de Reb. patr. Quippe nomen *Bellerophontis* tum demum assumsit, cùm Bellero Corinthio, sive, ut mavult Phœnix Colophonius, Deliade fratre, sive Pirene, ut Philemon, sive, ut Dorotheus tradit, Alcimene interemto, non solùm patriam, sed & ipsum nomen mutare cogeretur.

Et *Chimæra* fingitur monstrum triceps Echidnâ & Typhone progenitum, ac studio Amisodari, teste Apollodoro

cum adducens, nuptiarum curator sit factus. Atque hinc factum, quòd Delphinus in tot nummis, & statuis à Cupidine frænatus; ac ejus imago, ut Hyginus testatur, non procul à Capricorno, inter astra à Neptuno, in perpetuum gratæ mentis testimonium, collocata conspicitur: imò quòd Neptuno non tantùm sacratus, & ejus idolo plerumque insculptus, sed etiam ipse Neptunus sub Delphini imagine colebatur.

Alii verò Delphinum, sive potiùs ejus signum inter astra collocatum dicunt, quòd Bacchus à piratis Thyrrenis captus, eos in delphinos mutatos, ipse leo factus, in fugam verterit; ut traditum Demarato in certaminibus Dionysiacis: atque hinc quoque Delphinus, teste Plutarcho, Bacchi simulachro, ac aris solebat adpingi; & leo sacer erat ipsi Baccho. Vel quòd Arion Methymnâ Lesbi oppido oriundus, cujus mentionem quoque fecimus ad signum Lyræ, in mare dejectus à delphino fuerit servatus; ut vulgò fabulantur. Vnde, cùm obscuro esset genere, ut insignes artifices sæpe solent, adeóque parentes ejus veri nescirentur, dictus est filius Neptuni ex Oncæa nympha, sive Autoloë, sive, ut aliis placet, ex Terra omnium matre. Quippe sic dixerunt qui vel per mare venissent, vel in mare dejecti mortis periculum evasissent, vel nati essent ex principe quodam insulari, aut maritimo, hoc est, eo, qui præerat populo maris imperium habenti, aut alio aliquo, cujus mores erant Neptunii, vel etiam qui Neptunius sacerdos, vel in mari perierat, vel per mare venerat; ut annotat Servius in Æneid. vers. 691. Id ipsum quoque attingit Agellius l. 15 Noct. Atticarum c. 21: *Præstantissimos virtute, prudentiâ, viribus, Iouis filios Poëtæ appellârunt; ut Æacum, & Minoa, & Sarpedona: ferocissimos, & immanes, & alienos ab omni humanitate, tanquam è mari genitos, Neptuni filios dixerunt; Cyclopa, & Cercyona, & Scyrona, & Lestrygonas.* Vide sis, quid de hoc ipso dictum nobis ad Signum Geminorum.

Fabula autem, sive potiùs historia fabulosa de hoc illustri fidicine sic se habet: Arion Corintho in Italiam, Sici-

Siciliamque profectus, cùm peragratis hisce regionibus, ac opibus maximis inibi, teste Herodoto, sive potiùs, ut Lucianus tradit, Corinthi ex Periandri munificentia regia jam pridem collectis, Tarento in patriam rediturus, Siculum mare transfretaret, ob eas opes in extremum vitæ discrimen incurrebat. Quippe socii illi navales, quibus, cùm Corinthii essent, præ omnibus aliis se, suamque supellectilem tutiùs committere posse crediderat, pecuniis, quas secum ferebat, allecti, insidias homini meditari,eumque vitâ privare occipiebant. Vbi Arion hos sibi dolos strui persentiscens, pecunias iis suâ sponte profudit, periculum facturus, an eâ ratione animos illos truculentos placare posset. Sed veriti, ne scelus hoc aliquando Arion superstes ulcisceretur, jusserunt, ut vel seipsum occideret, vel in mare quàm citissimè sese præcipitaret. Sumtâ igitur, permissu nautarum, citharâ,ut cygnorum more sibi ipsi funebre carmen caneret,inter canendum veste pretiosissimâ indutus de prora in mare desiliit: ubi à delphino quodam cantu ejus allecto, sive, ut vera, apud Antimenidem in primo, habet historia, à nautis Tænariis nave, cujus δελφίνιον delphin, exceptus, & Tænarium in promontorium incolumis portatus est. Meminere Herodotus in Clio, Diodorus, Plutarchus in Convivio, Agellius l. 16, c. 19, Plinius l. 9, c. 8, & Pontanus ad Eclog. 8, fol. 176. Et in hujus rei memoriam erecta fuit statua cum epigrammate Græco; quod Volaterranus sic Latinè reddidit:

Cernis amatorem, qui vexit Ariona, Delphin,
à Siculo subiens pondera grata mari.

Sed totum negotium satis luculenter expressit Ovidius l. 2 Fastorum:

Nomen Arionium Siculas impleverat urbes;
captaque erat lyricis Ausonis ora sonis.
Inde domum repetens, puppim conscendit Arion:
atque ita quæsitas arte ferebat opes.
Forsitan, infelix, ventosque, undasque timebas?
At tibi nave tuâ tutius æquor erat.

Namque gubernator districto constitit ense,
cæteraque armatâ conscia turba manu.
Ille metu pavidus, mortem non deprecor, inquit:
sed liceat sumtâ pauca referre lyrâ.
Dant veniam, ridentque moram. Capit ille coronam,
quæ possit crines, Phœbe, decere tuos.
Induit & Tyrio distinctam murice pallam.
Reddidit icta suos pollice chorda sonos,
flebilibus numeris, veluti canentia durâ
trajectus pennâ tempora cantat olor.
Protinus in medias ornatus desilit undas:
spargitur impulsâ cærula puppis aquâ.
Inde (fide majus) tergo Delphina recurvo
se, memorant, oneri supposuisse novo.
Ille sedet, citharamque tenet, preciumque vehendi
cantat, & æquoreas carmine mulcet aquas.
Dî pia facta vident. Astris Delphina recepit
Iupiter, & stellas jussit habere novem.

Cæterùm nunquam crediderim, Delphinos supposito dorso homines portâsse, atque ex interitu liberâsse: quamquam idipsum multi, quorum aliquos supra adduximus, auctores affirmare, ac figmenta illa veris historiis reponere haud dubitent. Locum autem fabulis istis dedisse suspicor naves quasdam Delphini figurâ, ac nomine insignitas: quibus, ut modo innuimus, excepti, ac vecti, imò sæpe ex mortis periculo liberati, postea à delphinis id beneficii accepisse dicebantur. Et naves delphini picturâ eò insignitas censeo, quòd *delphini* eas obviam factas, choreas quasi quodam gratulationis affectu circumducentes, non solum comitentur; sed etiam *tranquillo mari lascivientes*, ut Plinius loquitur, *flatum ex qua veniunt parte præsagiant.* Instante enim tempestate magno numero emergere, & ad naves accurrere, inque maris superficie frequentiùs se vibrantes, invicem colludere solent; quasi nautas admonitos velint, ut in stationes suas se properè recipiant, nec mari navigia credant. Sed non naves solùm ab insigni dicebantur Delphini, verùm etiam ipsi interdum nautæ, & alii,

qui

qui ejuſmodi navibus vehebantur. Hinc Tyrrhenis illis, qui piraticam exercentes, univerſo pœnè orbi terrori erant, Delphinorum cognomentum in fabulis Græcanicis eſt datum. Quin & eâdem cauſâ eoſdem, ut ſupra vidimus, alioſque in Delphinos mutatos finxerunt. Imò ipſe Apollo in Delphinum converſus ad Delphos dicitur adnatâſſe; quia ejuſmodi nave, ut ſuſpicor, vectus, eò appulit. Atque hinc eſt, quòd *Delphinius* ſit dictus; & Delphinus Apollini æquè, ac Neptuno, ſit ſacer, ejuſque aris, teſte Plutarcho, fuerit inſculptus; imò Delphinus cœleſtis ipſo Apollinis æquè, ac Neptuni, & Tritonis, nomine notetur. De Neptuno vidimus ſupra: nunc quoque de Tritone paucis agamus.

Triton, quem Ovidius in primo Metam. ut Deum marinum, ac Neptuni, & Oceani buccinatorem deſcribit, Heſiodo fuit filius Neptuni ex Amphitrite, ſive, ut mavult Aceſander, è Celæno; aut Oceani, & Tethyos Cœli & Veſtæ filiæ, juxta Numenium de piſcatoribus; aut ſi Lycophronem audimus, Nerei. Ac formam habuiſſe dicitur parte corporis ſupremâ hominis, inferiore delphini, cum pedibus duobus equinis, ac caudâ duplici lunatâ: ut traditum Apollonio l. 4 Argonautic. Virgilius verò eandem paullò aliter depingit, cùm Æneid. l. 10 ſic ſcribit:

Hunc vehit immanis Triton, & cærula conchâ
exterrens freta, cui laterum tenus hiſpida nanti
frons hominem præfert, in priſtim deſinit alvus.
Spumea ſemifero ſub pectore murmurat unda.

Alii affingunt illi capillos apio paluſtri ſimiles, humeros colore purpureo tinctos, corpus exiguis ſquamis tectum, branchias auribus inferiores paullò, dentes pantherorum dentibus haud abſimiles, nares hominis, oculos ſubglaucos, manus, & ungues, & digitos teſtæ conchiliorum inſtar, ac denique pinnas ſub pectore, & ventre delphinorum; ut ex Soſtrato de animal. l. 3, aliiſque videre eſt. Præterea curru vectum introducit Ovidius in Epiſt. Didûs:

Iam venti ponent stratâque æqualiter undâ,
cæruleus Triton per mare curret equis.

Cæterùm in cœlum receptum, ac in Signum Delphini mutatum ajunt, quòd ad bellum Deorum cum Gigantibus susceptum profectus, inflatâ conchâ à se inventâ adeò horrendum, ac inauditum ediderit sonitum, ut hostes beluam aliquam formidabilem ratos, in fugam verterit, victoriâ Diis relictâ.

Denique *Hermippus* quoque nonnullis hoc signum constituere videtur; quia in honorem Apollinis dux fuerit Cretensibus in Delphos.

Sed substituamus potiùs his fictis, ac merè poëticis animalibus, verum illum *Delphinum*, quem Psalmus 104, v. 26, æquè, ac alia Oceani animalia, in aquâ ludentem, ac luxuriantem introducit.

XXII. EQUULEUS; das Rößlein / Füllen; die Stuhte / Mähre; sive der Pferde-kopf;

Equulus, *Equiculus*, *Hinnulus*, *Equus minor*, sive *parvus*, Postello, & P. Abano *Equus prior*, ad differentiam Equi alati, sive majoris; *Cyllarus*; *Equi caput*: Græcè Proclo Προτομὴ τοῦ ἵππου, *Sectio equi*, *sectio equina*, *Præcisio*; in Mappa Τομὴ τοῦ ἵππου ἐλάσσονος, hoc est, *Sectio equi minoris*; Arato ἵππος ἡμιτελής, id est, *semiperfectus*: Arabicè novo nomine *Kataat alfaras*. Meridianum illustrat summâ nocte circa initium Augusti: ac complectitur in globo nostro sex stellas.

Postellus, Bayerus, aliique tantùm quatuor, easque in capite numerant, omnes quartæ magnitudinis, duas ♂, *& totidem* ♃ *dicatas.*

Hic Equus, quòd æquè, ac Taurus, anteriore tantùm parte extet, sive nubibus exeat, ac quasi prospiciat, vocatur ἡμίτομος, id est, *semisectus*: aliis item *Equus magnus*:

magnus: parvus verò, cùm capite tantùm, & collo appareat. Videtur autem esse *Cyllarus*, hoc est, equus ille, quem Mercurius Castori dederat dono: cujus mentionem ingerit Virgilius Georgic. l. 3:

Talis Amiclei domitus Pollucis habenis
Cyllarus, *& quorum Graji meminere Poëtæ.*

Atque ad hanc opinionem inducor, quod videam *equum stellatum* olim Romæ in æde Castoris dedicatum fuisse; ut ad Signum Geminorum diximus.

Aut denotare etiam poterit, si magis arridet, equum illum, quo Trajani Cæsaris filius ex Vrbe in bellum iturus pauperculæ cujusdam mulieris filium obtrivit: unde illi Cæsar amissi filii talionem jure exposcenti filium suum unicum cum donis ingentibus adjudicavit. Quippe cùm equum cœlestem quasi perpetrati cujusdam facinoris conscium, præ timore intra nubes se abscondere videas, in hujus signum conversus ille non sine ratione dici poterit.

Præterea quòd si cygnus in memoriam Iovis in ejusmodi avem conversi, locum in cœlo meruit: quid impedit, quo minùs suspicemur equum ab ipso Saturno inter astra locatum; quia Philyræ Oceani filiæ amore captus, ac Opi superveniente in equum conversus, amores suos occultavit: ut ad Sagittarii diximus signum, ac innuit Virgilius Georg. l. 3:

Talis & ipse jubam cervice effudit equinâ
conjugis adventu pernix Saturnus, *& altum*
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.

Quin & *Neptunum* dixeris equi imaginem in cœlum collocâsse, quòd is in concilio deorum, ortâ de Athenis nomine imponendo contentione, percussâ petrâ equum, cui nomen *Scyphio*, primus produxerit; ut Plutarchus in vita Themistoclis, & Pindari Interpres tradiderunt: vel quòd, teste Pamphilo, Diodoro l. 5, & Pausania in Arcadicis, primus equitandi, æquè ac navigandi, ut traditur, artem invenerit; vel primus Athenis junxerit equos; ut patet ex Sophoclis Oedipode in Colono. Iccirco fingitur à Poëtis super æquore curru vehi; cui

Orpheus in hymnis quatuor jungit equos. Nam & Virgilio

flectit equos, curruque volans dat lora secundo.

Sed equis quoque, teste Claudiano, usus dicitur *Pluto,* Deus inferorum, Saturno & Opi prognatus, adeóque Iovis ac Neptuni frater;

qui terræ claves, & regna gubernat,

ut ex Orpheo loquar: item *Phœbus* sive *Sol*, teste Mimnermo & Hesiodo, ex Hyperione & Thiâ, juxta Homerum Euriphaëssâ, vel potius Iove & Latonâ, ut testatur idem Hesiodus, & Ovidius, sive, ut Herodotus in Euterpe, Dionyso & Iside prognatus; ac soror ejus *Phœbe,* sive *Luna*; ille quadrigis, hæc bigis. De Phœbi est illud Ovidii Metam. l. 2; ubi currum Solis magnificum satis amplè describit:

Interea volucres Pyrois, Eous, *&* Æthon
Solis equi, quartusque Phlegon *hinnitibus auras*
flammiferis implent, pedibusque repagula pulsant.

De Phœbes verò hoc Virgilii Æn. l. 10:

Iamque dies cœlo concesserat, almaque curru
noctivago Phœbe *medium pulsabat olympum.*

& de amborum sequens Manilii:

Quadrigis & Phœbus *equis, &* Delia *bigis.*

Quamquam & Lunam, quæ, quia in insula Delo nata, Delia dicta, quidam mulo, alii juvencis vehi tradiderunt. Ovidius de Remed. amor. l. 1, eidem attribuit equos candidos; alii discolores, album, & candidum. De Solis autem equis hæc habes apud Radinum: *Equi quatuor, qui aurei licet forent, colore tamen quisque proprio noscebatur.* Pyrois *rubens*, Eous *candicans*, Æthon *coruscans*, Phlegon *nigricans*, *hinnitibus flammiferis*, *elatis naribus auras implebant*, *erraticis cursibus vagabantur incerti.* Et his quintum videtur adjungere Martialis:

Qui cupidum Titana tenes? jam Xanthus, *& Æthon*
fræna volunt.

Æthon autem dictus quoque fuit equus Hectoris, apud Homerum l. 8 Iliad. item Plutonis teste Claudiano; & Pallantis filii regis Euandri; in cujus exequiis

quiis collachrymâsse fertur: unde Virgilius Æneid. l.2

Post bellator equus, positis insignibus, Æthon
it lachrymans, guttisque humectat grandibus ora.

Imò singulis sideribus singulos dederunt equos; ut Lutatius in Statium 6 Thebaid. annotavit: desultores verò *Veneris stellæ*, nempe *Lucifero* album, *Hespero* furvum, teste Ovidio l. 2 Amor. el. 11, & Fast. l. 2, item Pedone in obit. Mœcenatis. Vnde Isidorus l. 18 Orig. c. 36: *Quadrigas Soli, bigas Lunæ, & trigas inferis, sejugas Iovi, desultores Lucifero & Hespero consecrarunt.*

Quin & Marti Iovis & Iunonis filio, ac Hebes fratri, illi bellorum præsidi,

quem cum sanguineo sequitur Bellona flagello,

ut cum Virgilio loquar, duos tribuunt equos, *Pavorem*, & *Terrorem*: unde Statius:

Fræna ministrat equus Pavor *Armigeri:*

& Virgilius Georg. l. 3:

Martis equi bijuges, & magni currus Achillis.

Equus enim bellorum est hieroglyphicum; quia, ut testatur idem Virgilius,

bello armantur equi, bellum hæc armenta minantur.

Atque hinc *equus* ob similem ferocitatem Marti erat sacer, æquè ac *lupus, canis, verres, vultur*, ob rabiem, & rapacitatem; item *gallus*, *picus*; & inter plantas *gramen*, quòd ex hominum sanguine plurimum nasci crederetur: eóque idem gramine coronari solebat. Imò Romani equo, qui à dextra victor fuerat, idibus Decembris immolato, ac, ut cum Statio loquar, sociâ

prece numen amicant.

Fortè *Bucephalus* à bovis capite sic dictus, equus ille Alexandri Magni duodecim talentis, ut testatur Cares apud Agellium, emtus, eundem quoque honorem meruit. Quippe phaleratus, & regio instratus ornatu, nullum admisit sessorem, præter Alexandrum; quem suâ sponte genua submittens, teste Curtio, excipiebat: ac in bello Indico sagittis undique perfossus, regem è mediis hostibus, licet exanguis, ac moribundus, pernicissimo cursu retulit, atque tum demum domini superstitis

ſecurus expiravit. *Propter quæ*, ut loquitur Plinius l. 6, & 8, *rex defuncto ibidem duxit exequias, urbemque tumulo circumdedit nomine ejus.*

Denique, ut colophonem huic Signo imponamus, ſi magis placet ex Sacris hiſtoriam quandam depromere, applicari eidem poterit *Equus ille regius*, quo, ductore Hamano; Mardochæus veſte regiâ indutus, ac diademate ornatus, per urbis plateas fuit vectus: ut videre eſt ex libro Eſther c. 6, commate 8, & ſequentibus.

XXIII. PEGASUS; das Flügel-pferd / das fliegende Ros; item ſimpliciter das Ros / ſive der Hängſt;

Equus Gorgonius, *Meduſæus*, Ovidio *Equus ales*, *volans*, *alatus*, *pennatus*, *aëreus*, *dimidiatus*, *Fontis Muſarum inventor*; Iſidoro, & Lampridio *Sagmarius caballus*, id eſt, *ephippiatus*, quia olim alarum loco ephippium pingebant; *Equus*, *Equus major*, *ſecundus*, *poſterior*, ſive *alter*; *Bellerophon*, *Bellerophontes*; *Menalippe*, vel potiùs *Melanippe*; aliis *Theano*: Græcè ἵππος, id eſt, *equus*, Nonno Ἡμιφανὴς λίβυς ἵππος, *equus Libycus ſemiconſpicuus*, Πήγασος: Arabicè *Alphares*, *Alpheraz*, *Alfaras-alathem*, Schickardo *Alpharaſo*, hoc eſt, *equus*. Meridianum nocte profundiſſimâ pervolat circa medium Auguſti, & initium Septembris; ſtellaſque in globo noſtro complectitur octodecim: ex quibus illa in naribus lucida, Arabibus vocatur *Enif*, rectiùs, juxta Scaligerum, *Enf Alpheraz*, Schickardo *Aniphol-Pharaſi*, id eſt, *naſus equi*; Ptolemæo ῥύγχος τοῦ ἵππου, hoc eſt, *os*, vel *roſtrum equi*, Almageſti inter-

interpretibus *Muſcida*, vel *Grumium*, quod idem eſt, ac Italicum *grungo*, & Gallicum *muſeau*. Germani dicunt ſchnautze/ rüſſel/ item ſchnabel. Alia in cruris eductione, dicitur *Seat-Alferas*, Schickardo *Saidol-pharaſi*, hoc eſt, *brachium equi*: ac rurſus alia in ala, ſive ſcapulis, *Ted Alpheras*, *Markab*, Schickardo *Markabon*, hoc eſt, *ephippium*, aut *ſagma*, vel *ſtragulùm*, cui inequitamus.

Ovidius huic Signo tribuit 15 *ſtellas*; *Aratus*, & *Hyginus itidem*, *ac globus noſter*, 18; *Ptolemaus*, & *Poſtellus* 20: *Bayerus verò, additis tribus ſexti luminis*, 23; *quarum quatuor ſecundæ magnitudinis in ſcapulis, ala, latere, ſive potiùs umbilico, & juxta pedem*; 3 *tertiæ in cervice, rictu, & juxta ſiniſtrum genu*; 6 *quartæ in capite, poplite, pectore*; 3 *quintæ*; & 7 *ſextæ hinc inde diſperſæ. Omnes partim* ♂, *partim* ☿ *naturam ſequuntur.*

In hoc Signo tria imprimis conſideranda occurrunt: nempe *Bellerophon, Chimæra*, & *Pegaſus* ſive *equus alatus*; quo vectus Bellerophon Chimæram confeciſſe dicitur. Vnde Sidonius de Bellerophonte loquens:

Ac Iuvenem, Sthenobœa, tuum; cui terga vetuſtas
Pennati largitur Equi. &c.

Is autem fuit Siſyphi illius, qui Corinthiis imperans, Meropen unam ex Pleiadibus duxit, & à Theſeo interfectus, apud inferos ſaxum ſubinde rediturum in altiſſimum montem volvere fingitur, ex filio Cæſio ſive Glauco, quem aliter Taraxippum vocant, nepos, antea *Hipponus* dictus: ut proditum Pauſaniæ in Corinthiac. & Dioxippo l. 2 de Reb. patr. Quippe nomen *Bellerophontis* tum demum aſſumſit, cùm Bellero Corinthio, ſive, ut mavult Phœnix Colophonius, Deliade fratre, ſive Pirene, ut Philemon, ſive, ut Dorotheus tradit, Alcimene interemto, non ſolùm patriam, ſed & ipſum nomen mutare cogeretur.

Et *Chimæra* fingitur monſtrum triceps Echidnâ & Typhone progenitum, ac ſtudio Amiſodari, teſte Apollodoro

lodoro Biblioth. l. 2, educatum, in Lycia Asiæ minoris inter Pamphiliam & Cariam regione degens. De hoc sic canit Ovidius Metam. l. 12:

Quoque chimæra *jugo mediis in partibus* hircum,
pectus & ora leæ, *caudam* serpentis *habebat.*

Item Homerus Iliad. l. ζ, & Hesiodus de ortu Deorum, verbis ferè iisdem:

Πρόσθε λέων, ὄπιθεν ᾗ δράκων, μέσση ᾗ χίμαιρα,
δεινὸν ἀποπνείουσα πυρὸς μένος αἰθομένοιο. h. e.
Prima Leo, *postrema* Draco, *media inde* Chimæra,
quæ graviter patulis spirabat naribus ignem.

Sed hanc fabulam alii historicè, alii physicè, alii ethicè interpretârunt. Quippe, ut cum Lucretio ex libro quinto loquar,

qui fieri potuit triplici cum corpore, ut unà
prima Leo, *postrema* Draco, *media ipsa* Chimæra
ore foras acrem flaret de corpore flammam?

Nymphodorus, & Alcimus in reb. Siculis tradidere *Chimæram* fuisse *montem* Lyciæ *ignivomum*, ac inhabitabilem; cujus summitas abundârit *leonibus*, radices *serpentibus*, ac *draconibus*; medium verò amœnissimis *pascuis* ad *capras*, unde & monti fortè nomen, ac ejusmodi pecora nutrienda, ut suspicor, aptissimis. *Capra* enim, sive *capella* imprimis quæ hieme nata, Græcis vocatur ἡ χίμαιρος, q. d. ἡ ἑνὸς χειμῶνος οὖσα juxta Scholiasten Theocriti Idyll. 1. Ac in hac significatione dicitur & χίμαιρα apud Theocritum, Plutarchum in Lyc. & Xenophontem, Hellen. 4. De quo videatur Eustathius. Et Montem Chimæram ignes horribili sonitu evomuisse, adeóque finitimos agros infestâsse, ut nec arbores, nec fructus produxerint, testatur quoque Plutarchus in libro de mulieribus claris. Sed parte, addit idem, quæ erat planissima, jussu Bellerophontis rescissâ, compositum fuisse cum incendio sonitum, magnumque adhibitum regioni remedium. Atque hinc nata est fabula apud Theopompum Rer. Philippic. l. 7, ubi Bellerophon hastam, cui in extrema parte plumbum affixum, in os Chimæræ intrusisse, atque sic plumbo igne colliquefacto

facto in imum ventrem defluxo, ejus intestina combussisse, monstrumque confecisse fingitur.

Sed Tzetzes Chil. 7, hist. 149, per triplicem Chimæræ formam intellexit tres illas nationes, quas à Bellerophonte devictas indicat Antigonus Carystius. Quippe Bellerophon ob cædem modò dictam extorris confugerat ad Prœtum Argivorum regem; ex cujus cum Danaë fratris Acrisii filia concubitu natum diximus Perseum in hujus Signo. Et Prœtus perhumaniter quidem exceperat Bellerophontem: sed uxor ejus Sthenobœa, quam alii Anteam dicunt, ardentissimo hospitis amore capta, at postea ob dolorem repulsæ indignata, tentatæ pudicitiæ, teste Homero Il. ζ, apud Prœtum accusavit. Qui Bellerophontem ipse occidere nolens, cum literis ad Iobatem socerum suum, ac Lyciæ regulum misit. Hic literis, quibus interficiendi Bellerophontis negotium illi committebatur, resignatis, cùm æquè, ac gener, ipse in hospitem manus injicere nollet, misit illum ad superandum tres acerrimos hostes, nempe *Chimæram*, *Solymos*, & *Amazonas*: ut prætextu memorabilis pugnæ interiret. Vnde Ovidius Trist. l. 2:

Nam quid de tetrico referam domitore Chimæræ,
quem letho fallax hospita pœna dedit.

Atque hi reverà sunt illæ tres nationes, quarum mentionem ingerit, ut diximus, & Tzetzes, & Antigonus.

Per Chimæram autem intelligo Piratam illum Lycios, aliosque immani crudelitate infestantem; cujus navis in prora picturam leonis, in puppi draconis, & in meditullio capræ habuisse fertur. Hunc Bellerophon primùm aggressus, ac cum citissima nave, cui nomen Pegaso, insecutus, debellâsse dicitur. Hoc confecto, aggressus quoque est Solymos populos bellicosissimos, quos *leonibus* similes depingunt Poëtæ: & his itidem navali pugnâ superatis, bellum denique intulit Amazonibus; quas, quia loca montosa, & accessu difficillima plerumque peragrabant, *capras* dixere. Atque sic devictis, ac prostratis his tribus hostibus crudelissimis triumphans ad Iobatem rediit; qui Bellerophontis fortitudinem

dinem admiratus, ei non solùm filiam Philonoën in matrimonium dedit, sed successionis quoque in regno prærogativam concessit.

Verùm adhuc aliam nobis affert Chimæram Agatharchides l. 3 rer. Asiaticarum: ubi ait Amisadori ejus, qui Lyciæ imperavit, uxorem nomine *Chimæram*, duos habuisse fratres, quorum unus *Leo*, alter *Draco* fuerit dictus. Atque hos ob concordiam cum sorore Monstrum triceps dictos, cùm Lyciæ fines magnâ juvenum manu occupâssent, adventantes omnes trucidantes, Bellerophon superaverit, ac in servitutem redegerit.

Cæterùm dicendum quoque nobis est de *Pegaso*. Hic, æquè ac Crysaor, natus dicitur è Neptuno, & Medusa, cujus mentionem fecimus ad signum Persei; sive, ut alii malunt, repentè prosiliit ex sanguine è collo Medusæ defluente, cùm caput ejus obtruncâsset Perseus. Vnde Ovid. Fast. l. 3:

Suspice, Gorgonei colla videbis equi.
Creditur hic cæsæ gravidâ cervice Medusæ
sanguine respersis prosiluisse comis.
Huic supra nubes, & subter sidera lapso
cælum pro terrâ, pro pede penna fuit.
Iamque indignanti nova fræna receperat ore:
cum levis Aonias ungula fodit aquas.

Atque sic Pegasus fortè nihil aliud denotabit, quàm *Famam*: quæ ex *Neptuno*, sive Neptunio vel insulari aliquo principe, ut Cetum interpretamur, à Perseo interfecto, & è Medusa itidem Persei fortitudine confecta quasi prognata, alis suis per hominum ora protinus volitavit, & Persei fortitudinem celebravit. Imò hinc *Fontem Musarum* in Parnasso Phocidis, vel Helicone Bœotiæ monte *Caballinum*, sive *Bellerophonteum*, qui aliis quoque *Libethrys*, *Pimpleus*, & *Castalius*, licet hi ab illo diversi sint, dici consuevit, ungulis suis excitâsse fingitur Pegasus: quia illustrium virorum præclara facinora, atque ex his exorta fama, Poëtis fontem quasi aperiunt, unde hauriant scribendi argumentum. Et ab hoc fonte, scilicet ἀπὸ τῆς πηγῆς, vel à πηγάζω, id est, *scaturio*, dictus

est

est Πήγασος; ut ipse fons ab Equo hoc alato, *Hippocrene*, item *Caballinus*.

Iccircò non est quod mireris, quosdam dixisse ipsum Perseum Pegaso vectum, ubi Cetum, cui exposita erat Andromeda, adortus sit: ut videre est apud Textorem in Theatro, & Pierium in Hieroglyphicis; qui tamen Pegasum Perseo applicari posse negat, ac ἱππότα Περσεὺς apud Hesiodum in Scuto Herculis, non *equitem*, sed *profugum* significare ait. Sed hallucinatur Pierius, ut ex modo dictis videre est.

Quod *Medusam* attinet, quæ *Neptuno* conjuncta, Perseo ejus victori *Pegasum alatum*, hoc est, *famam latè volantem* peperisse dicitur: ea cùm scortillum, ut suspicor, famigeratissimæ fuerit pulchritudinis, qua omnium animos attonitos reddens, ac stupore quasi percellens, in sui amorem, ac fœdas voluptates attraxit, fingebatur esse monstrum, cujus vel primo aspectu homines lapidescerent. Quippe Pausanias in Corinthiacis refert, Medusam, mortuo patre Phorco, regnâsse populis illis, qui Tritonidem accolunt paludem; ac venatum, pugnatumque cum suis subjectis exire consuevisse. Verùm cùm aliquando noctu cum copiis suis in Persei exercitum, quem ex Peloponneso duxerit, incidisset, eam commissâ pugnâ trucidatam fuisse. Vbi Perseus pugnâ peractâ, Medusæ licet mortuæ egregiam pulchritudinem adeò admiratus sit, ut caput ejus abscissum secum in Græciam portârit. Quin & suspicari quis posset Medusam eò ejusmodi monstrum fictam, quòd corio serpentino, quo veluti tegumento bellico Amazones in Lybia imprimis utebantur, fuerit tecta.

Atque ex his Græculi finxerunt Bellerophontem equum illum alatum ascendisse, ac fræno aureo ab ipsa Pallade, ut Pindarus commemorat, per somnium accepto, primùm regere cœpisse: unde infrænandorum equorum usus ad posteros emanaverit. Imò eundem primùm docuisse equis vehi, tradit ipse Plinius l. 7, c. 56: quamquam Virgilius Georgic. l. 3, frænorum inventum Lapithis tribuat, cum inquit:

Fræna

Fræna Pelethronii Lapithæ, gyrosque dedere
impositi dorso, atque equitem docuere sub armis
insultare solo, & gressus glomerare superbos.

Alii, qui vocabulum πήγασος à πηγὸς, hoc est, *benè compactus*, derivant, ac *Pegasum* nihil aliud fuisse, quàm *navem bellicam benè compactam, ac velis, & remis, tanquam alis, instructam* contendunt, sunt in ea opinione, quòd Bellerophon primus invenerit naves bellicas, ac primus docuerit classes, & prælia navalia instituere.

Denique fingunt Bellerophontem ex tot victoriis elatum Pegaso insedentem cœlum quoque ascendere tentâsse: sed Iovem equo œstrum immisisse, adeò ut Bellerophontem præcipitem in Aleiam Ciciliæ planitiem dejecerit: ubi inediâ absumtus diem suum obierit: quod Lucianus in Astrologia, sublimem Bellerophontis in rerum natura speculationem interpretatur. Pegasum verò nunc sublimem, nunc depressum per aëra volantem denique rediisse ad Iovis præsepe; sive, ut alii malunt, ab ipso Iove, dum cœlo volatu appropinquârit, apprehensum inter astra locatum fuisse. Vnde Ovidius Fastor. 3:

Nunc fruitur cœlo, quod pennis ante petebat,
& nitidis stellis quinque decemque micat.

Quin & alii addunt, Auroram Hyperionis ac Thiæ, teste Hesiodo, filiam, adeoque Solis, & Lunæ sororem, quam tamen alii Titane & Terrâ prognatam dixerunt, ubi hunc equum in cœlo vidisset, Iovem exorâsse, ut ab eo vecta quotidianum conficeret cursum. Vnde Lycophron in Alexandra:

Ηὼς μὲν αἰπὺν ἄρτι Φηγίου πάγον
κραιπνοῖς ὑπερποτῶτο Πηγάσου πτεροῖς.
Τιθωνὸν ἐν κοίτῃσι τῆς Κέρνης πέλας·
Aurora montem Phagium advolaverat
velocis altum nuper alis Pegasi,
Cernam propè Tithonem in thoro relinquens.

Alioqui fingitur quadrigis vehi: ut est apud Virgilium Æn. l. 6: *Hac vice sermonum roseis* Aurora *quadrigis*
jam medium æthereo curru trajecerat axem.

Vel

Vel bigis apud eundem:

Aurora *in roseis fulgebat lutea* bigis.

Et Homerus hos equos nominat *Lampum*, & *Phaëthontem*; quibus alii addunt *Erythræum*, & *Acteonem*.

Sed & Soli attribuitur Pegasus. Quod patet ex nummis Galieni, in quibus alatus est equus; cum inscriptione, SOLI CONS. AVG. Atque tum Pegasus idem videtur esse, ac Bellerophon, & magis spectat ad rerum naturam, quàm ad historiam: æquè ac Chimæra; cùm per illius caput leoninum intelligimus, cum Nicandro Colophonio, fluminum hyemalium, quos χειμάῤῥυς, *torrentes*, dicunt, ferocitatem omnia obvia secum trahentem; per caput caprinum eorundem voracitatem proxima quæque carpentem; per caput verò serpentis fluviorum cursum obliquum, ac contortum. Et hoc monstrum Bellerophon Pegaso invectus, interemisse dicitur: quia Solis calore, cessante per æstatem pluviâ, torrentes exsiccantur.

Cæterùm, ut concludamus, fabuloso huic Pegaso substituamus unum ex illis *Equis alatis*, quos velociores aquilis populo Israëlitico superventuros vaticinatus est Ieremias Propheta c. 4, v. 13.

MEMBRUM IV,

de Signis extrazodiacalibus Meridionalibus.

Sic quoque fuerunt *Signa Extrazodiacalia Septentrionalia*: nunc sequuntur *Meridionalia*; quorum primum est

I. CETUS; der Walfisch;

Cete, *Balæna*; *Draco*, *Leo*, vel *Vrsus marinus*; Lycophroni *Canis Tritonis*; *Bellua*, sive *monstrum marinum*; *Pistris*, Ciceroni *Pristis*, aliis *Pistrix*: Græcè πρίστης, πρῆστις, πρίστις; juxta Firmi-

cum ὀρφὸς, Atticè ὀρφὼς, *Orphus*, vel *Orphas*; communiter Κῆτος: Arabicè *Kaitos*, *Alkaitos*, *Elkaitos*, Schickardo *Elketos*. Conspicitur in summo cœlo nocte mediâ ab initio pœnè Octobris usque ad initium Decembris: ac complectitur in globo nostro 20 stellas; quarum illa in rostro, vel naribus Arabicè vocatur *Mencar*, quibusdam *Moncar-elkaitos*, hoc est, *rostrum Ceti*, Schickardo *Minkaron*, id est, *mandibula*; & alia in ventre *Bata kaitos*, vel *Batan-elkaitos*, item *Beten Ketos*, Schickardo *Batnolkitosi*, hoc est, *venter Ceti*; rursus alia, quæ in cauda posterior, *Deneb Kaitos*, vel *Ketos*, Schickardo *Dhanbol kitosi*, id est, *Cauda Ceti*.

Postellus hic numerat 22 stellas: Bayerus verò 23; nempe duas secundæ magnitudinis in capite, & cauda extrema; 7 tertiæ; 12 quartæ; 2 quintæ; & unam sextæ, omnes ♄, & parumper ♀ naturam imitantes.

Bayerus in Vranometria sua pro *Ceto* exhibuit *Draconem marinum*, ob has, quas addit, rationes: *Draconem*, inquit, *marinum potiùs, quàm Cetum Atlanticum, pingendum, stellarum hujus asterismi situs requirere videtur: quod & ab Hygino, & Anonymo subinnuitur, hoc gibbum, illo curvaturam Ceti describente. Similem exhibent antiquiores quædam Sphæræ, & plurima gentilium gutturnia, sive ϛνόλεγί-χηλα Romæ passim eruta, cum numismate Octavii Augusti ex ære trigesimo. Æneas Vicus l. 1 numism. Impp.*

Quibusdam etiam est *Pristis*, uti pro *pristes* dixere. Nam vera scriptura est πρίστις: quam tamen Festus Avienus non observat, dum *Pistricem*, & *Pistrim* in eodem asterismo vocat. Etiam ὀρφὸν nuncupari, habet Firmicus, & Grotius. Sed valdè differunt Ὀρφὸς, & Κῆτος magnitudine, & figurâ. Quippe Ceti, quos cum vitulis marinis Neptuni currum trahere fingunt, tantæ

ſunt magnitudinis, ut ſi aquis ſupernatent, inſulæ videantur. Et Plinius ſcribit l. 32, cetos ſexcentorum pedum longitudinis, & trecentorum latitudinis intraſſe in flumen Arabiæ. Videatur de hoc Baſilii enarratio in cap. 1 Geneſeos.

Cæterùm de Ceto hoc cœleſti variæ ſunt opiniones. Quidam dicunt eum in cœlum locatum ob fabulam, quæ narratur de Heſione. Alii malunt intelligere illum cetum in Signo Andromedæ memoratum, quem à Neptuno amore Andromedæ capto, ac repulſam paſſo ad devorandum pulcherrimum illud corpus miſſum Perſeus occiderit; ac Neptunus poſtea in cœlum locaverit.

Heſione autem erat filia Laomedontis Trajanorum regis: cui cùm Neptunus in ædificandis urbis mœnibus ſatis diu ſervîſſet, nullamque mercedem accepiſſet, tandem indignatus horrendum, ac infeſtiſſimum Cete immiſit, quod mare evomens, univerſam regionem inundavit. Laomedon enim, ut vera habet hiſtoria apud Herodotum, pecuniam illam, quæ Neptuno, & Apollini ſacrata erat, ad exſtruenda civitatis mœnia inſumſerat. Vnde coactus eſt filiam ſuam dilectiſſimam Heſionem principi cuidam, ut ſuſpicor, inſulari deſpondere: ſive, ut fabula habet, juſſu oraculi, ceto exponere. Sed Hercules Laomedontis largitionibus allectus, virginem regiam, regiéque ornatam, ceto jam expoſitam liberare tentans, aggere repentè jacto, in hujus anguſtias armatus conſtitit: ac ceto immenſæ magnitudinis appropinquante, in os ejus diſtentum irruit. Vbi cùm tres transegiſſet dies, ceto disrupto exiit, capillis omnibus amiſſis: ut traditum Andrætæ in navigat. Propontid. Atque eâ occaſione Heſionem à Ceto liberatam, & Ceti imaginem inter aſtra locatam dicunt. Hujus autem fabulæ meminit quoque Lycophron initio Caſſandræ:

Τριεσπέρου λέοντος, ὅν ποτε γνάθοις
Τρίτωνος ἠμάλαψε κάρχαρος κύων·
Ἔμπνους δ' ὁ δαιτρὸς ἡπάτων, φλοιδούμενος
τινθῷ λέβητος ἀφλόγοις ἐπ' ἐσχάραις,
σμήριγγας ἐστάλαξε κωδείας πέδῳ.

Trivesperi Leonis, quem aliquando maxillis
Tritonis *deglutivit aspere dentatus* Canis:
Vivus autem dissector intestinorum ambustus
cavo lebetis in focis ignis expertibus,
capillos destillavit capitis solo.

Hîc Poëta Herculem vocat *Leonem trinoctium*, sive *trivesperum:* quia lucis expers, ac tenebricosus foret ceti venter, in quo tres dies, & tres noctes commoratus est: ut in hunc locum annotavit Tzetzes. Quin & tangit idem commentum Cyrillus in Ionæ caput 2, & Theophylactus; qui in eundem locum de Græcis Ionæ historiam non capientibus loquens, inter alia hæc scribit: *Apud ipsos enim nonnihil tale de Hercule narratur: nempe quòd & ipse, à balæna devoratus, incolumis manserit; nisi quòd tantummodo depilatus redierit; idque ob ingenitum, & internum belluæ calorem. Aut igitur nostra suscipiant, aut sua rejiciant.* Verùm, ut eloquar, quod res est, Græculi hanc fabulam ex prophetica Ionæ historiâ confictam, suo Herculi, ut fieri apud illos amat, tribuerunt. Atque hinc satius erit fabuloso eorum ceto illum substituere, qui Ionam nostrum in mare conjectum deglutiens, in ventre suo per totum triduum hospitio excepit, & vivum, ac incolumem conservavit: ut ex Historia Ionæ initio cap. 2 videre est.

II. ERIDANUS; der Stern-flus / item das Flus-gestirn;

Padus, Italicè *Po*, Prudentio *fluviorum Pater*, Virgilio *Amnis Eridani*, Silio Italico *Amnis Phaëthontius*, Martiali *Vadum Phaëthontæum*, aliis *Fluvius cœlestis*, item absolutè *Flumen, Fluentum:* Ægyptiis *Nilus*; qui in Scripturis dicitur נחל מצרים *nachal Mizraim*, hoc est, *Ægypti fluvius*, item שיחור *Schichor*, hoc est, *Niger*; Æthiopibus *Nuchul*; Græcis Μέλας; Latinis veteribus, te-
ste

ſte Sexto Pompejo Feſto, *Melo*; quæ omnia *nigrum* notant: aliis *Gyon*; item *Mulda*; Proclo, & Lycophroni *Aetus*; quibuſdam *Oceanus*; Hetruſcis *Botignon*; Liguribus *Botigum*, ſive *Bodintum*: Græcè Ἠριδανὸς; Νεῖλος; κατ' ἐξοχὴν Ποταμὸς, Arato πολύκλαυστος ποταμὸς, hoc eſt, *fluvius multùm defletus*, Proclo Ποταμὸς τοῦ Ὠρίωνος: Arabicè *Aar*, *Nahar*, *Nar*, *Enar*, *Alnahar*, Schickardo *Nahron*, id eſt, *fluvius*: Mauritanis *Guad*. Lineam meridionalem pertranſit nocte mediâ menſe Novembri: ac comprehendit in globo noſtro 34 ſtellas; quarum extrema ♃ & ♀ naturæ, nobis inconſpicua, in fine fluminis, Arabicè vocatur *Enar*, *Acarnar*, vel *Acharnarin*, Poſtello *Acharannehar*, Schickardo *Achironnahri*, hoc eſt, *ultima fluvii*, ἔσχατος τοῦ ποταμοῦ; cui quidam jacentem feminam, alii ſedentem maſculum, perſonam ſcilicet fluvii Nili, aut Eridani, adpingunt: alia item ἐν τῇ ἐπιστροφῇ τοῦ ποταμοῦ, hoc eſt, in flexura fluvii, *Angetenar*, *Anchenetenar*.

Poſtellus in hoc Signo æquè, ac globus noſter, numerat 34 ſtellas; Bayerus verò 43; quarum una in extremitate fluminis primæ magnitudinis; 9 tertiæ; 27 quartæ; 3 quintæ, & 3 ſextæ, omnes ♄ naturam imitantes, exceptâ in fine fluminis extremâ.

Eridanus, aliter *Padus* dictus, eſt fluvius Italiæ notiſſimus in Adriaticum mare ſeſe exonerans: & id nominis accepiſſe fertur; quòd *Phaëthon*, qui priùs vocatus ſit *Eridanus*, ac *Phaëthontis* nomen demum ab *incendio* acceperit, ibidem ſubmerſus perhibeatur. Atque idipſum innuere videtur Virgilius Æneid. l. 6, ubi Eridanum fluvium campis Eliſiis inferens, ſic canit: *Supernè*

Plurimus Eridani *per ſilvam volvitur* amnis.

Phaëthon autem Pausaniæ in Laconicis, & Atticis, item Hesiodo in ortu deorum, dicitur *Cephali* juvenis pulcherrimi ex *Aurora*, aliis, ut Lucretio l. 5, Tzetzi Chil. 4, hist. 137, & Ovidio Metam. l. 1, *Solis*, & *Clymenes* filius. Qui irritatus conviciis Epaphi, Inachi illius, quem primum regni Argolici fundamenta jecisse diximus ad signum Tauri, ex filia Io nepotis, & ex nepote Apide, qui Iûs pudicitiæ illuserat, insimul pronepotis, matrem Clymenen querulus adivit; eamque

traderet, oravit, veri sibi signa parentis.

Quippe Epaphus, qui Iovis credebatur filius, negaverat Phaëthontem Sole prognatum, ac dixerat; *Matri,* ut Ovidii verbis utar, *omnia demens*

credis, & es tumidus Genitoris imagine falsi.

Sed mater eum misit ad ipsum Solem: quem accedens Phaëthon, his allocutus est verbis:

Phœbe pater, si das usum mihi nominis hujus,
nec falsâ culpam Clymene sub imagine celat:
pignora da, Genitor, per quæ tua vera propago
credar, & hunc animis errorem detrahe nostris.. &c.

Vbi *Pater Phaëthonti filio*, ut Cicero loquitur in Officiis, *respondit,* imò juxta Ovidium Met. l. 2, ubi fabulam satis fusè, & laxè describit, juravit, *facturum se quicquid optâsset. Optavit autem, ut in currum patris tolleretur. Sublatus est: atque is antequam constitit, ictu fulminis deflagravit. Quanto melius fuerat,* addit idem Cicero, *ei hoc promissum patris non esse servatum.*

Phaëthon enim, dum viæ Solis, & equorum regiminis ignarus, currum solarem temerè regendum aggressus est, ac horrendæ magnitudinis Scorpionem in itinere obvium, & cuspide minitantem formidans, habenas trepidus remisit, equis tum terram versus delapsis insolitum aurigam nec audientibus, nec agnoscentibus, effecisse fingitur, ut Zonæ frigidæ regiones flammis correptæ, insuetum sentientes calorem, pœnè conflagrârint; torridæ contrà gravissimis, insolitisque frigoribus pressæ, penitùs ferè perierint. Vnde Iupiter veritus, ne totus interiret mundus,

in-

intonat, & dextrâ libratum fulmen ab aure
misit in Aurigam: pariterque animâque, rotisque
exuit, & sævis compescuit ignibus ignes.

Atque sic Phaëthon curru paterno in aëre relicto, semiustus in fontes illos Celtarum non procul à Pyrenæis montibus distantes, ut in descriptione orbis testatur Dionysius, cecidisse fertur. Quos *Eridani* postmodùm dictos, adhuc fumos vaporare, & bustum olere testatur Apollonius Argonaut. l. 4. Et hîc fratrem lapsum, cum Horis Iovis ex Themide filiabus, Eunomiâ, Dice, Irene, sive, ut Pausanias in Bœoticis vocat, Carpo, & Thallote, cœli janitricibus & administris, Solis currui equos jungere solitis, luxisse dicuntur nymphæ Phaëthontiades, sive Heliades, Phaëthusa, Lampetie, Pasiphaë ex Sole & Neæra natæ. Quas Homerus l. μ Odyss. antea Solis oves in insula Trinacria pavisse scribit; at nunc luctu, & planctu assiduo ferè consumtas deorum misericordiâ in populos nigras fuisse conversas, indicat Ovidius l. 1 de Ponto:

Vos quoque felices, quarum clamantia fratrem
cortice velavit populûs *ora novo.*

In alnos verò Virgilius in Bucolicis:

Tum Phaëthontiades *musco circundat amaræ*
corticis, atque solo proceras erigit alnos.

Ex harum in arbores sic conversarum lachrymis electrum fingitur ortum traxisse: ut idem indicat Ovidius Metamorph. l. 2:

Inde fluunt lachrymæ: stillataque sole rigescunt
de ramis electra novis; quæ lucidus amnis
excipit, & nuribus mittit gestanda Latinis.

Nisi potiùs electrum apud Celtas, si Artemidoro credimus, ex lachrymis Apollinis natum dicas: ubi indignans Patrem, quòd filium suum Æsculapium, de quo vidimus in Serpentario, fulmine percussisset, ad Hyperboreos mœstus contendit.

Quin & Najades nymphæ fluviatiles Oceani, & Tethyos filiæ, ac Adonidis nutrices, quas Virgilius in 8 Æneidos, omnium fluviorum matres, ac præsides dixit,

cum Ephydriadibus fontium, ut testatur Hermocreon, præsidibus, ibidem Phaëthontem flammis fumantem tumulo dederunt, addito hoc epitaphio:

Hic situs est Phaëthon, *currus auriga paterni:*
quem si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.

Meminere quoque casus Phaëthontæi præter Ovidium in fine l. 1, & initio l. 2 Metam. ac alios modò adductos, Claudianus in 4 Consulatu Honorii, Plinius l. 7. & 37.

Cæterùm hanc fabulam alii historicè, alii physicè, alii ethicè explicant. Historicè Lucianus dial. de Astrologia; ubi ait Phaëthontem primùm observâsse cursum Solis, sed mortuum, antequam incoeptum opus ad finem perduxisset: unde nata sit fabula, quòd Solis currum rexerit, at fulmine dejectus, antequam iter absolvisset, perierit. Simile ferè figmentum habemus de Endymione Elidis rege, Æthlio filio Iovis & Protegeniæ, ex Calice nato: qui cùm eximius esset Astronomus, ac hominibus, ut Lucianus loco adducto, & Plinius l. 2, c. 9, testantur, primus Lunæ cursum ostendisset, adamatus à Luna, antrum ejus in Latmo Cariæ monte intrare solitâ, & cum ea congressus, quinquaginta filias, ut refert Pausanias in Eliacis, suscepisse fingebatur. Vnde Ovidius in Epistola Leandri:

Non sinit Endymion *te pectoris esse severi.*
Fac, subeant animo Latmia saxa tuo.

Rhianus l. 13 Heracleæ, id factum testatur in montibus propè Tarchinem: quos Nicander in Ætolicis, & in 2 Europæ, dictos fuisse ait *Aselinos*; quòd Lunæ lumine per id tempus, quo Luna dormiverit cum Endymione, caruerint. Et de hoc mentionem quoque ingerunt Hesiodus, Acesilaus, Pisander, Pherecydes, Demaratus l. 1 de mutatis nominibus locor. & Theopompus in Europæis; item Cicero in primo Quæst. Tuscul. ubi sic scribit: *Endymion verò, si fabulas audire volumus, nescio quando in Latmo obdormivit, qui mons est Cariæ, nondum opinor experrectus. Num igitur eum curare censes, cùm Luna laboraret, à qua consopitus putatur, ut eum dormientem osculetur?*

tur? Idem ferè habes apud Lucianum in dialogo Veneris, & Lunæ: & Theocritus ecloga 3, felicem æstimare videtur Endymionem, quòd semper dormiret, nec ullas sentiret molestias. Perpetuò autem dormivisse fictus est: quia de die dormivit, adeóque à nemine unquam visus; noctu verò lunam speculabatur. Vnde, quia insimul & rex fuit, qui subjectos suos, uti pastor oves, pascere solet; finxerunt illum pastorem, qui nocturnis pascuis delectaretur, Lunâ gregem ejus pinguefaciente. Quòd denique Iupiter Endymionem in cœlum recepisse, at, cùm Iunonem ille vitiare sit ausus, idolo oblato deceptum, ad inferos detrusisse fingitur: id nihil aliud significat, quàm ejus sublimes speculationes, quibus in cœlum totus quasi raptus; at cùm veram cœlestium rationem perscrutari, eorumque arcana elicere conaretur, antequam se extricare potuerit, oblatâ ejus nonnisi imperfectâ, adeoque falsâ imagine, vitâ sit functus.

Quòd autem Phaëthontem, ut equos nostros paullulùm quoque exspaciatos in ordinem redigamus, in ea cœli, sive viæ solaris parte, quæ est ultima Libræ Scorpionem versus, ubi via perusta dicitur, imprimis aberrâsse finxerunt; id facit quòd suspicer, eximium quendam, ac insolitum, ob certum Planetarum concursum, tum contigisse calorem, ac siccitatem, Sole in extrema parte Libræ sub finem Septembris hærente: quod hominibus eò magis insuetum, quò breviores circa id anni tempus dies, Solisque vires minùs efficaces esse videbantur. Et cùm ejusmodi insolentem siccitatem, ut ex historiis notum, inundationes, & morbi ardentissimi, ac terræ motus, imò tonitrua horribilia plerumque subsequi soleant; fingebant Phaëthontem fulmine ictum, ac semiustum in Eridanum flumen cecidisse, ibique fuisse submersum: & in Eridanum quidem; quia stellarum tam Eridani, quàm Orionis, exortu maxima vis imbrium sæpissime concitatur. Vnde de illo Tullius Aratæa vertens:

Hac etiam Eridanum cernes in parte locatum,

cœli funestum magnis cum viribus amnem.

Quin & pari ratione sororum lachrymas, hoc est, arborum tum nascentium, & lachrymantium succum ex nimio solis æstu coagulatum, ac densatum, in electrum conversum finxerunt. Sed hæc potiùs ad physicam, quàm historiam spectant.

Præterea cognoscimus ex Tzetze hist. 117, Phaëthontem regis cujusdam filium, quem & ipsum Plutarchus in Pyrrho, primum Thesperotorum, & Molossorum, nisi diversus hic fuerit, alii Ligurum regem antiquissimum dicunt, curru propè ripas Padi Celtarum fluvii vectum, in flumen delapsum interiisse: unde sorores fratrem assiduè lugentes, ex nimio mœrore stupidas factas.

Sed cùm veteres Poëtæ ea, quæ in hominum vita, rerumque natura contingunt, unâ sæpe picturâ, obtentis fabularum involucris, exprimere studentes, vera nomina, aliis naturam rei exprimentibus confictis, plerumque deleverint, & ipsi historici conficta sæpe retinuerint; valde operosum est genuinam, ac veram ex iis rerum gestarum elicere hi.*oriam. Atque sic in hac fabula æquè, ac in omnibus aliis, pleraque ficta videmus nomina: & hîc quidem ex principiis physicis. Quippe *Phaëthon* à φαέθω, quod est *fulgeo*, vel *flammas cum ardore spargo*, sic dictus, fingitur filius *Solis* & *Clymenes*, quam à κλύω, hoc est, *cum strepitu inundo*, vel *eluo*, sic appellatam volunt: quia *aqueus vapor*, Phaëthontis, sive ardoris quasi mater, radiis *Solis*, ut patris, è terra extractus, ac postmodum calefactus generare solet *calorem*, sive *ardorem*: ut tempore æstatis, imminentibus præcipuè imbribus, fieri videmus. Atque hinc stellas esse igneas, alique vaporibus vi Solis è terra extractis, ac inflammatis, sensit Anaxagoras, & Heraclitus. Sed huic sententiæ adversari videtur, quòd Iovis stella, quæ gratum spargit calorem, Græcis dicatur *Phaëthon*: ut est apud Ach. Tatium in Isagoge sua, Aristotelem, & Appulejum de Mundo, item in Chronico Alexandrino. Quin & *Cephalus*, quem itidem, ut supra diximus, finxerunt

Phaë-

Phaëthontis ex Aurora matre parentem, idem eſt, ac *Sol*: qui omnium ſtellarum eſt κεφαλή, ſive *caput*, ac princeps; ac cum Aurora rore madidâ congrediens, flammeum luminis procreat calorem, hoc eſt, Phaëthontem.

Verùm altiùs rem examinemus, periculum facturi, an aliud, præter Eridani, verum Phaëthontis nomen poſſimus exquirere. Dionyſius Mil. Argon. l. 1 ſcribit, Æetam, & Perſea Solis, qui vero nomine *Cœus* dictus, & Antiopes, vel Perſeidis, ut Heſiodus, ſive Perſes, ut habet Homerus Odyſſ. κ, Oceano prognatæ filios, illum Colchis, & Meoticis, hunc Tauricæ regioni imperâſſe. Alii nominant quoque Aloëum, cui in Arcadia regionem dederit pater. Æeta enim Circes prioris, teſte Cicerone l. 3 de Nat. Deor. uti & Calypſûs, item Paſiphaës, ut quibuſdam traditum, ex iiſdem frater, Corinthi regno paterno Buno Mercurii filio commiſſo, in Colchidem profectus, inibi, ductâ Idyiâ Oceani filiâ in Colchorum urbe Cyræa, teſte Eumelio, regnavit. Perſeus verò, ut idem Dionyſius addit, duxit Hecaten indigenam, Ariſtæi Pæonis ex Aſterie, ut ſuſpicor, filiam. Vnde nata eſt, teſte Heſiodo, Apollodoro, & Diodoro, altera Hecate virgo animi planè virilis, venationi, medicinæ, & veneficiis addictiſſima: ut traditum ex eodem Dionyſio veteri Scholiaſtæ Apollonii in 3 Argonauticorum; ubi verſu 200, uti & ab Ovidio 7 Metam. ac Senecâ in Medea v. 814, *Perſeis* vocatur, à Perſeo patre. Et hæc eſt illa Hecate junior; quam cum Hecate ſeniore, nempe matre, æquè ac duas illas Circes, uti nos diſtinximus, mirè confundunt: quæque, patre interemto, in Colchidem profecta, Æetæ patruo nupſit; ac illi peperit Medeam, cujus ex capite, ob miram pulchritudinem, ſplendoris radios emicâſſe fingit Orpheus in Argonauticis; & Circen alteram Sarmatarum regi poſtea nuptam; ut habes apud Dionyſiodorum. His addunt quoque fratrem *Abſyrtum* Pacuvio, teſte Cicerone in 3 de Nat. Deor. *Segialeum* dictum: quem Medeâ natu majorem, Æeta ex Caucaſia Aſte-

Asterodia Oceani & Tethyos filia, quæ fortè eadem, ac Idyia, susceperit; ut Epimenides tradidit. Nam & matri Medeæ, quæ ipsa quoque aliter *Angicia*, sive *Anguicia*, dicitur, quòd remedia docuerit contra serpentes, varia tribuunt nomina. Andron in Navigat. & Euphorion appellant *Hecaten*: quæ physicè spectata eadem est, ac Proserpine, & Luna: atque hinc Virgilio vocatur *tergemina*; imò quia luna nocturnum est sidus, fingitur Bacchylidi apud Apollonii Scholiasten in 3, filia *Noctis*, ac Orpheo in Argon. *Tartari*, cùm eadem in tenebris luceat. Ovidius verò in Epist. Helenæ, nominat *Ipseam*; modò dictus Dionysius *Eurylyten*; Heraclides Pontic. *Neæram* Nereidis cujusdam filiam. Quod nomen etiam tribuunt Æetæ matri, sive potiùs novercæ.

Absyrtus autem Colchis ob formæ præstantiam cognomen *Phaëthontis* accepit; ut constat ex Sosibio in reb. Scythic. Atque hinc suspicor fabulas illas de Phaëthonte, & Endymione supra enarratas, ex Absyrti, & Medeæ historia, quam ad signum Argo-navis quoque videbimus, maxima ex parte esse compilatas, ac confictas. Vt scilicet ex Æëta, qui Solis filius, fecerint Solem; ex Absyrto Phaëthontem, sive Solis filium; ex Medea, quæ Hecates sive Lunæ filia, ipsam Lunam; ex Iasone Endymionem. Quippe sicuti Medea tanto amore prosecuta est Iasonem, ut surrepto Æetæ patri, beneficio noctis, aureo vellere, patriàque relicta, cum eo aufugerit; imò ut Absyrtus aufugientem persequens, ab Argonautis, sive ipsa Medea juxta Absyrtides insulas, teste Strabone l. 7, comprehensus, ac discerptus fuit, capite in ponto supra scopulum exposito, ac reliquis membris hinc inde sparsis, quo patris insequentis cursus retardaretur: sic fingitur Luna Endymionem tanto adamâsse desiderio, ut cœlesti patrià relictâ, ac surrepto noctis tempore aureo Solis lumine, in antrum Endymionis aufugerit; imò Phaëthon in Solis curru eam insequens, inde in Eridanum fulmine dejectus, pœnas tulisse gravissimas. Meminit autem Absyrti illius à Medea

Medea discerpti quoque Acusilaus; item Pherecydes l. 7: quamquam ille scripserit Medeam Arsyrtum secum abduxisse; uti & hic, sed in pugna illa littorali captum; eumque postea, cùm pater persequens institerit, dissecuisse, eo in loco, ubi urbs condita sit Tomos ab ea sectione sic dicta. Quod alii factum tradunt in ipsa Æetæ aula: ubi jugulatus sit jussu Medeæ, ne illam persequeretur. Idipsum etiam attingit Cicero pro Lege Manilia, & Ovidius Trist. l. 3, el. 9; ubi hæc legas:

Sed vetus huic nomen, positâque antiquius Vrbe,
constat ab Absyrti cæde fuisse loco.
Nam rate, quæ cura pugnacis facta Minervæ,
per non tentatas prima cucurrit aquas,
impia desertum fugiens Medea parentem,
dicitur his remos applicuisse vadis:
quem procul ut vidit tumulo speculator ab alto,
hospes, ait, nosco Colchide vela, venit.
Dum trepidant Minyæ, dum solvitur aggere funis,
dum sequitur celeres anchora tracta manus;
conscia percussit meritorum pectora Colchis
ausâ atque ausurâ multa nefanda manu,
&, quamquam superest ingens audacia menti,
pallor in attonitæ Virginis ore fuit.
Ergo ubi prospexit venientia vela, tenemur:
&, Pater est aliquâ fraude morandus, ait.
Dum quid agat quærit, dum versat in omnia vultus:
ad Fratrem casu lumina flexa tulit.
Cujus ut oblata est præsentia, vicimus, inquit:
Hic mihi morte suâ causa salutis erit.
Protinus ignari, nec quicquam tale timentis
innocuum rigido perforat ense latus.
Atque ita divellit, divulsaque membra per agros
dissipat in multis invenienda locis;
neu pater ignoret, scopulo proponit in alto
pallentesque manus, sanguineumque caput:
ut Genitor luctuque novo tardetur: & artus
dum legit exstinctos, triste retardet iter.

Inde

Inde Tomos *dictus locus hic; quia fertur in illo*
membra Soror Fratris consecuisse sui.

Atque hæc de *Eridano* amne Italiæ Phaëthontæo sufficiant.

Nunc quoque de *Nilo* Ægypti fluvio videamus. Ille in Scripturis communi vocabulo, ut Genes. c. 15, v. 18, Ies. c. 27, v. 12, κατ' ἐξοχὴν vocatur *nachal Mitzraim*, hoc est, *fluvius Ægypti*; nam *Mitzraim*, sive potiùs *terra Mitzraim*, ex quo fecere Μεςραία apud Eusebium in Chron. denotat Ægyptum: sed Ies. c. 23, v. 3, & Ier. 2, 18, magis proprio *Schichor*, hoc est, *niger*; ut supra diximus. Ex *nachal*, sive *naal*, quod Septuaginta Seniores ποταμὸν, hoc est, *fluvium*, & χειμάῤῥουν, *torrentem*, *fluvium hibernis aquis tumentem* vertunt, Ægyptii cum Syris fecere *Neel*, unde Græcum Νεῖλος, & Latinum *Nilus*; pari ratione, ut Phœnicibus, & aliis ex *Bahal*, sive *Baal*, factum est *Beel*, postea Bel; unde *Belus*. Atque sic *Nilus* non est ex ἰλὺς, hoc est, *limus*, ut habet ex Græculis Christ. Becmanus: sed ex נחל, hoc est, *flumen*: unde quoque *Nuchul*; quemadmodum Æthiopes, teste Mela l. 3, c. 10, Nili fontem apud se, ut proditum Philostrato l. 1 Icon. in Lunæ montibus natum, appellant.

Schichor autem, quod *nigrum* sonat, unde obsoleta Latinorum dictio *scurus*, & adhuc usitata *obscurus*, dictus videtur ob aquam nigricantem, & turbidam: quamobrem & quibusdam propter similem colorem *Aquila* vocatur; ut ad signum Aquilæ monuimus: & veteribus Latinis *Melo*, παρὰ τὸ μέλας. Vel quòd

Ægyptum nigrâ *fœcundet* arenâ,

ut Virgilius 4 Georg. loquitur, hoc est, limo, quem ex partibus ruens austrinis secum advehit, nitrosum regionis solum, ac perpetuis ferè solibus adustum, & compactum obducens, stercoret, atque sic unà, quia pluviâ, quam Ægyptus nescit, id planè non fit, humectans, nigrum reddat, & fœcundum: ut ad signum Canis minoris quoque videbimus. Et hinc est, quòd Nilus Parmenoni Byzantio apud Athenæum dicatur Αἰγύπτιος Ζεῦς, *Iupiter Ægyptius*, quia Ægyptio solo est instar

Iovis

Iovis pluvii; & Philoni libro de profugis, imò ipsis Ægyptiis apud Heliodorum l.9, ἀντίμιμος τοῦ οὐρανοῦ, hoc est, *imitator & æmulus cœli*, quia absque pluvia cœlitus obveniente, induratos ac hiantes plerumque agros irriget, & velut imbre humectet. Nam

Te propter, nullos Tellus tua postulat imbres,
arida nec pluvio supplicat herba Iovi.

Vt Tibullus l. 1, eleg. 7 Nilum alloquitur. Non igitur est, quòd mireris, Ægyptios Nilum divino honore prosecutos fuisse, imò in ipsum cœlum imaginem ejus collocâsse. Quippe absque Nilo quid tota esset Ægyptus? quæ olim magnam partem undis obruta marinis, ut ex Plutarcho constat, Nilo hoc quoque debet, quòd terra sit facta; cùm ille limum quotannis advehens, & aggerens ex partibus austrinis, terram Ægyptiam pedetentim reddiderit altiorem: ut ea progressu temporis supra aquas sese elevârit, mari solum magis & magis fugiente; imò mari jam emersa, ob nimium solis æstum sitiens, ac sterilis, malo huic pluvià non medente, Nilo aquas, & feces inducente irrigetur, ac fœcundetur. Sed de hoc plura dicturi sumus ad Canis majoris signum; item in Ægypto nostra.

Cæterùm alii, imprimis autem Poëtæ, huic fluvio cœlesti multò plura tribuunt nomina: & hi quidem plerumque jocandi, ludendique causâ. Sic nos aliquando lusimus ad *Rosimundam Adriaticam*:

Nim an/ mein Lieb/ die liebes-zeichen/
die Dir mein währtes Vaterland/
zusamt dem Himmel/ itzt wil reichen/
mit treu-geneugter liebes-hand.
Brich auf; und wähle deinen sitz/
wo Dir aufgeht so heller blitz.

Der tag wird licht/ die wolken brechen;
sein glantz vertreibt den bangen graus.
Mein Meissen bildt sein liebliches sprechen
noch tausendmahl so lieblich aus.

Das

Das Böhmer-kind/ die Mulde/ steht;
weil ihr ein neues Licht aufgeht.
Auch sternt/ dünkt mich/ ihr bild am himmel/
mit gold/ und rosen ausgeziert:
da winkt ihr liebliches stern-gewimmel
dem Schwane/ der dein stern-bild führt.
Des Riesen fuß streicht ihren mund;
der Fönix ihren ersten grund.
So leucht sie Dir zu deiner reise/
mit vierzig lampen durch die nacht.
Die rosen blühen hauffen-weise/
es regnet gold/ die Sonne lacht;
gleich da das Licht die Lieb' ümfing/
und dich/ mein Lieb/ zu bilden ging. &c.

Nempe aurum quoque pluiſſe,roſaſque,ac lilia floruiſſe fabulati ſunt, cùm Sol in inſula Rhodo cum Venere congreſſus eſt; unde nata ſit *Rhodos,* quod *Roſam* ſignificat.

Similiter in Belgico modulati ſumus de Foſſa Corbulonis, vulgò *Lecca,* quæ Rheni eſt brachium:

Zoete Rijn, *met vocht van druiven*
gantſch doorzuikert, die ghy lekt
Batoos Eyland, en komt ſnuiven
langs de beemden, daar u trekt
tot gehoorzaamheit en plicht
Breeroôs kriekend Morgen-licht;
waarom vloeyt uw ſtroom veel zachter,
als hy komt by Batoos Wachter?
Wat magneets-kracht voedt Viane,
dat ghy dus verlieſt beſwijkt?
Is het Breeroôs Wapens-vane,
van triomfen zo berijkt?
oft de ſchoonheit van zo veel
haarer Dochters, zoet en eêl?
Ia die is het, die komt blaken,
V, en uwen ſtroom te ſtaken.

Want

Want de dappre Brederoeden
uit een grijze Vorstenstam ,
ziet men zulke telgen voeden ,
die door eene zoete vlam ,
door een zoet bekoorlijk oogh ,
als de vluxe minne-boogh ,
Werelts-dwinger zelfs bedwingen ,
en de Zege-vane swingen. &c.

Deze, dunkt my, zijn alheden ,
schone Rijn, *in u verzet ,*
aan den Hemel, van beneden ,
onderdaan der starre wet ;
daarze blinken in de Vliet ,
die ghy zijt, en Padus *niet :*
daarom straalt nu ook uw luister
meer, als vooren, door het duister.

Denique pro *Nilo*, nonnulli in cœlum locant *Menum* , Germaniæ fluvium : eò fortè , quòd Μέν⊙ , æquè ac Νεῖλ⊙ , integrum anni contineat numerum ; nempe CCC LXV , quot sunt in anno dies. Vnde & Nilus cum Osiride , sive Sole , qui cursu suo annuo totidem conficit dies, sociato cultu ab Ægyptiis honoratus, imò ipse quoque *Osiris* , sive *Siris* est dictus : ut ad Signum Canis majoris videbimus. Numerum autem illum ex Νεῖλ⊙ sic colligas : ν, L. ε, V. ι, X. λ, XX. ο, LXX. ς, CC : & ex Μέν⊙ : μ, XL. ε, V. ν, L. ο, LXX. σ, CC.

Sed substituamus hisce fluminibus maximam partem fabulosis pòtiùs *Iordanum* multis miraculis celeberrimum , ex Ios. c. 3, v. 15, & 16 : vel, si magis arridet, *Transitum Israëlitarum per mare rubrum*, Exodi c. 14, v. 16, 21, 22, & 29.

III. ORION; der Riese / der Heun / das Riesen- oder Reussen-gestirn ;

Catullo *Oarion* , nonnullis *Vrion* , item *Arion, Hyriades, Hyeriades,* Lycophroni *Tripater* , aliis

Q Can-

Candaon; ſecundùm Arabes *Heros*, *audax*, *furioſus*, *ſublimatus*, *fortis*, ſive *Bellator fortiſſimus*, Nautis Hollandis *Gigas*, **De Reuſe**; aliis *Venator*; Dianæ comes, & amaſius; Varroni *Iugula*: Græcè Ὠρίων, Ὠαρίων, Οὐρίων: Arabicè *Elgebar*, *Algebar*, *Algebra*, Schickardo *Algebaro*, id eſt, *Heros*, *fortiſſimus*; item *Sugia*, *Aſugia*, Schickardo *Aſſchagio*, id eſt, *audax*, *furibundus*; & *Geuſe*, *Algeuſe*, tergeminæ capitis ſtellæ, nebuloſæ non abſimili, aliàs proprium, Schick. *Algauſa*, hoc eſt, *Nux*; quibuſdam *Ragulon*, id eſt, *vir*; aliis *keſil*, Ebraicè כסיל *cheſil*. Nocte mediâ meridianum accedit, menſe Decembri: ac in globo noſtro complectitur ſtellas 53.

Poſtellus numerat tantummodo 38: *Bayerus autem* 44; *quarum una in humero, & itidem una in dextro pede, primæ magnitudinis*; 4 *ſecundæ*; *rurſus* 4 *tertiæ, quas inter tres illæ in cingulo erectæ* Baculus Iacobi *dicuntur*; 16 *quartæ*; 11 *quintæ*; & 12 *ſextæ*. *Tres tantùm, nempe trium in capite conjunctarum ſuperior, & media, ſive auſtralior, ac illa in humero ſiniſtro lucida rubeſcens* ♂, & ☿ *imitantur naturam*; *cæteræ omnes* ♃, & ♄.

Orion cœleſtis, cujus mentionem ingerit Iob c. 9, v. 9, Eſ. c. 13, v. 10, & Amos c. 5, v. 8, è regione Vrſæ, Homero teſte, poſitus, in manu ſiniſtra clypei vice gerit λεοντῆν, h. e. *exuvias leonis*, aliis *bovis*; ac Poëtis fingitur *enſifer*, & *claviger*; item *aſpectu horribilis*, quòd nautis terrorem incutiat, maria tempeſtatibus turbans. In ejus capite, ubi Ptolemæus ab antiquioribus in aſteriſmis valdè recedens, νεφελοειδῆ tantùm collocat, conſpiciuntur tres parvæ, claræ tamen, ſtellæ, inſtar trium nucum in ludo puerili, diſpoſitæ; unde etiam *Nux*, ſive *Iuglans*, aliis *Stella jugula*, vocantur: ac totidem in meditullio corporis, ſive baltheo, vel cingulo; unde *Cingulum Orionis* dictæ, aliis *Baculus Iacobi*, **der Jacobs-ſtab**, item *Tres Reges*, **die drei Könige**, in memoriam ſcilicet Sabæorum.

In

In humero verò finiſtro, ſive, ut Clavius habet, dextro, eſt lucida rubeſcens, Arabicè *Bet-Elgeuze*, vel *Bed-elgeuſe*, id eſt, *axilla Orionis* dicta; quam Aratus τὰ γλήνεα, id eſt, *pupillam*, ſive *imagunculam*, alii *Bellatorem* vocant: denique in pede dextro, Clavio & Tychoni ſiniſtro, extrema Iovialis, Arabibus *Keſil* dicta, aliter *Rigel*, vel *Regel*, Schickardo *Riglon*, quod *pedem* ſignificat; item κατ' ἐξοχὴν *Elgebar*. Et hæc ſtella juxta Clavium, & alios Eridano communis, κοινὸς ὁ ὠρίωνος, καὶ ὁ ποταμοῦ ἀστήρ.

De ortu verò, & parentibus *Orionis* hujus mirè inter ſe diſcrepare videntur ſcriptores. Dorion enim in libro de piſcibus, & Heſiodus in Theogonia dixere filium Neptuni & Brylles Minois filiæ; Pherecydes, & Apollodorus l. 1 Bibliothecæ, Neptuni & Euryales; Tzetzes in Heſiodum, Hyriei & ejuſdem Brylles, alii Coloniæ; Nicandri verò Scholiaſtes Ortei. Sed ſuſpicor Orionis patrem, Neptuno & Halcyone Atlantis filiâ, teſte Euphorione, prognatum, vero nomine appellatum fuiſſe *Hyrieum*, ſive *Orteum*; quem poſtea in Deorum numerum receptum itidem *Neptunum* vocârunt; æquè ac ipſe Orion, cui Candiopen quoque ſororem addiderunt, Bœotis primùm *Candaon*, teſte Lycophrone, dictus, poſtea quoque nomen *Orionis* accepit.

Orionem autem dictum volunt quaſi *Vrionem*; quia ex trium deorum, nempe Iovis, Mercurii ſive, ut Iſacius mavult, Apollinis, & Neptuni *Vrina* quaſi ſit natus; unde & Lycophroni *Tripater* vocatur: alii ab ὥρα, quòd ſignificet differentias temporum anni, ver, æſtatem, &c. Quippe auditor fuit Atlantis ejus, qui doctrinam de motibus cœleſtibus, & ſtellis ex Libya in Græciam tranſtulit: & fortè idem tentavit in Aſtronomicis, ac in præcedenti ſigno memoratus Endymion. Hinc quoque Poëtæ eodem modo raptum finxerunt à Diana, ſive Luna, ſive, ut ait Homerus l. 5 Odyſſ. ab Aurora, ad concubitum. Imò nec aliunde eſt, quod Pleiades Atlantis ex Pleione Oceani filias, unà cum matre, per quinquennium in Bœotia perſecutus fingatur: ut ad Signum Tauri innuimus.

Fabulam verò de ejus nativitate sic enarrat Euphorion : *Hyrieus Neptuni, & Halcyones filius, quæ una fuit ex filiabus Atlantis, aliquando in Tanagra civitate Bœotiæ habitavit. Cùm verò benignus esset adversus hospites, Dii quoque dicuntur in ejus hospitium accessisse. Ac inter hos Iupiter, & Neptunus, & Mercurius ab illo liberaliter excepti, ejusque benignitate delectati proposuere, ut quodcunque vellet peteret. Icircò cùm nullos haberet filios, filium poposcit. Tum Dii pellem bovis sibi capientes, in ipsam semen profuderunt, jusseruntque illam sub terram occultare, nec ante decimum mensem aperire. Quo peracto natus est* Vrion : *qui sic vocatus est, quod Dii quasi minxissent. Sed ad devitandam vocis turpitudinem postea dictus fuit* Orion. Hæc ille. Atque sic sine matre natum ipse pater, ut alii tradunt, vocavit *Vriona*; ex quo, mutatione primæ literæ, factum est *Orion*. Vnde apud Ovidium l. 5 Fastorum, ubi integram fabulam satis prolixè descripsit, inter alia hæc legas:

Hunc Hyreus, quia sic genitus, vocat Vriona :
perdidit antiquum littera prima sonum.

Quin & Nicander Ὠαρίων dixit; item Catullus in hoc versu:

Proximus Hydrochoo fulgeat Oarion.

Vbi notandum appellationes ejusmodi asterismorum Græcas valde antiquas esse; quia earum usus non modò est apud Sophoclem,& Euripidem, sed Hesiodum quoque, & Homerum scriptores Græciæ antiquissimos. Et easdem, tanquam receptas, retinuerunt LXX Interpretes, uti & Latinus; quia alia vocabula non suppeterent. Imò Orionis vocabulo ipsum quoque Lutherum in versione Germanica usum esse videmus.

Cæterùm Orion ex physicis rationibus in tantam excrevisse fingitur magnitudinem, ut per profundissimum mare incederet humeris extantibus. Vnde Virgilius Æneid. l. 10 : — *Quàm magnus* Orion,

cùm pedes incedit medii per maxima Nerei
stagna, viam scindens humero supereminet undas:
aut summis referens annosam montibus ornum,
ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.

Fuit

Fuit etiam, Homero teſte, ſi hiſtoricè ſpectes, maximus, & proceriſſimus ævi ſui. Atque ſic utrumque hemiſphærium obſidens, ſecundùm longitudinem obtinere dicitur partes ſeptendecim; ſecundùm latitudinem verò triginta. Hinc Manilius in Sphæra barbarica:

— Orion magni pars maxima cœli.

Et Pindarus in Iſthmiis φύσιν Ὠριωνείαν, pro *immani corpulentia,* dixit. Videatur de hoc Turn. l. 27, c.28. Alii tamen dicunt id muneris à patre Neptuno impetràſſe, ut tam ſuper undas, quàm ſuper terram poſſet incedere: quod æquè ad phyſicam ſpectat.

Porrò in inſula Creta venationi, hoc eſt, Lunæ ſtellarumque contemplationi, ut ego hiſtoricè interpretor, operam dediſſe fertur: unde Ovidius Faſt. l. 5:

Comitem ſibi Delia ſumſit.
Ille Deæ cuſtos, ille ſatelles erat.

Sed cùm viribus ſuis nimium fidens, inter venandum cum Latona & Diana, gloriaretur, nullum à terra monſtrum produci, quod non conficeret; terra ipſa, juſſu Dianæ, peperiſſe fertur Scorpionem, à quo graviſſimè vulneratus periit: ut eſt apud Ovidium Met. l. 9, & loco adducto, item Corinnum; qui Orionem Tanagræum fuiſſe ſcribit. Et apud Tanagræos quoque ſepultum tradidit Pauſanias in Bœoticis.

Alii tamen malunt, Dianam ſcorpionem è terra contra eùm excitàſſe, quòd ejus pudicitiæ vim inferre conatus ſit; ut ex Ampelio, & Euphorione ad Signum Scorpionis indicavimus. Et Nicander in Theriacis ait id factum eſſe, quòd impuris manibus peplum Dianæ apprehenderit; hoc eſt, curſum ac operationes Lunæ perſcrutari, ac mortalibus revelare conatus ſit: ut ego hæc hiſtoricè interpretor; imò inſimul & ſuſpicor illum ſpeculatione Lunæ aſtrorumque jam defatigatum, ſole in Scorpionis Signo hærente, deceſſiſſe, æquè ac Phaëthontem, de quo in præcedenti vidimus Signo. Mortui verò Diana, cujus quondam gratiſſimus fuerat ſocius, demum miſerta, Iovem oràſſe fertur, ut unà cum Scorpio, inter aſtra reciperetur: ubi ſtricto gladio in

Taurum quasi insurgens, ac propinquas in eo Pleiades adhuc insequens, oppositum habet Scorpionem, eumque ex eodem hemisphærio semper fugere videtur.

Verùm Diocles in pharmacis lethiferis fabulam hanc paullò aliter enarrat. Quippe Orionem puerum insigni formâ, ait, Dianam (*Lunam* puta) adamâsse: quæ etiam illi nubere decreverat. Id cùm frater Apollo, sive Sol, graviter tulisset, ac advenientis Orionis caput ex unda prominens vidisset, callidè ad eam dixisse, quòd in arte jaculatoria, sive sagittaria non ita perfecta sit, ut certam directè possit attingere metam; atque unà ei monstrâsse caput Orionis: quod illa haud cognoscens, ostentandæ artis studio accensa, statim ictu sagittæ, (vaporibus, puta, venenatis ac morbiferis congregatis radiis) percusserit, atque ita Amasium nescia interemerit. At Horatius proprio instinctu id fecisse scribit, ob tentatam pudicitiam suam; sive potiùs, ut Apollodorus ait l. 1, ob zelotypiam, cùm Opis unius è virginibus Deæ pedissequis amore correptus, eam stuprare sit ausus.

Atque sic hanc fabulam tam variè videmus contextam, ac compilatam: nempe quæ ex vera historia, commistis physicis rationibus, conficta. Quippe ipse *Orion*, ut hoc ex physicis quoque addamus, ex semine *Iovis*, *Apollinis*, & *Neptuni* in bovis pellem incluso natus, non aliud significare videtur, quàm ventorum, pluviarum, & tonitruum vaporosam materiam ex *Aëris, Solis*, & *Maris* viribus commistis genitam: quam Lunæ vis postea congregat, & radiis suis in imbres, ac ventos convertit. Sanè circa Orionis cœlestis exortum frequentes deprehenduntur pluviæ, venti, & tonitrua: quod experientia testatur. Et illas fortè vaporosas exhalationes quoque respexit Nicander, cùm Orioni impuras attribuit manus, quibus peplum Dianæ apprehenderit; ut modò vidimus. Item illi, qui fingunt eum supra aquas pariter ac terram incedere, imò caput inter nubila condere.

Sed intelligamus hîc potiùs, si placet, per Orionem Gigantem, *Iacobum Patriarcham cum Filio DEi colluctantem, & victoriam consequentem*, Genes. c.32, v.24, & 28: sive

five *Iofuam*, Mofis adminiftrum, & fucceſſorem, potentiſſimum illum populi Iſraëlitici ducem, Deut. c. 34, v. 9, Iof. c. 1; v. 5, &c.

IV. LEPUS; der Haſe/ das Haſen-geſtirn;

Levipes, Plinio *Daſypus*, Virgilio Georg. l. 1, *auritus:* Græcè Λαγωὸς, five Λαγὼς; Suidæ Δαούπυς, id eſt, *hirtipes*; Δαχύπυς, h. e. *pedibus celer*; Polluci Πτὼξ, h. e. *timidus*, Siculis Λέποpις, quod illi, contra quàm Quintilianus voluit, à Romanis, unde Siculorum ex parte populus, cum lingua, ortum traxiſſe fertur, mutuati ſunt; Nicandro Δερκύλνης, hoc eſt, *apertis oculis dormiens*; Lacedæmoniis Ταχύνας, vel Ταχύνης Hefychio: Ebraicè הארנבת : Arabicè *Harneb*, *Elarneb*, quibufdam *Alarnebet*, Schickardo *Alarnebo*, quod eſt *lepus*. Sub Meridiano nocte mediâ latitat, menſe Decembri : & complectitur in globo noſtro 13 ſtellas.

Poſtello ſunt 12: *Bayero autem iidem* 13; *quarum* 4 *tertiæ magnitudinis*; 4 *quartæ*; 4 *quintæ, & una ſextæ, omnes partim* ♄, *partim* ☿ *complexionem imitantes.*

Lepus Sacerdotibus Ægyptiis eſt hieroglyphicum viſus, & auditus acutiſſimi, eóque vigilantiæ; aliis item prudentiæ, fœcunditatis, venuſtatis, effeminationis, celeritatis, formidinis, ac ſolitudinis.

Vt *vigilantiæ* ſignum apud Ægyptios pictum tradit Calliſtratus apud Platonem Symp. l. 4, c. 8, item Plinius l. 11, c. 37: ac cauſam addit Horus, quòd ſcilicet oculis apertis dormiat; ſive, ut Xenophon ait, palpebris clauſis vigilet, adapertis dormiat: unde adagium, *Leporinus ſomnus*. Et Plutarchus prodit per Leporis picturam *auditum* quoque ab Ægyptiis hieroglyphικῶς intelligi. Quippe aures omnium animalium, ſi propor-

Das Böhmer-kind/ die Mulde/ steht;
weil ihr ein neues Licht aufgeht.

Auch sternt/ dünkt mich/ ihr bild am himmel/
mit gold/ und rosen ausgeziert:
da winkt ihr liebliches stern-gewimmel
dem Schwane/ der dein stern-bild führt.
Des Riesen fuß streicht ihren mund;
der Fönix ihren ersten grund.

So leucht sie Dir zu deiner reise/
mit vierzig lampen durch die nacht.
Die rosen blühen hauffen-weise/
es regnet gold/ die Sonne lacht;
gleich da das Licht die Lieb' ümfing/
und dich/ mein Lieb/ zu bilden ging. &c.

Nempe aurum quoque pluisse,rosasque,ac lilia floruisse fabulati sunt, cùm Sol in insula Rhodo cum Venere congressus est; unde nata sit *Rhodos*, quod *Rosam* significat.

Similiter in Belgico modulati sumus de Fossa Corbulonis, vulgò *Lecca*, quæ Rheni est brachium:

Zoete Rijn, *met vocht van druiven*
gantsch doorzuikert, die ghy lekt
Batoos Eyland, en komt snuiven
langs de beemden, daar u trekt
tot gehoorzaamheit en plicht
Breëroôs kriekend Morgen-licht;
waarom vloeyt uw stroom veel zachter,
als hy komt by Batoos Wachter?

Wat magneets-kracht voedt Viane,
dat ghy dus verlieft beswijkt?
Is het Breëroôs Wapens-vane,
van triomfen zo berijkt?
oft de schoonheit van zo veel
Haarer Dochters, zoet en eêl?
Ia die is het, die komt blaken,
V, en uwen stroom te staken.

Want

Want de dappre Brederoeden
uit een grijze Vorstenstam ,
ziet men zulke telgen voeden ,
die door eene zoete vlam ,
door een zoet bekoorlijk oogh ,
als de vluxe minne-boogh ,
Werelts-dwinger zelfs bedwingen ,
en de Zege-vane swingen. &c.

Deze, dunkt my, zijn alheden ,
schone Rijn, *in u verzet ,*
aan den Hemel, van beneden ,
onderdaan der starre wet ;
daarze blinken in de Vliet ,
die ghy zijt, en Padus *niet :*
daarom straalt nu ook uw luister
meer, als vooren, door het duister.

Denique pro *Nilo* , nonnulli in cœlum locant *Menum* , Germaniæ fluvium : eò fortè , quòd Μένος , æquè ac Νεῖλος , integrum anni contineat numerum ; nempe CCC LXV , quot sunt in anno dies. Vnde & Nilus cum Osiride , sive Sole , qui cursu suo annuo totidem conficit dies, sociato cultu ab Ægyptiis honoratus, imò ipse quoque *Osiris* , sive *Siris* est dictus : ut ad Signum Canis majoris videbimus. Numerum autem illum ex Νεῖλος sic colligas : ν, L. ε, V. ι, X. λ, XX. ο, LXX. ς, CC : & ex Μένος : μ, XL. ε, V. ν, L. ο, LXX. ς, CC.

Sed substituamus hisce fluminibus maximam partem fabulosis potiùs *Iordanum* multis miraculis celeberrimum , ex Ios. c. 3, v. 15, & 16 : vel, si magis arridet, *Transitum Israëlitarum per mare rubrum*, Exodi c. 14, v. 16, 21, 22, & 29.

III. ORION; der Riese / der Heun / das Riesen- oder Reussen-gestirn ;

Catullo *Oarion* , nonnullis *Vrion* , item *Arion, Hyriades, Hyeriades,* Lycophroni *Tripater* , aliis

Candaon; secundùm Arabes *Heros*, *audax*, *furiosus*, *sublimatus*, *fortis*, sive *Bellator fortissimus*, Nautis Hollandis *Gigas*, **de Reuse**; aliis *Venator*; Dianæ comes, & amasius; Varroni *Iugula*: Græcè Ὠρίων, Ὠαρίων, Οὐρίων: Arabicè *Elgebar*, *Algebar*, *Algebra*, Schickardo *Algebaro*, id est, *Heros*, *fortissimus*; item *Sugia*, *Asugia*, Schickardo *Asschagio*, id est, *audax*, *furibundus*; & *Geuse*, *Algeuse*, tergeminæ capitis stellæ, nebulosæ non absimili, aliàs proprium, Schick. *Algausa*, hoc est, *Nux*; quibusdam *Ragulon*, id est, *vir*; aliis *kesil*, Ebraicè כסיל *chesil*. Nocte mediâ meridianum accedit, mense Decembri: ac in globo nostro complectitur stellas 53.

Postellus numerat tantummodo 38: *Bayerus autem* 44; *quarum una in humero, & itidem una in dextro pede, primæ magnitudinis*; 4 *secundæ*; *rursus* 4 *tertiæ, quas inter tres illæ in cingulo erectæ* Baculus Iacobi *dicuntur*; 16 *quartæ*; 11 *quintæ*; & 12 *sextæ*. *Tres tantùm, nempe trium in capite conjunctarum superior, & media, sive australior, ac illa in humero sinistro lucida rubescens* ♂, & ☿ *imitantur naturam*; *cæteræ omnes* ♃, & ♄.

Orion cœlestis, cujus mentionem ingerit Iob c. 9, v. 9, Es. c. 13, v. 10, & Amos c. 5, v.8, è regione Vrsæ, Homero teste, positus, in manu sinistra clypei vice gerit λεοντῆν, h. e. *exuvias leonis*, aliis *bovis*; ac Poëtis fingitur *ensifer*, & *claviger*; item *aspectu horribilis*, quòd nautis terrorem incutiat, maria tempestatibus turbans. In ejus capite, ubi Ptolemæus ab antiquioribus in asterismis valdè recedens, νεφελοειδῆ tantùm collocat, conspiciuntur tres parvæ, claræ tamen, stellæ, instar trium nucum in ludo puerili, dispositæ; unde etiam *Nux*, sive *Iuglans*, aliis *Stella jugula*, vocantur: ac totidem in meditullio corporis, sive baltheo, vel cingulo; unde *Cingulum Orionis* dictæ, aliis *Baculus Iacobi*, **der Jacobs-stab**, item *Tres Reges*, **die drei Könige**, in memoriam scilicet Sabæorum.

In

In humero verò ſiniſtro, ſive, ut Clavius habet, dextro, eſt lucida rubeſcens, Arabicè *Bet-Elgeuze*, vel *Bed-elgeuſe*, id eſt, *axilla Orionis* dicta; quam Aratus τὰ γλήνεα, id eſt, *pupillam*, ſive *imagunculam*, alii *Bellatorem* vocant: denique in pede dextro, Clavio & Tychoni ſiniſtro, extrema Iovialis, Arabibus *Keſil* dicta, aliter *Rigel*, vel *Regel*, Schickardo *Riglon*, quod *pedem* ſignificat; item κατ' ἐξοχὴν *Elgebar*. Et hæc ſtella juxta Clavium, & alios Eridano communis, κοινὸς τοῦ ὠρίωνος, καὶ τοῦ ποταμοῦ ἀστήρ.

De ortu verò, & parentibus *Orionis* hujus mirè inter ſe diſcrepare videntur ſcriptores. Dorion enim in libro de piſcibus, & Heſiodus in Theogonia dixere filium Neptuni & Brylles Minois filiæ; Pherecydes, & Apollodorus l. 1 Bibliothecæ, Neptuni & Euryales; Tzetzes in Heſiodum, Hyriei & ejuſdem Brylles, alii Coloniæ; Nicandri verò Scholiaſtes Ortei. Sed ſuſpicor Orionis patrem, Neptuno & Halcyone Atlantis filiâ, teſte Euphorione, prognatum, vero nomine appellatum fuiſſe *Hyrieum*, ſive *Orteum*; quem poſtea in Deorum numerum receptum itidem *Neptunum* vocârunt; æquè ac ipſe Orion, cui Candiopen quoque ſororem addiderunt, Bœotis primùm *Candaon*, teſte Lycophrone, dictus, poſtea quoque nomen *Orionis* accepit.

Orionem autem dictum volunt quaſi *Vrionem*; quia ex trium deorum, nempe Iovis, Mercurii ſive, ut Iſacius mavult, Apollinis, & Neptuni *Vrina* quaſi ſit natus; unde & Lycophroni *Tripater* vocatur: alii ab ὥρα, quòd ſignificet differentias temporum anni, ver, æſtatem, &c. Quippe auditor fuit Atlantis ejus, qui doctrinam de motibus cœleſtibus, & ſtellis ex Libya in Græciam tranſtulit: & fortè idem tentavit in Aſtronomicis, ac in præcedenti ſigno memoratus Endymion. Hinc quoque Poëtæ eodem modo raptum finxerunt à Diana, ſive Luna, ſive, ut ait Homerus l. 5 Odyſſ. ab Aurora, ad concubitum. Imò nec aliunde eſt, quod Pleiades Atlantis ex Pleione Oceani filias, unà cum matre, per quinquennium in Bœotia perſecutus fingatur: ut ad Signum Tauri innuimus.

Fabulam verò de ejus nativitate sic enarrat Euphorion: *Hyrieus Neptuni, & Halcyones filius, quæ una fuit ex filiabus Atlantis, aliquando in Tanagra civitate Bœotiæ habitavit. Cùm verò benignus esset adversus hospites, Dii quoque dicuntur in ejus hospitium accessisse. Ac inter hos Jupiter, & Neptunus, & Mercurius ab illo liberaliter excepti, ejusque benignitate delectati proposuere, ut quodcunque vellet peteret. Iccircò cùm nullos haberet filios, filium poposcit. Tum Dii pellem bovis sibi capientes, in ipsam semen profuderunt, jusserunt que illam sub terram occultare, nec ante decimum mensem aperire. Quo peracto natus est* Vrion: *qui sic vocatus est, quod Dii quasi minxissent. Sed ad devitandam vocis turpitudinem postea dictus fuit* Orion. Hæc ille. Atque sic sine matre natum ipse pater, ut alii tradunt, vocavit *Vriona*; ex quo, mutatione primæ literæ, factum est *Orion*. Vnde apud Ovidium l. 5 Fastorum, ubi integram fabulam satis prolixè descripsit, inter alia hæc legas:

Hunc Hyreus, quia sic genitus, vocat Vriona:
perdidit antiquum littera prima sonum.

Quin & Nicander Ὠαρίον dixit; item Catullus in hoc versu:

Proximus Hydrochoo fulgeat Oarion.

Vbi notandum appellationes ejusmodi asterismorum Græcas valde antiquas esse; quia earum usus non modò est apud Sophoclem, & Euripidem, sed Hesiodum quoque, & Homerum scriptores Græciæ antiquissimos. Et easdem, tanquam receptas, retinuerunt LXX Interpretes, uti & Latinus; quia alia vocabula non suppeterent. Imò Orionis vocabulo ipsum quoque Lutherum in versione Germanica usum esse videmus.

Cæterùm Orion ex physicis rationibus in tantam excrevisse fingitur magnitudinem, ut per profundissimum mare incederet humeris extantibus. Vnde Virgilius Æneid. l. 10: --- *Quàm magnus* Orion,
cùm pedes incedit medii per maxima Nerei
stagna, viam scindens humero supereminet undas:
aut summis referens annosam montibus ornum,
ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.

Fuit

Fuit etiam, Homero teste, si historicè spectes, maximus, & procerissimus ævi sui. Atque sic utrumque hemisphærium obsidens, secundùm longitudinem obtinere dicitur partes septendecim; secundùm latitudinem verò triginta. Hinc Manilius in Sphæra barbarica:

— Orion magni pars maxima cœli.

Et Pindarus in Isthmiis φύσιν Ὠριωνείαν, pro *immani corpulentia,* dixit. Videatur de hoc Turn. l. 27, c.28. Alii tamen dicunt id muneris à patre Neptuno impetrâsse, ut tam super undas, quàm super terram posset incedere: quod æquè ad physicam spectat.

Porrò in insula Creta venationi, hoc est, Lunæ stellarumqne contemplationi, ut ego historicè interpretor, operam dedisse fertur: unde Ovidius Fast. l. 5:

Comitem sibi Delia sumsit.
Ille Deæ custos, ille satelles erat.

Sed cùm viribus suis nimium fidens, inter venandum cum Latona & Diana, gloriaretur, nullum à terra monstrum produci, quod non conficeret; terra ipsa, jussu Dianæ, peperisse fertur Scorpionem, à quo gravissimè vulneratus periit: ut est apud Ovidium Met. l. 9, & loco adducto, item Corinnum; qui Orionem Tanagræum fuisse scribit. Et apud Tanagræos quoque sepultum tradidit Pausanias in Bœoticis.

Alii tamen malunt, Dianam scorpionem è terra contra eùm excitâsse, quòd ejus pudicitiæ vim inferre conatus sit; ut ex Ampelio, & Euphorione ad Signum Scorpionis indicavimus. Et Nicander in Theriacis ait id factum esse, quòd impuris manibus peplum Dianæ apprehenderit; hoc est, cursum ac operationes Lunæ perscrutari, ac mortalibus revelare conatus sit: ut ego hæc historicè interpretor; imò insimul & suspicor illum speculatione Lunæ astrorumque jam defatigatum, sole in Scorpionis Signo hærente, decessisse, æquè ac Phaëthontem, de quo in præcedenti vidimus Signo. Mortui verò Diana, cujus quondam gratissimus fuerat socius, demum miserta, Iovem orâsse fertur, ut unà cum Scorpio, inter astra reciperetur: ubi stricto gladio in

Taurum quasi insurgens, ac propinquas in eo Pleiades adhuc insequens, oppositum habet Scorpionem, eumque ex eodem hemisphærio semper fugere videtur.

Verùm Diocles in pharmacis lethiferis fabulam hanc paullò aliter enarrat. Quippe Orionem puerum insigni formâ, ait, Dianam (*Lunam* puta) adamâsse: quæ etiam illi nubere decreverat. Id cùm frater Apollo, sive Sol, graviter tulisset, ac advenientis Orionis caput ex unda prominens vidisset, callidè ad eam dixisse, quòd in arte jaculatoria, sive sagittaria non ita perfecta sit, ut certam directè possit attingere metam; atque unà ei monstrâsse caput Orionis: quod illa haud cognoscens, ostentandæ artis studio accensa, statim ictu sagittæ, (vaporibus, puta, venenatis ac morbiferis congregatis radiis) percusserit, atque ita Amasium nescia interemerit. At Horatius proprio instinctu id fecisse scribit, ob tentatam pudicitiam suam; sive potiùs, ut Apollodorus ait l. 1, ob zelotypiam, cùm Opis unius è virginibus Deæ pedissequis amore correptus, eam stuprare sit ausus.

Atque sic hanc fabulam tam variè videmus contextam, ac compilatam: nempe quæ ex vera historia, commistis physicis rationibus, conficta. Quippe ipse *Orion*, ut hoc ex physicis quoque addamus, ex semine *Iovis*, *Apollinis*, & *Neptuni* in bovis pellem incluso natus, non aliud significare videtur, quàm ventorum, pluviarum, & tonitruum vaporosam materiam ex *Aëris, Solis, & Maris* viribus commistis genitam: quam Lunæ vis postea congregat, & radiis suis in imbres, ac ventos convertit. Sanè circa Orionis cœlestis exortum frequentes deprehenduntur pluviæ, venti, & tonitrua: quod experientia testatur. Et illas fortè vaporosas exhalationes quoque respexit Nicander, cùm Orioni impuras attribuit manus, quibus peplum Dianæ apprehenderit; ut modò vidimus. Item illi, qui fingunt eum supra aquas pariter ac terram incedere, imò caput inter nubila condere.

Sed intelligamus hîc potiùs, si placet, per Orionem Gigantem, *Iacobum Patriarcham cum Filio DEi colluctantem, & victoriam consequentem*, Genes. c.32, v.24, & 28: sive

ſive *Ioſuam*, Moſis adminiſtrum, & ſucceſſorem, potentiſſimum illum populi Iſraëlitici ducem, Deut. c. 34, v. 9, Ioſ. c. 1; v. 5, &c.

IV. LEPUS; der Haſe/ das Haſen-geſtirn;

Levipes, Plinio *Daſypus*, Virgilio Georg. l. 1, *auritus*: Græcè λαγωὸς, ſive λαγὼς; Suidæ Δασύπους, id eſt, *hirtipes*; Δαχύπους, h. e. *pedibus celer*; Polluci Πτὼξ, h. e. *timidus*, Siculis λέποϱις, quod illi, contra quàm Quintilianus voluit, à Romanis, unde Siculorum ex parte populus, cum lingua, ortum traxiſſe fertur, mutuati ſunt; Nicandro Δεϱκευνὴς, hoc eſt, *apertis oculis dormiens*; Lacedæmoniis Ταχύνας, vel Ταχύνης Heſychio: Ebraicè הָאַרְנֶבֶת: Arabicè *Harneb*, *Elarneb*, quibuſdam *Alarnebet*, Schickardo *Alarnebo*, quod eſt *lepus*. Sub Meridiano nocte mediâ latitat, menſe Decembri: & complectitur in globo noſtro 13 ſtellas.

Poſtello ſunt 12: *Bayero autem itidem* 13; *quarum* 4 *tertiæ magnitudinis*; 4 *quartæ*; 4 *quintæ, & una ſexta, omnes partim* ♄, *partim* ♀ *complexionem imitantes.*

Lepus Sacerdotibus Ægyptiis eſt hieroglyphicum viſus, & auditus acutiſſimi, eóque vigilantiæ; aliis item prudentiæ, fœcunditatis, venuſtatis, effeminationis, celeritatis, formidinis, ac ſolitudinis.

Vt *vigilantiæ* ſignum apud Ægyptios pictum tradit Calliſtratus apud Platonem Symp. l. 4, c. 8, item Plinius l. 11, c. 37: ac cauſam addit Horus, quòd ſcilicet oculis apertis dormiat; ſive, ut Xenophon ait, palpebris clauſis vigilet, adapertis dormiat: unde adagium, *Leporinus ſomnus*. Et Plutarchus prodit per Leporis picturam *auditum* quoque ab Ægyptiis hieroglyphικῶς intelligi. Quippe aures omnium animalium, ſi propor-

 tionem

tionem reliqui corporis ſpectes, maximas, eaſque arrectas gerit. Vnde & à Poëtis *auritus*, & *perauritus* vocatur : imò ipſum vocabulum Græcum λαγὼς, à quibuſdam ſic interpretatur. Vt λαγὼς Doricâ dialecto idem ſit, ac Germanicum Lang-ohr, *benè auritus*.

Signum autem *prudentiæ* pariter, ac *timiditatis*, adeóque *effeminationis* eſſe indicat Salomon Proverb. c. 30, v. 24, & 26, ubi de quatuor animalibus, quæ prudentiores ſint ſapientibus, loquens, in hæc erumpit verba: *Lepuſculus, plebs invalida, in petra ſibi ponit cubile.* Atque id ipſum etiam arguit, quòd cùm cubitum ſe recipit, & quidem ſolus, unde *ſolitudinarii* quoque eſt ſymbolum, priùs hac illac diſcurrat, veſtigiaque variis ambagibus diſturbet, ne deprehendi poſſit; imò ſaltu denique magno, in cubile proſiliat: ut auctor eſt Plutarchus.

Denique leporis ſimulachro ſignari diximus *fœcunditatem:* quòd fœcundiſſimum ſit animal, ac Plinio l. 8, c. 55 teſte, omni menſe pariat, & ſuperfœtet: item *celeritatem*, ob celerem curſum; unde & Pana naturæ deum modò natum pelle leporis involutum, & in cœlum portatum à patre Mercurio ſcripſit Homerus in Hymnis; quia rerum natura ſtatim, ac nata eſſet, celerrimo motu agitari cœpit : imò *venuſtatem*; quòd caro leporina, teſte eodem Plinio, homines reddat formoſos, ac corpori conciliet gratiam. Quippe lepuſculorum aſſiduâ eſitatione Alexander Severus & formoſus, & humanus, & affabilis, & gratioſus factus eſſe fertur. Vnde jocus eſt Martialis Epigr. l. 5 ad Gelliam deformem :

Si quando leporem mittis mihi, Gellia, dicis:
formoſius ſeptem, Marce, diebus eris.
Si non derides, ſi verum, Lux mea, narras,
edisti nunquam, Gellia, tu leporem.

Quod magnus Opitius Poëtarum Germaniæ noſtræ Coryphæus, vernaculè ſic reddidit :

Du ſprichſt/ ſo oft du mir ſchikſt einen Haſen ein;
ich werde ſchöhn darvon die gantze woche ſein.
Iſts auſſer ſchertz/ mein Licht/ iſt glauben bei zu meſſen/
ſo haſtu/ Gellia/ von keinem haſen geſſen.

Atque

Atque hinc Lepus,utpote rei Venereæ deditiſſimus,Veneri ſacer eſt,& inter ejus delitias adnumeratur. Quod ipſum amplâ narrationis laſciviâ indicat Philoſtratus in picturis; ubi Leporem ſub arbore mâlo inter amores otiantem, pomaque decidentia commordentem introducit.

Cæterùm Leporem nonnulli haud alia de cauſa in cœlum juxta Orionem eſſe locatum dicunt, niſi ob memoriam venationis, quam Orion ſummo ſtudio exercuerat. Sed cùm venatio hæc prorſus præpoſtera videatur, eò quòd Lepus hîc inſectetur canes, & hi rurſus Venatorem, ac Canis major recumbens quieſcat; imò lepus, tam timidum animal, tanto Venatori minimè conveniat, memoriàque ejuſmodi inæſtimabili gloria Orionis in cœlo potiùs minuatur: alii aliam leporis in cœlum recepti proferunt cauſam. Ajunt enim lepores olim in Sicilia non fuiſſe, importatos verò per Anaxilam Rheginum,numero progreſſu temporis adeò creviſſe, ut integram regionem meſſibus populatis vaſtârint, incolæque eos mari ſubmergere coacti fuerint. Atque hinc Iovem voluiſſe, ut leporis imago in perpetuam rei memoriam inter aſtra ſuſpenſa conſpiceretur. Et apud Pollucem legas, leporem cum curru in Rheginorum numiſmate expreſſum: de quo videatur Ariſtoteles Rhetoric. l. 3; item Plin. loco adducto. Simile ferè de Inſulis Balearibus narrat Raviſius Textor: *Baleares inſulæ*, inquit, *tot quondam leporibus obrutæ erant, ut ejus loci habitatores adverſus proventum eorum auxilium militare ab Auguſto petiverint. Nam famem regioni populatis meſſibus attulerant.*

Verùm nos ſub hoc Lepore illum Iſraëlitis prohibitum potiùs intelligamus; cujus mentionem ingerit Moſes Levit. c. 11, v. 16.

V. CANIS MINOR; der kleine Hund/ Vorleuffer/ Vor-hund/ Spühr-hund/ Stöber;

Canis parvus, Vitruvio *minusculus*, *Catellus*, Plinio *Canicula*, *Canis primus*, *Antecursor*, *Præcedens*, *Septentrionalis*, *Sinister*; *Canis Orionis*; Ovidio *Canis Icarius*, sive *Erigonius*, qui proprio nomine dicitur *Mæra*: Græcè κυνάριον, & κυνίδιον, id est, *Catellus*, ὁ καὶ ἡ Σκύλαξ, Homero *catulus canis*, Plutarcho *venaticus*, Σκυλάκιον, *parvus catulus* Xenophonti & Aristoteli, Σκύλαξ Etymol. propriè ὁ Προκύων, hoc est, *Præcanis*, in Tabulis *Procanis*, M. T. Ciceroni *Antecanes* ἀρχαϊκῶς, Plinio *Antecanis*, tanquam nobis propior juxta lacteum constitutus circulum, ortu suo Sirium aliquantulùm præcedat; quibusdam, qui Arabes sequuntur, ἡ Συκάμινος, id est, *Morus*: ubi Schillerus in Cœlo stellato Christiano Bayerum secutus, addidit, *aliis Fovea*, de quo infra: Ebraicè כֶּלֶב, *Keleb*, id est, *canis*: Arabicè *Algomeysa*, Schickardo *Algomyso*, hoc est, *Sycomorus*, vel *ficus sylvestris*, qualis fortè hoc loco pingebatur; aliis *Alchamyzo*, id est, *tostus*, vel *assatus*; item *Alcheleb alasgar*, *Kelbelazguar*, id est, *canis minor*; quibusdam *Aschere*, & *Aschemie*, quæ corrupta sunt, & ad *Canem majorem* propriè pertinent. Summâ nocte in Meridiano spectandus exhibetur, novo anno, sive Ianuario: & in globo nostro tribus insignitur stellis.

Postellus cum veteribus numerat duas; uti & Brahæus: Bayerus verò

verò septem; quarum una primæ magnitudinis in ventre, vel juxta alios in femore fulgens, κατ' ἐξοχὴν omnia obtinet nomina, quæ toti astribuuntur sideri, ac Germanicè der Hundestern *dicitur; & rursus una tertiæ in collario; porrò duæ quintæ in eodem collario, ac pede sinistro; & denique tres sextæ in capite, pectore, & posteriori pede, omnes ♂ & ☿ dicatæ.*

Procyon, sive Canis minor vocatur *Canis sinister* Ἀγκελικῶς: nempe ad differentiam *Astrocyonis*, sive Canis majoris vel magni, qui *dexter* dicitur; idque Orientalium more. Sirius enim, quomodo & Canem majorem, & ejus principem stellam vocant, Arabibus, pariter ac Ebræis, qui vultu ad orientem converso adorant, respectu Procyonis sive canis minoris, Meridionalis, adeóque dexter est: uti Procyon Septentrionalis, hoc est, sinister; qui eâdem ratione in Tetrabiblo dicitur *Primus Canis*, vel potiùs *Anticipans Canem*, der Vorleuffer des großen Hundes. Sed *Procyon* an *Canicula* sit, dubitat Plinius N. H. l. 18, c. 28: & Columella distinguit τὸ πρόκυνα à Canicula. De quo videatur Iosephus Scaliger in Manilii l. 5, pag. 405: ubi differentiam utriusque Canis notari volunt, sed perperam, in hisce versiculis:

Exoriturque Canis; *latratque* Canicula *flammans*,
& rabit igne suo, geminatque incendia Solis.

Quòd vero idem Procyon quibusdam dicatur *Fovea*, ut habet Bayerus in Vranometria, &, qui eum exscripsit, Schillerus, post Συκάμινος: id primo intuitu maximè mirum, imò ridiculum ferè videtur. Quandoquidem nec Oedipus ipse divinare, nec urinator Delius expiscari poterit, quid sibi hîc *Fovea* velit: nisi fortè inciderit in *scrobem* sive *foveam*, in qua condita foveri & asservari solent frumenta. Quæ Euripidi in Phrixo dicitur σιρὸς, apud Suidam verò σειρὸς, & Simplicem comment. in l. 2 Φυσικῆς ἀκροάσ. σιῤῥὸς; fortè ex *Osiris*, sive *Siris*: quod regis, imò numinis, ac agriculturæ inventoris apud Ægyptios Ebraicæ originis nomen; ut ad signum Tauri indicavimus. Vnde quoque est *Sirius*; quomodo stellam Canis majoris primariam, imò ipsam Canem

V. CANIS MINOR; der kleine Hund/ Vorleuffer/ Vor-hund/ Spühz-hund/ Stöber;

Canis parvus, Vitruvio *minusculus*, *Catellus*, Plinio *Canicula*, *Canis primus*, *Antecursor*, *Præcedens*, *Septentrionalis*, *Sinister*; *Canis Orionis*; Ovidio *Canis Icarius*, sive *Erigonius*, qui proprio nomine dicitur *Mæra*: Græcè κυνάριον, & κυνίδιον, id est, *Catellus*, ὁ καὶ ἡ σκύλαξ, Homero *catulus canis*, Plutarcho *venaticus*, σκυλάκιον, *parvus catulus* Xenophonti & Aristoteli, σκύλλος Etymol. propriè ὁ προκύων, hoc est, *Præcanis*, in Tabulis *Procanis*, M. T. Ciceroni *Antecanes* ἀρχαϊκῶς, Plinio *Antecanis*, tanquam nobis propior juxta lacteum constitutus circulum, ortu suo Sirium aliquantulùm præcedat; quibusdam, qui Arabes sequuntur, ἡ συκάμινος, id est, *Morus*: ubi Schillerus in Cœlo stellato Christiano Bayerum secutus, addidit, *aliis Fovea*, de quo infra: Ebraicè כֶּלֶב, *Keleb*, id est, *canis*: Arabicè *Algomeysa*, Schickardo *Algomyso*, hoc est, *Sycomorus*, vel *ficus sylvestris*, qualis fortè hoc loco pingebatur; aliis *Alchamyzo*, id est, *tostus*, vel *assatus*; item *Alcheleb alasgar*, *Kelbelazguàr*, id est, *canis minor*; quibusdam *Aschere*, & *Aschemie*, quæ corrupta sunt, & ad *Canem majorem* propriè pertinent. Summâ nocte in Meridiano spectandus exhibetur, novo anno, sive Ianuario: & in globo nostro tribus insignitur stellis.

Postellus cum veteribus numerat duas; uti & Brahæus: Bayerus verò

verò septem; quarum una prima magnitudinis in ventre, vel juxta alios in femore fulgens, κατ' ἐξοχὴν omnia obtinet nomina, quæ toti attribuuntur sideri, ac Germanicè der Hundestern *dicitur; & rursus una tertiæ in collario; porrò duæ quintæ in eodem collario, ac pede sinistro; & denique tres sextæ in capite, pectore, & posteriori pede, omnes ♂ & ☿ dicatæ.*

Procyon, sive Canis minor vocatur *Canis sinister* Διαχειλικῶς: nempe ad differentiam *Astrocyonis*, sive Canis majoris vel magni, qui *dexter* dicitur; idque Orientalium more. Sirius enim, quomodo & Canem majorem, & ejus principem stellam vocant, Arabibus, pariter ac Ebræis, qui vultu ad orientem converso adorant, respectu Procyonis sive canis minoris, Meridionalis, adeóque dexter est: uti Procyon Septentrionalis, hoc est, sinister; qui eàdem ratione in Tetrabiblo dicitur *Primus Canis*, vel potiùs *Anticipans Canem*, der Vorleuffer des großen Hundes. Sed *Procyon* an *Canicula* sit, dubitat Plinius N. H. l. 18, c. 28: & Columella distinguit τ̃ πρόκυνα à Canicula. De quo videatur Iosephus Scaliger in Manilii l. 5, pag. 405: ubi differentiam utriusque Canis notari volunt, sed perperam, in hisce versiculis:

Exoriturque Canis; *latratque* Canicula *flammans*,
& rabit igne suo, geminatque incendia Solis.

Quòd verò idem Procyon quibusdam dicatur *Fovea*, ut habet Bayerus in Vranometria, &, qui eum exscripsit, Schillerus, post Συκάμιν☉: id primo intuitu maximè mirum, imò ridiculum ferè videtur. Quandoquidem nec Oedipus ipse divinare, nec urinator Delius expiscari poterit, quid sibi hîc *Fovea* velit: nisi fortè inciderit in *scrobem* sive *foveam*, in qua condita foveri & asservari solent frumenta. Quæ Euripidi in Phrixo dicitur σιρὸς, apud Suidam verò σειρὸς, & Simplicem comment. in l. 2 Φυσικῆς ἀκροάσ. σιῤῥὸς; fortè ex *Osiris*, sive *Siris*: quod regis, imò numinis, ac agriculturæ inventoris apud Ægyptios Ebraicæ originis nomen; ut ad signum Tauri indicavimus. Vnde quoque est *Sirius*; quomodo stellam Canis majoris primariam, imò ipsam Canem

Canem dictam in ſequenti ſigno videbimus. Nam non aliter cogitare poſſum, quàm Bayerum fortè legiſſe, σειρὸς, unde ſuſpicor eſſe Germanicum ſcheur, id eſt, *horreum*, ſive *granarium*, ſignificare & ejuſmodi, ut diximus, *foveam*, & *Sirium*, imò & *Solem*; ut eſt apud Suidam: ideóque putâſſe *Foveæ* Latinum vocabulum idem quoque denotare, ac Ægyptio- ſive potiùs Ebraico-Græcum *Sirii*; nempe *Caniculam*. At enim, quia hoc non eſt, nec ego video, quomodo *Fovea*, imò & σειρὸς, quando *foveam* ſignificat *frumentariam*, huc poſſit quadrare. Niſi etiam ejuſmodi *foveam* Ægyptii, ob congruentiam, fortè pinxerint loco Signi illius, quod *Canem* vocamus *majorem*: quia ſcilicet fovea receptum frumentum quaſi fovet, hoc eſt, ſervat, ac protegit, ne tempeſtatibus, aut feris lædatur; æquè ac idem, & omnia ejuſmodi ex ſolo naſcentia Sirio exorto† foventur, hoc eſt, decenti non ſolùm caliditatis,ſed & humiditatis fomento, ac nutrimento afficiuntur, imò ab omnibus injuriis vindicantur,ut abſque impedimento creſcere, ac matureſcere poſſint. Sirius enim exoriens, ut vulgò putatur, non ſolùm ex ſuo calore calefacit, ac fovet terram Ægypti: ſed etiam eandem per ſe ſiccam & aridam, quia pluviis planè deſtituitur, ne magis exſiccetur,refrigerat. Quippe imbres juxta Circulum æquinoctialem, ubi hiems eſt, cùm æſtate fruuntur Ægyptii ſub Tropico Cancri, & cis eum degentes, perpetuos excitans, Nilum à Lunæ montibus,iiſdem imbribus inibi confertim receptis, per Æthiopiam decurrentem, adeò tumidum reddit; ut totam inundet Ægyptum, & ejus arenoſo, ac ſitienti ſolo & aquam, & limum inducens, agros reddat feraces: quomodo ad ſignum Eridani uberius indicavimus. Et *Sirii* nomine, ut ex Scriptoribus obſervavimus, antiquitus notata videtur imprimis benefica Canis natura; uti malefica vocabulo Σὴθ, ſive *Seth*. Nempe Canis appellatus eſt *Sirius*, quatenus eo, ut jam vidimus, modo juvare; *Seth* verò, quatenus nimio ardore impedire dicitur generationem. Sic quoque *Oſirin*, item *Liberum*, dixere & Solem,quatenus ille

† apud eosdē

ille Lunam illuminat, ac vitalem animantibus insinuat calorem; & Nilum, imò omnem humorem, quo complectitur & vini genus, hoc est, vinum, quatenus ad generationem illi concurrunt; hoc est, eorum beneficam, qua inducitur fœcunditas, facultatem. Quin & sic dixere Lunam, cùm gravidata à Sole agit in res sublunares, atque eo pacto viri præstans munia, moderato calore, & humore terram reddit prægnantem. Contra *Typhonem* appellàrunt eundem Solem, quatenus exsiccat, & adurit, adeoque sterilitatem inducit; æquè ac idem vinum, & hujusmodi humorem, quatenus ille, præterquam quod ad generationem conducat, vim quoque habet exsiccandi: at non eandem aquam, sed solùm mare, & quidem ἁπλῶς; quia aqua marina Osiridem, sive Nilum cum Iside, quæ est Terra, congredientem, ubi in mediterraneum se præcipitat mare, deglutit, & salsugine suâ terram exsiccat, eamque ad generationem minùs aptam, ac inhabilem reddit. Atque ita *Typhonis* nomine tam Solis, quàm Maris; imò & Vini, ac ejusmodi rerum malignitatem, sive igneam naturam, humorem ac spiritum rerum naturæ, ut cum Plinio loquar, generabilem ingenti suo calore depascentem, adeoque plantis inimicam intellexere: æque ac *Osiridis* vocabulo omnia amica, & generationi conducibilia. Imò omnia, quæ ex hoc *Osiridis* nomine formata sunt, vocabula antiquissimis temporibus apud Ægyptios ferè indita videntur rebus utilitatem præstantibus. Causam ex eo cognoscere possumus, quòd *Osiris* fuerit rex justus: ut *Typhon* furiosus, impotens, ac superbus; quomodo Iul. Firmicus de Errore prof. relig. testatur. Videatur & Vossius de Idololatr. l. 1, c. 27; item maximus Athanasius Kircherius de Lingua Copta sive Ægyptiaca. Sed Græci ea ipsa vocabula in suam postea linguam transferentes, moremque Ægyptiorum veterem fortè ignorantes, iis contrario sæpe significatu sunt usi: æquè ac eorum exemplo ipsi Ægyptii juniores.

Receptus autem videtur hic Canis, quo oriente P. Virgilius Maro dicitur natus, in cœlum, imprimis ob

fide-

fidelitatem omnibus his animalibus quasi innatam: cujus quoque est symbolum; æquè ac *obedientiæ, vigilantiæ, custodiæ, amicitiæ, adulationis, generositatis, memoriæ, grati animi, sagacitatis, docilitatis*, ac ejusmodi aliarum animi ac corporis affectionum. Vnde Micyllus in Phalæcio suo:

Inter quadrupedes canis fidelis,
inter quadrupedes canis voluptas,
inter quadrupedes canis patronum
cognoscit, veneratur, & tuetur. &c.

Fidelitatis canum egregiæ exempla plurima nobis enarrat Plutarchus lib. de industria animalium, & Plinius l. 8, c. 40. Inter ea insignius est, quod ille in Pyrrho commemorat. Nempe Pyrrhum Epirotarum regem obviam ait factum cani, qui cadaver domini triduum absque ullo cibo custodierat. Hunc, cadavere sepulto, diligenter sibi curandum jussisse. Evenisse autem haud multò post, ut canis ille regi exercitum lustranti assidens, visis heri interfectoribus, dum nomina daturi accederent, eos statim magno latratu invaserit, Pyrrhum identidem respectans. Vnde commotus rex eos capi, ac scelus confessos ad supplicium duci jusserit. Simile ferè legimus apud Ambrosium: ubi narratur, cadaveri militis Antiochiæ occisi canem adstitisse, qui postquam ejulatu mœsto interfecti domini desiderium satis diu testatus esset, conspecto fortè inter homines ad fidelitatis spectaculum congregatos percussore, in eum insilierit, ac prehensum tam diu tenuerit, donec cognitâ re ad supplicium sit raptus. Nec minoris admirationis est illud apud Ælianum, qui tradit; Colophonium quendam cum servo, & cane in Ioniam ad urbem Theon mercatum profectum; & servum, qui pecunias ferebat, naturæ satisfacturum aliquantulum à viâ secessisse, loculoque humi deposito, immemorem abiisse. Canem verò ad loculi relicti custodiam tam diu perstitisse, donec illi, ob defectum pecuniæ, re infectâ redierint: ubi canis, quòd absque potu, ac cibo per id tempus apud marsupium permansisset, reddito deposito, statim expiraverit.

Quin

Quin & tantæ *fidelitatis* canes ſæpiſſimè reperti, qui domino mortuo, ac ſepulto, præ mœrore contabuerunt, ac tandem quoque extincti ſunt. Vt inter alios fuit canis Eupolidis Poëtæ comici, cui nomen *Augeas:* & Theodori ſaltatoris; qui eodem, quo dominus condebatur, ſepulchro includi voluit. *Durides* Lyſimachi canis, mortuo domino, ac pyræ jam impoſito, in ejus flammam, Plinio teſte, ſe ſpontè cônjecit, ut unà cum domino concremaretur. Idipſum quoque narratur de cane Pyrrhi non illius, cujus mentionem modò fecimus, ſed alîus: item de cane Poli hiſtrionis apud Græcos celeberrimi.

Porrò *morigerum* canis, *facillimæque docilitatis* ingenium nobis oſtendit Plutarchus imprimis illo exemplo, quod in theatro Marcelli, ſpectatore Veſpaſiano, quondam editum. Mimus quidam canem introduxerat omnibus ferè ſaltationum generibus eruditum. Huic Mimus pharmacum quaſi propinabat: unde mox trementi ſimilis cruciari, torqueri, capitiſque gravedine laborare viſus, ac demum veluti mortuus concidere, ſeque exporrigere, ac permittere, ut quaquaverſum traheretur, & huc illuc conjiceretur, quemadmodum fabulæ commentum exigebat. Quin &, cùm res poſceret, ſe tanquam ex profundiſſimo ſomno excitatum ſenſim movebat; ac denique ex improviſo proſiliens, ſigna quædam hilaritatis, ac lætitiæ edebat, aliaque ejuſmodi omnibus admirantibus colludebat.

Excellentis præterea in eodem *memoriæ* pariter, ac *ſagacitatis* indicium eſt, quòd dominum, licet diutiſſimè abſuerit, redeuntem ſtatim agnoſcat; idque non tam viſu, quàm olfactu: cujus rei exemplum nobis præbet canis Vlyſſis *Argus* dictus; qui reverſum ab expeditione Trojana dominum poſt viginti annos agnoviſſe fertur. Item quòd id edoctus locum, ubi oſtenſum priùs nummum in ejûs abſentia ſub ſtragulo quodam poſtea abſcondideras, inquirere juſſus, ſolo fretus olfactu, & latratu, & exultatione ſignificet; imò veſtigia ferarum in venatu ſcrutetur, ac ſagaciſſimè odoretur, venatoremque

remque loro ad feram retrahens, ejus latibulum indicet, etiamsi per aquam ea nataverit, aut abditissimo quovis loco sese abscondiderit.

Sed incidit mihi hic in memoriam somnium Matris B. Bernhardi. Hæc prægnans somniabat catulum se candidum, dorso rutilum, ac latrantem in utero gestare. Quod sapiens quidam ita interpretatus est: nempe infantem, qui ex ea nasciturus sit, optimum evasurum catulum, hoc est, divinarum ædium, gregisque Christi custodem, sive antistitem: qui candidus, id est, mitissimus sit erga pios, ac notos ex grege; rutilus verò, hoc est, ferocissimus adversus impios, ac ignotos, alienosque, quos tanquam fures, ac hostes Ecclesiæ assiduo latratu exerceret, hoc est, eorum vitia ac facinora impia incessere nunquam desisteret, & nullius profani gratiam iniret. Ea enim est canis generosi natura, ut in eos, quos herilis esse familiæ vel visu, vel olfactu cognoscit, mitis, ac mansuetus sit, iisque ludibundus adblandiatur: econtra in peregrinos ferus, & atrox, eos caudâ erectâ continuis latratibus, imò morsibus interdum insectetur.

Atque hinc hieroglyphicum quoque est optimi *Sacerdotis*, & *Prophetæ*; quos munere suo negligenter, ac meticulosè fungentes, Esaias c. 56, v. 10, *canes mutos*, qui caudam inter crura condere solent, quod metus indicium est, appellat: item *optimi militis*, ut eum Plato l. 11 de Republ. describit. Imò hinc Diogenes, *Cynicus*; & familia ejus, pariter ac *Antisthenis*, perpetuâ vitæ austeritate celebris, teste Laërtio, *Cynica* dicebatur. Quod ipse Diogenes fassus est, cùm ab Alexandro Magno interrogatus, cur canis nomen sortitus esset, responderet: *quia dantibus blandior, non dantibus oblatro, malos etiam mordeo.* Quamvis alii, inter quos est Adamantius, existiment, hoc esse à musca canina, sive impudentia; cùm Diogenes dixerit se in medio foro, spectante populo, hominem plantare non erubescere.

Quin & eâdem causâ canis Diis, imprimis autem Laribus geminis Mercurio Laràque, sive Mania Almonis

monis filiâ prognatis, intuitu in eos converso, adpingi solebat: imò ipsa idola caninis pellibus apud Romanos induebantur. Et Laribus sacer erat canis, æquè ac Marti, Proserpinæ, & Dianæ eò *Cyoniæ*, ut à lupis *Lyceæ*, dictæ. Quid multis? Canes ob virtutes suas eximias, imprimis verò ob amabilem & amicabilem suavitatem (unde & κύων, à κύω, hoc est, *suavior, venerabundè osculor*, videtur dictus) in tanto semper pretio ab antiquis habiti, ut in eorum memoriam urbes condiderint; quod ab Alexandro Magno, amissâ cane Perthâ, factum tradit Theopompus: item numismata cuderint; imaginem canis in clypeis gestârint; canibus cynotaphia erexerint, ut de Xanthippo Lacedæmoniorum duce testatur Plutarchus: ac in eodem sepulchro cum canibus humari voluerint; ut Hippammones cum cane, cui nomen *Lethargus*; Arsuitus Biornonis filius cum cane, & equo simul, quod prodidit Saxo Hist. Danic. l. 5; & Codrus Poëta cum cane suo, cui nomen *Chiron*: unde Iuvenalis:

Et recubans sub eodem marmore Chiron.

Quin & elogia, & monumenta apud Poëtas passim meruerunt. Vt *Issa* Publii catella apud Martialem:

Issa est passere nequior Catulli,
Issa est purior osculo columbæ,
Issa est blandior omnibus puellis,
Issa est charior Indicis lapillis,
Issa est deliciæ catella Publî.

& *Grancis* Arethusæ catella, qua absentis mariti desiderium solabatur, apud Propertium l. 4:

Grancidos & catulæ vox est mihi grata querenti. &c.

Imò Proëmphanes in Africæ parte populi Canem pro rege sibi delegerunt: ex cujus motu quid faciendum, ubi standum, quò progrediendum, religiosissimâ quadam auguratione observabant. Et Ægyptii, si quando principem, & legislatorem significare vellent, pingebant Canem cum diademate sive amiculo, aut canem fasciâ velatum.



Cæterùm hunc, quem hîc consideramus, *Canem* vel

catellum in cœlo jam degentem, *Orioni* ita charum fuiſſe dicunt, ut illum inter aſtra receptus, ſecum duxerit, quò convictu ejus ſempiterno frueretur. Ampelius tamen Libro memoriali ſcribit, hunc eſſe *Canem illum*, quem quidam *Mæram* dicunt, *Icarii*; cujus mentionem fecimus in ſigno Virginis: qui domino occiſo, filiáque hujus Erigone laqueo vitâ functâ, ad pedes ejus diſcumbens, poſt aquam anhelans, in puteum ſe projecerit, ac denique Liberi beneficio in cœlum receptus ſit. Quod ipſum in Dialogo de convivio Deorum ſic attingit Lucianus: *Bacchus, o Superi*, Erigones *quoque* canem *adduxit, ne triſtitiâ afficeretur puella*; *ſi in cœlo non haberet catellum ſuum.* Hujus enim ductu Erigone, quam Virginis Signum efficere ſupra diximus, cadaver parentis ab agreſtibus vino inebriatis interfecti reperit. Vnde & haud procul à Virginis aſtro poſitus, *canis Virgineus*, ſive *Erigonius* vocatur: cujus mentionem ſic ingerit Ovidius 4 Faſtorum:

Eſt Canis (Icarium *dicunt*) *quo ſidere moto*
toſta ſitit tellus, præciditurque ſeges.

Simile ferè narratur de cane Scedaſi; qui tres ejus filias puellas Leuctricas à Spartanis ſtupratas, deinde occiſas, & in puteum conjectas patri peregrè advenienti latratu, & curſitatione ad puteum prodidit.

Aliis eſt *catellus ille luſorius*; quem Helena in deliciis habens, ab Alexandro ſive Paride Priami Trojæ regis filio rapta, dum ad inſulam Eubœam tendebat, in Euripi alveo perdidit, ac propterea tanto dolore affecta eſt, ut Iovem oraverit, quò locum illi aſſignaret in cœlo.

Sed nos potiùs intelligamus Canem illum, qui Tobiam cum nova nupta redeuntem præcedens, caudamque motitans, lætum ſe præbebat, Tob. c. 11, v. 9.

VI. CANIS MAJOR; der Hund/ ſive Groſſe Hund/ der Wind/ ſive das Windſpiel/ der Jagt-hund/ das Hunde-geſtirn;

Canis abſolutè; *Canis Magnus*, *Alter*, *Secundus*, *Se-*

Sequens, *Australior*, *Dexter*, Virgilio *æstifer*, Tibullo *æstivus*, Valerio Flacco *Acer auctumni Canis*; quibusdam *Canicula*; Horatio *Sidus fervidum*, *invidum agricolis*; *Caleb*; I. B. Mantuano *Harpalagus*, hoc est, *leporum raptor*; *Lælaps*; Ægyptiis *Isis*, sive *Isidis sidus*; *Sothis*, *Sothonis*, *Seth*; quibusdam *Sirius*, *Osiridis sidus*; item *Anubis*: Græcè Σείριος; Ἀστροκύων, vel Ἀστρῷος κύων, id est, *Canis cœlestis*, *item* Ἀστρόκυνος, *canis sidereus*, quem Ægyptii *Solechin* vocant, ut annotat Scapula ex Cælio Rhodigino; & Aristoteli, aliisque absolutè Κύων, hoc est, *Canis*; Nonno Ἀστὴρ Μαίρας, *astrum Maræ*, & absolutè Μαίρα, *Mara*; Homero Ἀστὴρ ὀπωρινὸς, id est, *astrum auctumnale*; Medis Σπακώ, quæ nutrix Cyri, avi Astyagis mandato, expositi; ut est apud Herodotum, & Iustinum in primo: Arabicè *Elchabar*, *Alchabor*, *Elhabor*, Schickardo *Alachbaro*, id est, *major* vel *magnus*, nempe *Cheleub*, *Chelbon*, sive *Kelbon*, & *Keleph*, hoc est, *canis*, quod Ebraicæ est originis; aliis *Alcheleb alcabir*; item *Aliemenia*, Tabulis Alphonsinis *Aliemini*, juxta Schickardum *Aliaminio*, id est, *dexter*, rursus subintelligendo *canis*; in Tetrabiblo *Elscheere*; ὑδροφοβία, hoc est, *aquæ metus*, quo, teste Dioscoride l. 7, c. 2, canes rabiosi laborant; aliis *Scheereeliemini*, *Elsere*, *Elseiri*, *Aschere*, *Sceara*; quod secundùm quosdam est *Canis major*, ut *Scera* magna stella. Sed depravata sunt pleraque, & ad Canem quoque minorem transferuntur. Claret in meridiano nocte

mediâ, ſub finem Decembris: & complectitur in globo noſtro 17 ſtellas; quarum una in maxilla, ſive ore Canis, Arato ſub mento, ſummi fulgoris, ac omnium, quæ in cœlo ſunt, ferè maxima, vocatur *Sirius*, item *Canicula*, & *Canis candens*; Arabicè *Aſcheere*, Aviſennæ *Elſcheere*, aliis *Elſeere*, *Scera*, item *Alicmini*, *Elhabor*: Græcis ἀϛροκύων, ὁμωνύμως ὅλῳ τῷ ζωδίῳ· *Aſtrocyon, æquivocè cum toto ſigno.*

Poſtellus huic Signo adſcribit 18 *ſtellas intra*, & 11 *extra*: *Bayerus autem novendecim*; *nempe unam in ore, prima magnitudinis*; & *itidem unam juxta collum, ſecunda*; *item* 5 *in dorſo, fronte*, & *pede, tertiæ*; 4 *in dorſo*, *oculo*, & *aure*, *quarta*; & 8 *hinc inde diſperſas quinta*: *quæ omnes Venereæ*, *exceptâ primâ*, *nempe Sirio*, *Martis* & *Iovis naturam imitante. His alii inſuper* & *vicinas minores verſus ſeptentrionem conſpicuas*; *alii novo ſigno, quod* Vnicornu, *ſive* Monocerotem *vocant, adnumerant.*

Canis hic Ægyptiis, ut ſupra vidimus, ἡ Σῶθις, *Sothis*, ſive σώτης, *Sothes*, & ὁ Σὴθ, *Seth*, à rege Petoſiride apud Vettium Valentem, dictus, duabus præcipuè illuſtratur, ac celebratur ſtellis. Vna hæret in fronte verſus aurem dextram; & eſt tertii fulgoris. Hanc nomine proprio *Iſidem* vocant: unde Iſis de ſe ipſâ in marmore quodam apud Diodorum l. 1:

Ἐγώ εἰμι ἐν τῷ ἄϛρῳ τῷ Κυνὶ ἐπιτέλλουσα·

Ego ſum, quæ in Canis aſtro exorior.

Item *Mæram*; non *Neæram*, ut Hadrianus Iunius priori Germanici editione deceptus, Miſcell. l. 1, c. 5, apud Hyginum reſcribendum cenſet: ubi æquè, ac apud Heſychium, & Nonnum Dionyſiακῶν lib. 14, legebatur Μαῖρα. Sanè idem Nonnus l. 5 dixit

Πυρώπιδος ἀϛέρα Μαίρης·

Igneæ Aſtrum Mæræ.

Atque ſic quoque nunc apud Germanicum, editione Morellianâ, emendatiùs legitur *Mæra*. Eſt enim ἀπὸ τοῦ μαίρειν, quod *lucere* ſignificat. Niſi μαίρειν potiùs à

Μαίρα

Μαῖρα sit : cum scilicet per *Mæram* sive *Mairam*, cum Sanfordo Anglo intelligere velis *Mariam* Mosis, qui tertius Ægyptiis fuit *Osiris* sive *Liber*, sororem. Nam ex Μαρία, per transpositionem unius saltem literæ ρ, sive ι, fecere Μαῖρα. Sed & tota Sothidis, sive Canis constellatio à quibusdam dici videtur *Mæra*; uti & *Isis*: nisi potiùs per Sothidis sive Canis nomen, quoque stellam Sothidis sive Canis primariam κατ' ἐξοχὴν intelligi velint. Vt ab Hesychio de Mæra loquente : Μαῖρα, κύων τὸ ἄστρον, ἢ ἀκμαιότατον καῦμα· οἱ δὲ τὴν Σελήνην. *Mæra, sidus Canis, sive æstus intensissimus: secundùm quosdam Luna.* Et ab Horapolline, sive interprete ejus Philippo, Hieroglyphic. c. 3 de Iside : Ἶσις δὲ παρ' αὐτοῖς ἐστιν ἀστὴρ, Αἰγυπτιστὶ καλούμενος Σῶθις. Ἑλληνιστὶ δὲ ἀστροκύων, ὃς καὶ δοκεῖ βασιλεύειν τῶν λοιπῶν ἀστέρων. *Est autem Isis iis astrum Ægyptiacè dictum Sothis, Græcè verò Astrocyon; qui & inter sidera reliqua principatum videtur obtinere.* Atque Κύνα τὴν Ἴσιδος, *Canem Isidis* à Græcis, ab Ægyptiis autem *Sothen* vocari, ajunt Sacerdotes apud Plutarchum l. de Is. & Osiride.

Altera eaque principalis, cùm primæ sit lucis, Sothidis sive Canis majoris stella conspicitur in maxillâ, sive, ut Porphyrius mavult, linguâ : & dicitur propriè *Sirius* sive *Canicula*; Græcis Κύναστρον. Hanc quoque nonnulli, ut ex Nonno locis adductis, & Hygino in Poëtico astronomico, ubi de Arctophylace agit, videre est, vocant *Mæram* : imò & *Isidem*; ut ex Horapolline loco citato constat. Sed *Isis*, sive *Mæra*, uti diversa fuerunt numina ab Osiride; sic diversam quoque meritò in Cane possideant stellam ab hac, quæ propriè Osiridi dedicata; unde & *Sirius* dicta videtur : nempe illam, quam in fronte statui modò diximus. Et Sirius, sive Osiridis stella inter fixas prima honore divino est aucta, æquè ac inter erraticas Veneris stella, quam *Phosphorum* & *Hesperum* dicimus : cui quoque illa ab Ægyptiis prælata, ob causas, quas mox videbimus. Interim tamen falsi sunt, qui dicunt, Sirium primum fuisse, cui attributum sit nomen θεοῦ. Nam cùm motus sideribus divi-

nitatis opinionem pepererit; ac vocabulum θεὸς, ἀπὸ τοῦ θέειν, hoc eſt, *currere*, formatum ſit: ut Θεὸς ſonet quaſi *qui ſemper in curſu ſit*; quomodo Macrobius l. 1 Saturnal. c. 23 explicat: potius dixerim id nominis Soli primùm fuiſſe inditum; ac poſtmodum Lunæ: cùm horum curſus omnium primus ſit obſervatus. Propter curſum autem, ſive motum ſuum admirandum apud Græcos antiquiſſimos tantùm ſidera pro Diis habita, atque ab eodem ſic dicta oſtendit Plato in Cratylo: φαίνονταί μοι οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων περὶ τὴν Ἑλλάδα τούτους μόνους θεοὺς ἡγεῖσθαι, ὥσπερ νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων, Ἥλιον, καὶ Σελήνην, καὶ Γῆν, καὶ Ἄστρα, καὶ Οὐρανόν· *Qui Græciam primi incoluere, illi videntur mihi ſolum Deos exiſtimâſſe, uti nunc etiam barbari multi, Solem, Lunam, Terram, Aſtra, Cælum.* Vbi idem quoque mox ſubjungit: *Cùm ergo hæc omnia in perpetuo eſſe curſu perſpicerent; ab hac natura τοῦ θεῖν*, quod eſt *currere*, θεοὺς, hoc eſt, *deos, nominârunt.* Sed adi Ludovicum Carrionem l. 2 Emendat. & Lactantium l. 2, c. 5 de hoc ſatis fuſè diſputantem; item Prudentium l. 2 adverſus Symmachum.

Diximus modò Sirium id nominis accepiſſe ab Oſiride: qui cum Iſide ejus ſorore pariter ac uxore ſupremum Ægyptiis erat numen. Quippe iiſdem cultus fuit cum *Sole*, ut Seldenus oſtendit, æquè ac illa cum *Luna*, luminibus & ipſis ſupremum inter aſtra occupantibus locum: imò cum ipſo *Nilo*, ſive *aqua Nilotica*, ſive etiam univerſè cum Humore, quatenus ille ad generationem concurrit; uti Iſis cum *Terra*, eaque *frugifera*. Nilus autem præterquam quòd Ebræis, ut ad Signum Eridani vidimus, ob nigricantes aquas diceretur *Schichor*, ſive, ut quidam pronunciant, *Sior*, trajectis in hoc poſtea literis tribus prioribus, Ægyptiis quoque nuncupatus eſt *Oſir*: item additâ terminatione Græcanicâ & Latinâ, *Oſiris*; ac denique abſciſſâ primâ literâ, *Siris*. Vt ipſum Oſiridis nomen eſſe videatur, non tam ex *Mizraim* ſive *Miſorim*, quemadmodum alio loco docuimus; quàm ex *Sichor*, ſive molliori pronunciatu, *Sior*: unde & Ægyptii, Plutarcho teſte, Oſirin effinxere *nigrum*.

Atque sic Æthiopibus, ac Ægyptiis Nilus dicebatur Σῖρις. Quod testatur Dionysius Afer:

Σῖρις ὑπ' Αἰθιόπων κεκλήσκετ᾽. οἱ δὲ Συήνης
ἐνναέται στρεφθέντι μετ' οὔνομα Νεῖλον ἔθεντο.

Siris ab Æthiopibus vocatur. &c.

& Plinius l. 5, c. 9: *Nec ante Nilus, quàm se totum aquis concordibus rursus junxerit, sic quoque etiamnum* Siris, *ut ante nominatus per aliquot millia.*

Ab hoc autem Nili nomine, ut videtur, stella illa, de qua nunc agimus, nominata est *Sirius*, sive Σείριος; quasi dicas Νειλαῖος ἀστὴρ, *Niliaca*, sive *Siria stella*. Nempe ob summam conspirationem inter Canem cœlestem & Nilum: qui æquè ac ille in cœlo, diebus maximè canicularibus, æstuat in terris; terrámque, quam Typhon, hoc est, Solis, Marisque malignitas, quomodo in præcedenti Signo diximus, aquâ Niliacâ orbaverat, atque sic exsiccaverat, imò torruerat & exusserat, exoriente Sirio, ac pluvias concitante, inundat; atque, cum recedit, oblimatam relinquit: ut est apud Ciceronem in 2 de Nat. Deor. & Senecam l. 4 Quæst. Nat. c. 2. Et à σείριος est σειριᾶν sive σιριᾶν, quod exponunt *splendere, coruscare*; item quo Orus Milesius utitur apud Etymolog. σειραίνω, *exsicco*: æquè ac à Μαῖρα, μαίρειν, id est, *splendere*; & ab Αἴγυπτος (ut Nilum quoque olim, teste Diodoro Bibl. l. 1, & Plinio N. H. l. 5, c. 19, vocârunt) αἰγυπτιάζειν, quod *adurere* exponunt, & αἰγυπτιῶσαι, quod μελᾶναι, hoc est, *atrare, denigrare*. Quippe Sirius fulgore suo reliquas exsuperat stellas; adeò ut meridie ipso ab iis, qui acumine præpollent, videatur, etiam citra speculum pelvi aquis repleto, ut fieri solet, impositum. Vnde & nonnullorum judicio, *Sirius* commune Canis, & Solis nomen: ut constat ex Hesychio, qui ait: Σείριος ὁ Ἥλιος, καὶ ὁ τοῦ κυνὸς ἀστήρ. *Sirius qui Sol, & Canis stella.* Et Suidas in Σείριος inquit: Σεὶρ, Σειρὸς ὁ Ἥλιος, καὶ Σείριος. *Sir, Sirus, qui Sol, & Sirius.* At Ibycus, ut iidem testantur, omnia astra appellavit σείρια; uti alii, Eustathio ex Rhetorum lexico prodente, σειρῆνες, *sirenes*: fortè à σειριᾶν; quia *splendent.*

dent. *Sirium* sanè *Solem* interpretantur quidam, sed contra Servii mentem, in illo Virgilii 4 Georgicῶν :

Iam rapidus torrens sitientes Sirius *Indos*
ardebat cœlo.

Imò plerique ita quoque nonnulla in Hesiodi Operibus de Sirio loca intelligunt : ut de hac re pluribus egit Hadrianus Iunius loco supra adducto.

Cæterùm Sirio, nullum astrum violentius, & gravius est, sive occidat, sive oriatur. Quippe mundum diversè afficit : nempe occidens frigore, oriens calore ;

Latratque Canicula flammans,
& rabit igne suo, geminatque incendia Solis :

ut Scaliger apud Manilium optimè legit. Atque hinc est, quòd tam multæ nationes hoc astrum summo religionis cultu placare studuerint. Sirio enim in insula Ceo hostias, prodente Apollonio l. 2, immolavit Aristæus Apollinis & Cyrenes filius ; legemque tulit, eodem, & Nonno Dionys. 5, item Apollinari l. 2, testibus, ut Cei Sirium quotannis sacrificiis placarent, eumque diligenter observarent. Vnde Cicero l. 1 de Divinatione : *Vt enim Ceos accepimus ortum Caniculæ diligenter quotannis solere servare, conjecturamque capere, ut scribit Ponticus Heraclides, an pestilens annus futurus sit*, &c. Sed hoc Manilius, ut Scaliger in Notis observat, de Cilicibus, in gratiam Arati, qui fuit Cilix, prodidit :

Hanc qui surgentem, primo cum redditur ortu,
Montis ab excelso speculantur vertice Tauri,
eventus frugum varios, & tempora dicunt,
quæque valetudo veniat, concordia quanta. &c.

Imò idem ferè de Ætæis refert Pierius Hieroglyph. l. 44 : *Ajunt Ætæos ortum Caniculæ diligenter quotannis observare solitos, conjecturamque inde capere, salubrisne, an pestilens annus futurus esset. Ea enim stella si obscurior, ac caliginosa propemodum extitisset, pingue, ac concretum esse cœlum, ac proinde afflatum ejus gravem, & pestilentem futurum ominabantur : Sin illustris, atque pellucida apparuisset, cœlum identidem tenue, purumque conjiciebant, futuramque inde salubritatem præsagiebant*.

Quin

Quin & eo nomine à Calabris propitiari ait Valerius Flaccus lib. 1:

Sic cùm stabulis, & messibus ingens
ira Deûm, *& Calabri populator* Sirius *arvi*
incubuit, coit agrestûm manus inscia priscum
in nemus, & miseris dictat pia vota Sacerdos.

Vbi per *iram Deorum*, quam Manilius *fatum supremum* vocat, alii θεομῆνιαν, quasi *quandam vim majorem*, ardores intelligit Caniculares. Quippe Caniculâ exortâ, Solis vapores accenduntur; ejusque amplissimi in terra sentiuntur effectus. Nempe maria fervent, vina in cellis fluctuant, stagna moventur, & canes toto eo spatio maximè in rabiem aguntur: ut Plinius N. H. l. 2, c.40 testatur. Quin & *siriasi*, h. e. capitis inflammatione, tunc imprimis laborant infantes. Hinc *rabiosi tempora Signi* dixit Horatius. De his autem æstuum intensionibus, quarum Sirius causa vulgò putatur, vide sis Gemini disputationem: ubi aliis nititur rationibus.

Romæ quoque, inter Portam Quirinalem, & Collinam, nempe juxta Catulariam, ad placandum hoc Sidus rufi canis exta pro frugibus contra uredines, & sævitiam Caniculæ, 7 Kal. Maji immolabantur. Vnde Ovidius Fastor. 5:

Pro Cane sidereo Canis hic imponitur aris:
& quare fiat, nil, nisi nomen, habet.

At clariùs Festus sive Paullus: *Catularia porta Romæ dicta est, quia non longè ab ea ad placandum Caniculæ sidus, frugibus inimicum, rufæ canes immolabantur, ut fruges flavescentes ad maturitatem perducerentur.* Et idem alio loco: *Rutilæ canes, id est, non procul à rubro colore, immolantur, ut ait Atteius Capito, canario sacrificio pro frugibus deprecandæ sævitiæ caussâ sideris Caniculæ.* Atque hinc quoque videmus, cur deo *Robigo* sive *Rubigini*, à segete robiginem arcenti, cujus festum *Robigalia* dictum, Numa instituit, teste Varrone in 5 de L. L. Verrio sive Festo in Robigalia, & Plinio l. 18, c. 19, præter ovem, etiam Canem sacrificârint in Aprili: ut ex Ovidio constat, qui loco adducto scribit:

Flamen in antiquæ lucum Rubiginis ibat,
exta canis flammis, exta daturus ovis.

Sed imprimis apud Ægyptios hoc ſidus inter reliqua principatum videtur obtinuiſſe: quia in ejus ortu ea ſignis quibuſdam obſervare ſolebant, quæ anno, quem ex eo quoque, æquè ac Sirium, *Iſidem* appellabant, integro eſſent peragenda; ut Horus Apollo, ſive interpres ejus loco ſupra adducto ſubnectit. Imò Ægyptii *Annum magnum*, qui quatuor *annos Dei*, hoc eſt, *Solis*, ſive *ſolares vulgares*, quos *Iulianos* dicimus, teſte Cenſorino de die Natali, complectitur, non ſolùm inchoabant ab ortu Sothidis, ſive Caniculæ; ſed etiam ex eo *annum canicularem* ſive *κύνικον* vocabant: & *à Chaldæis edocti*, verba ſunt Bayeri, *eodem ſidere Annum tropicum* 365 *dierum cum quadrante definierunt. Caniculam namque anno primo acronycè, ſecundo mediâ nocte, tertio ſex horis poſt, quinto rurſus ineunte nocte orientem animadvertentes, integrum abundare diem deprehenderunt. Hos Cæſar quartùm Conſul, devicto Pompejo, ſecutus, anni Canicularis, quo hodie utimur, inſtituit modulum.* Sed videatur de hoc maximus Voſſius de Idololatr. l. 1, c. 28: ubi de ratione anni apud Ægyptios multiplici ſatis fuſè tractat. Atque eò reſpexit Porphyrius, cum de Nympharum antro ſcribens, hæc infert: *Ægyptiis principium anni eſt, non Aquarius, ut Romanis; ſed Cancer. In Cancro enim eſt Sothis, quam Canis ſidus Græci dicunt. Neomenia autem ipſis eſt Sothidis ortus, quæ generationis mundi ducit initium.*

Oriebatur autem in Ægypto circiter 12 Kal. Auguſti *Sirius*: qui *variâ gentium obſervatione, in* 4 *Kalend. Maji occidit, ſidus per ſe vehemens, & cui præcedere, ſive,* ut Bayerus legit, *præoccidere* Caniculam *neceſſe ſit*: quomodo Plinius loquitur l. 18, c. 19: ubi paullò poſt addit: *Hanc diem Varro determinat Sole Tauri quartam decimam obtinente. Ergo ſi in hoc quadriduum inciderit plenilunium, fruges, & omnia, quæ florebant, lædi neceſſe eſt.* Atque hinc Polybius l. 1 Navigat. Rom. cum Heſiodo, vernam prohibere videtur navigationem.

Et Sirii ortum ſentire, ac ſtellam contuendo, ſternutando-

tandoque Ægyptiis significare ajunt Orygem; quòd animal adverso est pilo, & à nonnullis inter capras refertur: imò capras omnes, quotquot Ægyptus alit, ad ejus ortum eo, quo oritur, die, prospectare, ac, veluti numen adesse sentiant, adorabundas procumbere. Vnde & Oryx apud Ægyptios, ob insignem illam cum Sirio sympathiam, Astrologi sive Mathematici hieroglyphicum erat. Sed de hac Canicula, quæ per triginta post solstitium æstivum, sole in Leonem ingresso, dies, ab ea *Caniculares*, Græcis ἀμέραι τὰ σείριον ἡμέρας, & Germanis die Hundes-tage dictas, in cœlo fulget, plura videas apud Delrium Senecæ interpretem in primum Oedipi actum, & Lambinum in illud Horatii Ode 13, l. 3:

Te flagrantis atrox hora Caniculæ.

Quod jam ipsum *Canem*, in quo Sirius fulget, *majorem* concernit; hunc ajunt imaginem esse illius, quem Cephalus juvenis valdè pulcher, cujus mentio quoque facta ad signum Eridani, ab Aurora Titanis & Terræ, sive, ut Hesiodus mavult, Hyperionis & Thiæ filia, acceperit dono. Aurora enim amore Cephali ardens, promiserit illi canem, *Lælapa* dictum, omnium velocissimum, siquando cum illa concumberet. Verùm Cephalus idipsum primâ vice abnuens, responderit: se cum amasia, sive, ut aliis placet, uxore sua juråsse, quòd perpetuam sibi invicem fidelitatem conservare vellent. Attamen ab Aurora eò inductus, ut fidem uxoris tentaret, hanc habitu mercatoris assumto adierit, ac magnam auri copiam, gemmasque pretiosissimas promens, illi lautum obtulerit donum, si concederet, ut cum illa rem haberet. Atque sic annuente uxore, fidemque promissam frangente, Cephalus fragilitatem, ac inconstantem feminei sexus naturam comperiens, ad Auroram reversus, voluntati ejus satisfecerit; adeóque promissum Canem acceperit. Quin & hunc postea commisisse, addunt, Cephalum cum vulpe quadam, quæ cursus velocitate omnia animalia superare dicebatur: ubi uterque absque ulla fatigatione ita cucurrerit, ut ipse Iupiter

eos

eos miratus, Canem in perpetuam rei memoriam in cœlum retulerit, ac illi juxta leporem adſignaverit locum.

Alii tamen tradunt hunc Canem aſtris illatum in memoriam ac honorem *Anubis*, Typhonis ex Nephtha Iſidis & Oſiridis ſorore, teſte Plutarcho, filii: ſive potiùs *Calebi* filii Iephunne è Tribu Iuda, fidelis illius Moſis ſocii, vel eò notiſſimi, quòd cùm unus fuiſſet ex XII illis Terræ Cananææ exploratoribus, atque ita terram *canis* inſtar *indagantis* exploràſſet, jam redux ſolus cum ſolo Ioſua, quem *Herculem Cananæum* ſive *Ægyptio-Cananæum* fuiſſe, in Herculis ſigno demonſtravimus, ſeſe cæteris ſuis ſociis, populum turbantibus, oppoſuerit; eóque meruerit, ut ſolus etiam cum Ioſua inter eos, qui exploratum miſſi fuerant, beatam, quam viderant, ingreſſus ſit Terram: quemadmodum legere eſt Numer. c. 13, & 14. *Caleb* autem eſt ex Ebraico כָּלֵב, quod *canem* ſignificat. Vnde ambiguitas 1 Samuel. c. 25, v. 3: ubi Nabal dicitur כָּלִבִּי, *Calbi*. Quod ſeptuaginta Seniores avaritiam hominis attendentes, reddidere ἄνθρωπος κυνικὸς, *homo caninus*, hoc eſt, *avarus*: ſicut nos Germanicè dicimus ein hündiſcher / karger hund / hündiſcher menſch. Et Brylingerus in editione Baſileenſi minùs rectè: κυνηγὸς, *venator*: ut Voſſio monitum. Lutherus verò rectiùs: Einer von Kaleb, hoc eſt, *Calebita*. Sic quoque habet Targum: מִדְבֵית כָּלֵב *ex familia Caleb*. Et B. Hieronymus, *de genere Caleb*. Atque hinc non obſcurum eſt, cur gentiles Libero ſuo, ſive Dionyſo Arabico, qui tertius eſt Oſiris divinum adumbrans *Moſen*, in expeditione Indica, ſive potiùs, ut poſtea ſtrictius dixere, Arabica, ſocium addiderint Canem, eumque ratione præditum: ut Nonnus deſcribit Dionyſ. l. 16. Nempe quia *Caleb* ſignat *canem*. Moſen autem in Arabia, ubi majorem ætatis partem egit, ob edita ab eo prodigia, pro deo cultum, ejuſque imaginem adoratam fuiſſe, teſtatur Epiphanius in Melchiſedecianorum hæreſi 55. Imò hinc quoque non adeò operoſum erit divinare, cur Canis ille à Libero in cœlum, ac inter ſidera loca-

locatus, &c, ut uvas maturet, ſtellis ſummum jaculantibus ſplendorem præditus dicatur. De quo idem Nonnus Liberum cum Cane loquentem introducens, loco eodem:

— Χάριν δέ σοι, εἵνεκα μόχθων,
δώσω ἀμοιβαίην· μετὰ Σείριον, ἀστέρα Μαίρης,
Αἰθέρος ἀστὸν ἐγώ σε, καὶ ἀστερόεντα τελέσσω
ἄγχι κυνὸς προτέρον σταφυλὴν ἵνα καὶ σὺ πεπαίνῃς
βότρυος ἐς λιθείαν ἀκοντίζων σέλας αἴγλην.

— Gratiam tibi, laborum cauſâ,
referam mutuam: poſt Sirium, ſtellam Mæræ,
Ætheris civem ego te, & ſtellis plurimis relucentem efficiam
propè Canem priorem; uvam ut tu maturam reddas
racemi in ubertatem jaculans à te fulgorem.

Caleb enim non tantùm inter illos duodecim è duodecim tribubus Iſraëlitarum delectos fuit; qui, Moſe teſte Num. c. 13, v. 24, nobilem illum botrum, ſive palmitem cum uva ſua prægrandi abſciſſum, ac in vecte à viris duobus portatum, aliis poſt alios ſuccedentibus, propter pondus, quemadmodum Philo de vita Moſis l. 1 exiſtimat, ad Iſraëlitas detulerant: ſed etiam, Deo ſic volente, ſolus cum Ioſua, ut diximus, *beatam* ingreſſus eſt *Terram*; quam Poëtæ gentiles, utpote lacte, & melle fluentem, imò vino affluentem, *Cœlum* non abſque ratione dixere. Quin & in ea ipſa, uti Moſes, Arabicus ille Liber, teſte Ioſua c. 14, v. 9, ſacramento promiſerat, regionem illam, quam racemis admirandæ magnitudinis celebrem, pedibus explorans calcaverat, nempe Kiriath-Arba, ſive Hebron, cum poſteris ſuis perpetuò poſſidendam accepit.

Præterea quoque fabulis, quas de Anubi, & Hermanubi enarrant gentiles, multa ex Calebi hiſtoria admixta videntur. Caleb enim, ut cætera taceam, ex regionibus ſibi adjudicatis propulſavit *Enakim*, ſive filios *Enak*; qui vaſtæ ſtaturæ homines erant. Vnde fabula orta Anubin cum Oſiride gigantes ex Italia pepuliſſe: ubi propè Veſevum montem habitârint; ut proditum Diodoro l. 4. Et quòd Mercurium, qui primo Oſiridi,

ſive is fuerit Miſorim vel Mizraim, ſive idem ac Menis Thinites, in exercitu ſuo à conſiliis, & Orator ad milites erat, eundem ac Ἀνϐὶν, ſive potiùs Ἑρμάνϐιν, ut eos diſtinguit Plutarchus lib. de Iſide, & Oſiride, nonnulli putârint; ex eo fortè factum ſuſpicor: quia audierant, Calebum non tantùm ſocium, & canis inſtar explorantis, uti modò diximus, ſed etiam Oratorem ad populum ſeditioſum fuiſſe Oſiridi tertio, hoc eſt, Moſi. Quem cum Oſiride primo, nempe Mizraimo, & Oſiride ſecundo, qui erat patriarcha Ioſeph, cujus ſymbolum *bovem Memphitem*, ſive *Apim Ægyptium*, uti *Heliopolitanum*, qui proprio nomine Μνεῦις, Menis ſive Menæ non Thebani, ſed Thinitæ, fuiſſe teſtatur Iul. Maternus de errore prof. relig. confundere ſolent.

Anubis autem, qui & venator fuiſſe dicitur, militabat unà cum Mercurio, Herculé, Pane, Apolline, ac aliis, ſub patruo, Oſiride antiquiſſimo: & pingebatur κυνοκέφαλος, hoc eſt, *capite canino*; ut Servio traditum in illud Virgilii Æneid. 8:

Omnigenumque Deûm monſtra, & latrator Anubis.

Imò Sedulius eum in opere Paſchali dixit *Semihominem canem*, & Lucanus l. 8, v. 832, *Semicanem Deum*. Quia Oſiridis, & Iſidis fuerat corporis cuſtos: quomodo *canem* pro *cuſtode*, & *cuſtodem* pro *cane*, ob communem cuſtodiam, dicere conſueviſſe teſtatur Voſſius Inſtitut. Orat. l. 4, c. 6, ſect. 8. Vel quia Iſis ejus operâ, tanquam canis indagantis, membra Oſiridis à Typhone fratre crudeliter diſſecti repererit: ut Iulio Firmico de errore prof. relig. videtur. Vel etiam propterea, quòd foret κυνηγέτης, hoc eſt, *venator*: vel quòd Oſiridi canino contectus tegmine militiæ fuerit comes: ut traditum Diodoro. Galeam enim videtur geſſiſſe è pelle canina: qualem Græci κυνῆν, ſive potiùs κυνέην, uti àliam è lupina, λυκέην, & è pelle ſylveſtris muſtelæ, ἰκτιδέην, ſubintelligendo δορὰν, hoc eſt, *pellem*, dicere ſolent. Imò ἰκτιδέην κυνέην conjunctim legas apud Homerum Iliad. κ, pro *galea ex pelle* ἴκτιδος, hoc eſt, *muſtelæ*. Quippe Κυνέη dicitur galea, non tantùm ea, quæ antiquitus

pro-

propriè ex pelle canis aquatici, ut Eustathius testis, ad tegendum caput fiebat; sed etiam quæ postea ex alia quavis materia conficiebatur. Hinc *pileum* quoque Græci dicunt κυνέην, sive κυνῆν. Et *galeam* ipsam, æquè ac *galerum* non aliunde dici suspicor, quàm quia foret ex pelle τῆς γαλῆς; quod animal vel idem est ac felis, sive mustela, vel simile. Sanè ex ejusmodi animalium pugnacium pellibus vetustis temporibus fiebant galeæ. Et galeam, sive capitis integumentum ex pelle capitis bubuli cornuta in bello gestâsse videtur Ammon, cum filio Osiride; qui antiquissimus est Liber sive Bacchus Ægyptius. Vnde & cornutos effingi prodidit Diodorus. Imò licet ejusmodi pelliceæ galeæ postea in desuetudinem venerint, ferreis ac æneis in earum locum introductis: figuram tamen animalis cujuspiam pugnacis, si non totius, saltem capitis ejus, ut leonis, vel corvi, vel alterius ejusmodi, in iis expressam gestârunt. Vnde suspicatur Vossius noster, Corvum illum, cujus auxilio, apud Livium l. 7, c. 26, M. Valerius Romanorum militum tribunus, *Corvus* postea cognominatus, Gallum magnitudine atque armis insignem, inspectante hinc Romano, illinc Gallico exercitu, singulari pugnâ obtruncâsse dicitur, non veram fuisse alitem, sed ejus saltem galeæ Valerii superadditum signum: ut nobis quoque dicendum erit ad signum Corvi.

Sed adhuc aliam super Anubi canis figurâ effictο nobis affert rationem Plutarchus: nempe quòd Horizontem, sive terminatorem in Sphæra circulum apud Ægyptios significet; adeóque canis instar custodientis tam superius hemisphærium, nempe lucidum, ac diurnum, quod *Isidem* esse ait, quàm inferius, idque obscurum, ac nocturnum, quod *Nephtham*, sive *Nephthen* vocat, utriusque particeps custodiat, ac visu fruatur noctu pariter ac interdiu.

Verùm enim verò missis hisce commentis, nugisque, sufficiamus potiùs imaginem & memoriam canum illorum, qui impiissimam Iesabel devorârunt; ut est in primo Regum c. 9, v. 10, 35, & 36: aut, si mavis, unius

ex

ex illis, qui Lazari ulcera ad januam Divitis lingebant: ut legere est in Historia Lucæ c. 16, v. 20, & 21.

VII. HYDRA; die große Mittags- oder Wasser-schlange;

Hydrus, sive *Serpens aquaticus*; *Asina*; *Coluber*; *Anguis*, *Sublimatus*, *Magnanimus*, *Furiosus*, *Fortis*; quibusdam *Echidna*: Græcè ὕδρος, ὕδρα, Arato ὕδρη: Arabicè in Asterismis Almagesti sive potiùs Σωζάξιος μεγίστης, *Asuia*, quasi ἀσῦγια, Schickardo *Asschagio*, id est, *audax*, *furibundus*; quod tamen cognomentum est Orionis. Meridianum mediâ nocte occupat capite, ineunte Februario, caudâ verò ineunte Aprili, & medietate circa medium Martii, sive æquinoctium vernum. Et stellis ornatur in globo nostro 28; quarum lucidissima in pectore, sive flexura tertia, Arabicè vocatur *Alphrad*, id est, *Cor hydræ*, Germanicè das Schlangen-Hertz.

Postellus hic numerat 27 stellas, additis, quæ extra formam posita, duabus: Bayerus verò 29; nempe unam sub ventre, sive pectore, secunda magnitudinis; 2 tertiæ; 13 quartæ; 9 quintæ, & 4 sextæ, omnes ♄, & ♀ naturam participantes.

Hydra cœlestis extendit se per tria Zodiaci signa, nempe ♌, ♍, & ♎; erigitque caput supra Æquatorem, usque ad Cancrum. Super caudam ejus sedet *Corvus*, cujus signum mox videbimus; & medio *Crater* aquâ plenus infixus est: idque propterea, ut Corvum vehementer sitientem, ac potus appetentissimum in cœlo quoque impedire videretur Hydra, ne bibat ex Cratere.

Fabula autem de horum trium signorum hujusmodi positu sic se habet. Apollo Iovi aliquando sacrificaturus, miserat Corvum sibi valde familiarem cum Cratere in-

inaurato ad fontem quendam accersitum aquam. Corvus autem videns ficum, cujus fructus ad maturitatem nondum pervenerant, insidensque ejus ramis, immemor imperii, tamdiu expectavit, donec maturescerent: atque iis jam saturatus, angue sive hydrâ correptâ, illum adversarium, quòd aquam hauriendi moram injecerit, accusaturus, eoque nomine culpam prætexturus, tandem ad Apollinem rediit. Qui interea temporis, ob longam corvi moram, aliunde acceperat aquam: & Corvum candidissimis tum plumis vestitum, larvâ prætextus detractâ, mendacii arguens, hac affecit pœnâ, ut ficuum colore tingeretur, ac totus denigresceret; sive potiùs ut ficuum maturescentium tempore, Hydrâ aquam custodire jussâ, non bibere posset. Nam Corvum albedine exutum alii ajunt, ob garrulitatem: nempe quia non mendacium, sed veritatem dixit, dum scilicet domino suo Phœbo sive Apollini

— jacentem
cum juvene Æmonio vidisse Coronida narrat:

ut Ovidius Metamorph. l. 2 loquitur, & nos in subsequenti Signo mox pluribus visuri sumus. Atque ita hac occasione Hydra, unà cum Corvo, & Cratere, in perpetuam rei memoriam in cœlum translata fingitur. Hinc Ovidius Fastor. l. 2, ubi fabulam hanc enarrat:

Dixit: & antiqui monumenta perennia facti
Anguis, Avis, Crater, Sidera juncta micant.

Nonnulli tamen dicunt hanc Hydram esse *Excetram* illam *Lernæam*, quam ab Hercule occisam in ejus diximus Signo. Vnde & multis olim capitibus effigiebatur. Ea autem Invidiæ imprimis hieroglyphicum erat: qua domitandâ Hercules magis laboravit, quàm ullo alio monstro superando. Quippe hanc non nisi in abjecto, & vili animo reperias, æquè ac hydram è sordido cœno pullulantem: unde & palustris solummodò fingitur.

Cæterùm sub hac Hydræ cœlestis imagine intelligamus potius illam, cujus prudentiam, æquè ac simplicitatem columbarum, nos discere jubemur, Matth. c. 10, v. 15.

VIII. CRATER; der Wasser-Krug / das Trink-geschir / der Trink-becher / die Trink-schale;

Ciceroni, & Horatio *Cratera*, Curtio *Scyphus*, aliis *Vrna*, *Patera*, *Calix*, *Poculum*; *Poculum Apollinis*, *Bacchi*, *Herculis*, *Demophoontis* : Græcè Κρατὴρ, sive Ionicè κρητὴρ; quibusdam σκύφος, *poculum Herculi propriè sacrum*, Hesiodo σκύμφος; aliis Κάλπη, hoc est, *Vrna*, item ὑδρία, id est, *Vas aquarium*; Tabulis Alphonsinis *Vas*, ἀγγεῖον, i. e. *Vas quodlibet*; noviter *Albatina*: Arabicè *Elkis*, aliis *Alches*, vel *Alkes*, item *Alhas*, sive *Alhes*, rectiùs tamen juxta Schickardum *Alkaso*, id est, *Poculum*, *Crater*: Ebraicè כוס; unde Belgicum **Kom**, id est, *patella profundior*. Meridianum occupat mediâ nocte circa Martii medium: & 8 complectitur in globo nostro stellas; quarum illa in basi borealior cum Hydra communis, vocatur *Fundus vasis*, Arabicè κατ' ἐξοχὴν *Alhes*, *Alkes*, sive *Alches*, Schickardo *Alkaso*.

Postellus applicat 7 : Bayerus verò undecim; nempe 8 quartæ; 1 quintæ; & 2 sextæ magnitudinis, omnes partim ☿, partim ♀ dicatas.

Κρατὴρ nonnullis derivatur à κρατέω, hoc est, *teneo*, *comprehendo*, item *dominor*; quia aquæ, vel vini conceptaculum est: vel potiùs, ut ego censeo, quasi dicas κερατὴρ, à κέρας, quod *cornu*, item *poculum ex cornu*, aut *ad cornu effigiem factum*, significat. Vnde etiam est κεράω, sive per syncopen κράω, & κεράννυμι, sive κεραννύω, id est, *misceo*, *tempero*; vel propriè *misceo aquam vino in cornu*, vel

vel poculo ad similitudinem cornu effictio, item *in ejusmodi vase bibendum præbeo*: ut mos erat veterum, qui ex cornibus bibere solebant. Imò ipsum κεράτιω, uti & κέρατος, hoc est, *robur, vis, potentia, imperium*, videntur esse contracta ex κερατίω, & κέρατος, à κέρας; quia animalium cornigerorum omne robur, potentia & dominium in cornibus consistit: unde & Cornu potentiæ & dominii regii est symbolum. Falsi igitur sunt, meo judicio, qui κερατὴρ ex κερατίω, sive etiam κεράω ortum esse dicunt. Attamen videri potest, si vacat, de hoc quoque Turnebus l. 12, c. 13.

De *Cratere* autem *cœlesti*, cujus inter astra receptionis occasionem in præcedenti quoque vidimus signo, Cælius Augustinus Curio Hieroglyphic. l. 2, c. 8, hæc habet: *Crater ille sidereus, qui ab Astronomis inter Leonem, & Cancrum collocatur, oblivionem significat: quoniam, ex Platonicorum sententia, animæ, cum in humana corpora demittuntur de cœlo, per Cancri januam descendentes, & per Capricornum rursus corpore solutæ, in cœlum ascendentes, cum descendunt, ex Cratere illo, quem* Bacchi poculum *vocant, oblivionem bibere finguntur, & sic cœlestium rerum oblivisci, aliæ magis, aliæ minùs, prout magis, minùsve ex illo poculo hausere.* Atque sic pro *Apollinis poculo*, ut Ovidius hoc signum appellare videtur, hîc reponit *Bacchi poculum*, sive, ut Homerus vocat, βακχάλιον, *Bacchalium*, Germanicè ein Bächer / Bokahl, Belgicè een Bak / beker, Italicè *Boccalia*, sive ut alii, κισσύβιον, à κισσός, id est, *hedera*: quæ Osiridi, sive Libero sacra; unde & linguâ Ægyptiacâ *Chenosiris*, hoc est, *planta Osiridis* dicitur; ut vidimus in Signo Coronæ boreæ. In ejusmodi enim vase vinario juxta ansam hederæ folium olim expressum erat. Quò respexit fortè Virgilius Eclog. 3:

— Quibus (poculis) *superaddita vitis,*
diffusos hederâ vestit pallente corymbos.

Imò ipsa Bacchalia ex hederæ ligno facta legas apud Serenum Samonicum:

Mollibus ex hederæ tornantur pocula lignis.

Alii malunt appellare *Laomedontis*, alii *Nestoris*, alii

Achillis, alii *Didonis*, multi *Herculis*; cujus mentionem ingerit Macrobius Saturnal. l.5, c.21, & Curtius l.10: alii item *Demophoontis*. De *Herculis poculo* sive *scypho*, ut propriè appellant, apud Servium hæc legas: *Ingens poculum ligneum ipse Hercules in Italiam attulit, quod, ne carie consumeretur, pice oblitum servabatur.* De *poculo* autem *Demophoontis* sequens narratur fabula, sive potiùs fabulosa historia. Regnante Demophoonte in Chersoneso Thracia, per totum regnum pestilentia adeò vehemens grassabatur, ut propterea Oraculum Apollinis consulerent. Quod cùm responsum dedisset; non priùs liberatum iri regnum à peste, quàm singulis annis virginem quandam nobilem sacrificârint: Rex protinus mandavit, ut omnium virginum in civitate ejus nobilium nomina reponerentur in cratere quodam; unde sorte detracta una victima fieret pro omnibus. Sed Demophoonte ex hoc sortilegio filias suas proprias excipiente, magna inter Nobiles oborta est invidia. Quin & Matusius quidam apertè dixerat, se nolle ampliùs consentire, ut filia sua sorti sit subjecta. Quibus verbis offensus rex protinus jussit, ut, sortione neglectâ, filia Matusii mactaretur. Qui iram quidem occultans, simulabat id sibi non adeò ingratum fore: & post tempus aliquod regem cum duabus filiis invitavit ad convivium. Vbi filias regias in conclave inclusas mactari, & partem sanguinis vino mixti in cratere quodam regi jussit offerri. Atque hunc esse Craterem dicunt, cujus imaginem Iupiter postmodum, ad testificandum, quòd haud iniquè fecisset Matusius, in cœlum retulerit.

Cæterùm nos pro fabulosis, & vanis ejusmodi poculis, malumus reponere vera; & quidem vel unam ex *sex illis Hydriis* in nuptiis Canæ Galileæ juxta purificationem Iudæorum positis, ac miraculo aquæ illis infusæ, ac in vinum mutatæ, teste Ioanne Evangelistâ c. 2, v. 6, notissimis: vel *Poculum* illud *propheticum*, cujus adminiculo Patriarcha Ioseph, secundus ille Osiris Ægyptius, vaticinari dictus est, Genes. c. 44, v. 5: vel potiùs *Calicem passionis, & mortis Domini nostri Iesu Christi*;

cujus

cujus mentionem ingerit Matthæus c.26, Marcus c.14, Lucas c. 22, & Paulus 1 Corinth. c. 10, & 11.

IX. CORVUS; der Rabe / das Raben-gestirn.

Corax, L. Floro *Avis Satyra*, item *Pomptina*; Ovidio *Phœbeïus ales*, in Tabulis *Ales Phœbi*; *Emansor*, *Ficarius*; *Garrulus*, *Proditor*: Græcè Κόραξ; Κόραξ κόπτοντι ἐοικώς, id est, *corvus rostrum impingenti*, sive, ut Plinius loquitur, *rostranti similis*, quasi rostro ficum, quæ Suidæ κοράκιον dicitur, adhuc tentet, ut Ovidius describit: Arabicè *Gorab*, *Algorab*, juxta Schickardum *Algorabo*, id est, *Corvus*, ab obscuro, sive nigro colore; Ebraicè עֹרֵב; unde Arabicum *Gorab*; ex quo postea Latinum *Corvus*, mutato G in cognatam C, & B in V, additâque terminatione Latinâ; item Germanicum Rabe, abjecta prima syllabâ *Go*; & Græcum Κόραξ, mutatis solummodò G, & B, in K, & Z. Meridianum nocte mediâ versus austrum pervolat, circa Martii medium: ac in globo nostro septem continet stellas; quarum illa ad posteriorem sive sequentem, hoc est, lævam alam, Bayero priorem sive dextram, duarum inferior, κατ' ἐξοχὴν dicitur *Gorab*, sive cum articulo Arabico *Algorab*.

Postellus totidem numerat; uti & Bayerus: nempe 4 tertiæ magnitudinis; unam quartæ; & 2 quintæ, omnes ♄, & ♀ complexionem imitantes.

Post Craterem nunc quoque videamus, sive audiamus *Corvum* ab Apolline, ut supra ad Hydram diximus, siti damnatum, atque hinc subortâ gutturis raucedine

crocitantem: qui hominis *stultiloqui*, *garruli*, *proditoris*, *voluptuarii*, *contumacis*, *emansoris*, *impostoris*, & *sycophantæ*, imò & *Mathematici* est hieroglyphicum. Quippe *garrulum*, ac unà *proditorem* egisse fabulantur Corvum, cùm Phœbo indicârit amores Scini filii Calci, & Nymphæ Coronidis; quam Phœbus perditè amâsse, atque ex ea Æsculapium Medicum excellentissimum, ut ad Signum Serpentarii innuimus, suscepisse dicitur. Ea autem garrulitas, qua Phœbum adegerat, ut amasiam pariter ac corrivalem subitâ permotus irà telo transfixerit, Corvo in maximum cessit detrimentum. Nam Phœbus pœnitudine ductus, quòd, audito crimine adamatæ suæ Coronidis, sic exarsisset, odit avem,

Sperantemque sibi non falsæ præmia linguæ,
inter aves albas vetuit consistere Corvum:

ut Ovidius Metamorph. l. 2 hanc fabulam claudit. Scilicet, verbis utar ejusdem,

Lingua fuit damno: linguâ faciente loquaci,
qui color albus erat, nunc est contrarius albo.
Nam fuit hæc quondam niveis argentea pennis
Ales, ut æquaret totas sine labe columbas,
nec servaturis vigili Capitolia voce
cederet anseribus, nec amanti flumina cycno.

Sanè humanam imitatur vocem, & discit satis articulatè loqui. Exemplum nobis egregium affert Plinius N. H. l. 4, c. 10 de Corvo Romano: qui singulis matutinis in forum, ac rostra evolans, Tiberium, deinde Germanicum, & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum salutabat. Alius Augustum ex Actiaca victoria reducem hisce salutavit verbis; *Ave Cæsar Victor Imperator*: ut est apud Macrob. Saturnal. l.2, c.4. Rursus alius Sutoris, Cæsarem salutare edoctus, oleum, & operam perdidisset, nisi *oleum, & operam periisse* eloqui potuisset. Hinc Martialis corvum *Salutatorem* dixit. Quin & solus inter aves edere dicitur vocum significationes, quas accuratè admodùm augures observare solebant. Vocem verò sive ob diversos affectus, sive ob tempestatum ingruentium diversitatem, diversimodè mutat:

mutat: adeò ut Fulgentius ſexaginta quatuor numeret. Atque hinc Apollini, ut divinationis præſidi, ſacrum dixit Anaximander in libris Horoſcopicis. Quod tamen alii eſſe putant, quia inter aves maximè ſit niger. Is enim color, juxta Porphyrium, Apollini, ſive Soli dicatus eſt; quippe cujus calor animalium corporibus, aliiſque, quorum ſuccus ad nigredinem, ſive rubedinem vergit, ut ſunt pruna, ficus, & uvæ purpureæ ſive glaſtinæ vinum fundentes atrum, & rubellum, ejuſmodi inducit colorem. Vnde & Ægyptii, & Brachmanæ nigredinem imprimis venerabantur. Imò color ille corvis adeò ingenitus eſſe videtur, ut etiam ova eorum atrandis capillis inſervire dicantur. Et ob id, credo, Phœbus in Corvo latuiſſe fingitur Ovidio Metam. l. 5:

Duxque gregis, dixit, fit Iuppiter: unde recurvis
nunc quoque formatis Libys eſt cum cornibus Ammon.
Delius in Corvo, *proles Semeleia capro,*
Fele ſoror Phœbi, niveâ Saturnia vaccâ,
Piſce Venus latuit, Cyllenius ibidis alis.

Porrò *voluptarium*, pariter ac *contumacem*, & *emanſorem*, imò *impoſtorem*; & *ſycophantam* ſimul egiſſe videtur Corvus; cùm voluptatibus ſuis obſequens, obſequiumque Domino debitum negligens, tamdiu moratus ſit, quoad matureſcerent ficus; imò reverſus ad Apollinem, impoſtorum, ac ſycophantarum more, mendacia fingens, hydræ ſycophantias, ut cum Plauto loquar, ſtruxerit, hoc eſt, in eam moræ culpam falſâ tranſtulerit delatione: ut ex memorata ad Hydram vidimus fabula. Atque hinc ortum ſuſpicantur nonnulli vocabulum *ſycophantæ*, ac primùm, quod veriùs videtur, ſignificare cœpiſſe *falſum delatorem*: qui Italis quoque dicitur *mangiator de fichi*, & Gallis *emputeur & mangeur de figues*, hoc eſt, ut Germani dicunt, ein feigen-freſſer, ſive feigen-dieb. Alii tamen, quibus derivatur παρὰ τὸ σῦκα φαίνειν, id eſt, *ab indicando eum, qui ficos comediſſet*, ſive *exportâſſet*, ut iidem explicant, aliam, unde originem traxerit hæc ſignificatio, pariter ac ipſum vocabulum, producunt rationem. Nempe è duobus ſervis, quos

Græcus quidam paterfamilias aluiſſet, alterum aliquando ficus domino abſtuliſſe, idque clam ſocio. Sed domino poſtmodum eos quærenti ſontem innocentem accuſâſſe. Vbi herus, ut verum exploraret, utrumque juſſerit aquam ſubtepidam haurire, ac deinde evomere. Atque tum primùm ajunt ortum vocabulum *ſycophantæ*, eo ſic appellato, qui ficus devoraverat, culpamque in conſervum cavillando, falſéque criminando retulerat. Sed potiùs cenſeo vocabulum hoc primam ſuam originem debere Athenienſibus: quandoquidem iis qui indicabat, quos ficus ex Attica portâſſe deprehenderat, *ſycophanta, συκοφάντης*, hoc eſt, *ficuum exportatarum index*, primo vocabuli ſignificatu, uti ſecundo etiam συκαστής, & συκολόγος, dicebatur. Quippe vetitum erat apud Athenienſes ficus exportare: utpote qui ficum arborem in maximo habebant pretio. Quin & apud eoſdem poſtea qui more τῶν συκοφαντῶν ex eo vitæ genere victum ſibi comparantium, ut aliquid pecuniolæ corraderet, etiam innocentes, fictis criminibus, in judicium pertrahebat, συκοφάντης, item συκαστής, & συκολόγος appellabatur: ut proditum eſt Plutarcho περὶ πολυπραγμ. & Ariſtophanis Scholiaſtæ.

Sed & *Impoſtorem* ſignificantes pingere ſolebant *Corvum lapidem ore tenentem, cum appoſita urna.* Quippe in aridiſſimis Libyæ locis, non datâ alterius aquæ copiâ, corvi capita immittentes in urnas, quibus aquæ de remotis fontibus allatæ aſſervari ſolent, humorem ſorbillant: at eò quouſque hauriendi facultas datur abſumto, lapillos collectos per os urnæ admodum anguſtum in aquam dejiciunt, atque ſic indies ſurgente humore ſiti conſulunt ſuæ; ut Plinius tradit l. 10, c. 43, imò oculatus eſt teſtis Plutarchus. Verùm alii hoc ipſo *Mathematicum* potiùs ſignificari volunt; imprimis verò *Archimedem*: qui duo labra, unum pro corona argentea, alterum pro aurea, quam Hieron Syracuſarum rex, ut magnitudine argenteam æquaret, faciendam locaverat, aquâ implevit; ac conjectis ſingulis in ſingula labra coronis, aquam è diverſis labris effluentem metiens, furti ab

ab aurifabro commissi detegendi rationem invenit : ut ex Vitruvii l. 10, fusiùs enarrat Barth. Keckermannus in prolegomenis Systematis Mathematices pag. 36, & Gemma Frisius in Arithmetica sua, ubi unà proportionem aquæ effluxæ instituit.

Præterea quoque *abstinentiæ*, sive *sobrietatis*, *bellicositatis*, *fidei matrimonialis*, & *filiorum exhæredationis* symbolum esse poterit Corvus. Et *abstinentiæ* quidem; quia per sexagenos æstatis dies, quibus, ut Ælianus l. 1 de nat. animal. testatur, ventris profluvio laborat, suâ sponte potiùs abstinet potu, ut incommodo suo obviam eat, alvumque sistat; quàm quòd ab Apolline circa id tempus,

quo lactens hærebit in arbore ficus,

siti damnatus sit : ut fabulâ ex eo confictâ ad Signum Hydræ indicavimus. *Bellicositatis* verò hieroglyphicum haberi poterit, quia avium pugnacissima est. Vnde & Herculi sacra; ac figurâ ejus olim insignes erant galeæ. Vt inter alias M. Valerii cognomento *Corvi*: qui in agro Pomptino, unde Corvus, *avis Pomptina*, dicitur, cum Gallo pugnavit, ac galeâ suâ corvo insignitâ egregium in historia peperit figmentum; quod tamen ad signum Canis majoris affatim diluimus. Sed juvat audire Livium, qui vulgi errore, quod miror, deceptus, l. 7, c. 26 sic scribit: *Gallus processit magnitudine, atque armis insignis: quatiensque scutum hastâ, cùm silentium fecisset, provocat per interpretem unum ex Romanis, qui secum ferro decernat. Marcus erat Valerius, tribunus militum, adolescens, qui haud indigniorem eo decore se, quàm T. Manlium ratus, priùs sciscitatus Consulis voluntatem, in medium armatus processit. Minùs insigne certamen humanum numine interposito Deorum factum. Namque conserenti jam manum Romano corvus repentè in galea consedit in hostem versus : quod primò ut augurium cœlo missum, lætus accepit tribunus : precatus deinde; si divus, si diva esset, qui sibi præpetem misisset, volens propitius adesset. Dictu mirabile: tenuit non solùm ales captam semel sedem, sed quotiescumque certamen initum est, levans se alis, os, oculosque hostis rostro, & unguibus appetiit: donec territum prodigii talis*

visu, oculisque simul ac mente turbatum, Valerius obtruncat. Corvus è conspectu elatus Orientem petit. Consul, concione advocatâ, laudatum tribunum decem bobus, aureâque coronâ donat. Meminere quoque inter alios Val. Maximus, l. 3, c. 2, Agellius l. 9, c. 11, Sextus Aurelius de Vir. illustr. c. 29, & Ionstonius in Histor. Animalium; ubi Titulo 6, c. 1 scribit *corvos ad trigesimum & quadragesimum unà viventes, conjugii jura servare; ac uno defuncto alterum per vitæ reliquum viduum permanere.* Adeò ut corvus optimum etiam symbolum sit *fidei conjugalis.*

Quod denique *filiorum exhæredationis*, & *abdicationis* hieroglyphicum diximus esse Corvum: idipsum probamus eorum naturâ à pullis suis alienâ. Nam exclusos, fortè quòd color illis sit albicantior, tanquam adulterinos, usque ad septimum diem, quo demum induunt atrum, planè negligunt. Qui tamen interea vel rore cœlitus destillante, ut Cassiodorus credit, vel à muscis prætervolantibus, Deo sic providente, ut ex Psalmo 147 constat, nutriuntur. Et agniti tum quidem in curam recipiuntur: sed tamen firmiores facti, nido expelluntur, imò mox regione totâ interdicuntur, atque ita quasi exhæredantur: ut est apud Gregorium Magnum Moral. l. 30, c. 8, & Plinium N. H. l. 10, c. 13. Qui tamen & circa Cranonem singula perpetuò paria degere, & genitores soboli loco cedere tradit l. 7, c. 48, & l. 8, c. 48.

Cæterùm Corvi figura à quibusdam ab ipso Iove in cœlum locata fingitur; quòd ejusmodi avis adulterium Coronidis, quam Iupiter, ut matrem Æsculapii, odisset, indicaverit, adeoque effecerit, ut Phœbus zelotypiâ permotus, eam occidisset. Verùm nos potiùs hac figurâ designari dicimus *Corvum Noë*, qui ante multa secula in Sacris literis, æquè ac alter in prophanis, emansoris, ac contumacis notâ inustus est, quòd tempore diluvii ex Arca emissus exploratum an aquæ decreverint, ac cadaveribus allectus, non redierit; ut legere est Genes. c. 8, v. 7: vel, si mavis, unum ex illis, qui divinitus missi, Eliæ Prophetæ panes, & carnem in eremo sub-

ſubminiſtrârunt ; ut itidem teſtantur Divinæ literæ 2 Reg. c. 17, v. 4, 6.

X. CENTAURUS; der Pferdeman/ der Stachel- ſive ſpohren-Reiter;

Ovidio *Semivir*; Pindaro *acris Venator*; *Pelenor*; nonnullis *Chiron*, *Phillyrides* ſive *Philyrides*, *Pelethronius*, *Pholos*; *Monſtrum ex homine, & equo compoſitum*, cujus partem humanam Aratus τὰ ἀνδρὶ ἐοικότα, *homini ſimilem*, equinam τὰ ἱππούραια, *caudam equinam habentem*, dixit: aliis *Minotaurus:* Græcè Proclo Κένταυρος, Sophocli in Trach. Θὴρ, *fera, bellua*, Æolicè apud Homerum Iliad. α, Φὴρ, quod idem ſignificat: Arabicè *Albeze*, *Aſmeat*; & pingitur *Vrſus equo commiſſus*. In Meridiano conſpicitur noctè mediâ circa finem Aprilis: & complectitur in globo noſtro 37 ſtellas.

Totidem & Poſtellus habet : Bayerus autem 40; nempe unam in ſummo pede lævo antecedente, & itidem unam in femore ſiniſtro poſteriori, primæ magnitudinis; 5 ſecundæ; 7 tertiæ; 16 quartæ; & unam ſextæ: quarum aliæ, nempe quæ in humana Centauri parte hærent, ☿ & ♀, aliis ♀ & ♂; aliæ, quæ in beſtiali ſunt poſitæ, ♃ & ♀ naturam imitantur.

Κενταύροι, ſive *Centauri* dicti fuerunt omnium primi ſatellites Saturni, ſive Neptuni Theſſalici, nempe, ut vero nomine dicebatur, Ixionis regis Lariſſæ in Theſſalia, παρὰ τὸ κεντεῖν τοὺς ταύρους; quòd equorum concenſorum velocitate boves œſtro agitatos ſecuti, pungentes, ſtimulanteſque ad ſtabula reduxerint: ut Servius annotavit ad hunc Virgilii locum Georgic. l. 3:

Frena Pelethronii Lapithæ, gyroſque dedere
impoſiti dorſo, atque equitem docuere ſub armis
inſultare ſolo, & greſſos glomerare ſuperbos.

Κέν-

κέντρον enim Græcis est *stimulus*, sive *calcar, quo bubus instamus.* Vnde Pindarus, & Euripides dixere, κέντρα λακτίζειν, *adversus stimulum, sive calcar calcitrare, calces jactare:* quod B. Lutherus in Bibliis Germanicè reddidit, **wider den stachel lecken** / hoc est, **dem stachel mit hinter sich lecken / oder springen / oder hinten aus-schlagende / widerstreben wollen.**

Sed postmodum etiam Thessali habitantes secundùm Pelium montem, aliique ex equo illic pugnantes, *Centauri* appellati sunt: ut testis est Plinius l. 7, c. 56. Vbi quoque *Pelethronium* strata, & frenos invenisse ait. Nempe, ut ego interpretor, quendam ex genere Lapitharum incolam Pelethronii Thessaliæ montis, sive oppidi: ubi primum domandorum equorum usum repertum fuisse testatur Servius loco adducto. Vnde & *Chiron,* quem, cum reliquis Centauris, Suidas modò laudati Ixionis filium dixit, *Pelethronius* appellatus est. Et Lapitharum, Centaurorumque bellum, quo tempore Ixion Ægei Atheniensis σύγχρονος, ut ex Eusebio constat, Larissæ regnavit, gestum fuisse indicat Palæphatus. In eo autem bello, cum equi in transitu Penei fluminis inclinatis capitibus biberent, adeò ut eques & equus unum animal esse viderentur, locus fabulæ datus, ut Centauris formam tribuerent adeò monstrosam: quemadmodum idem Palæphatus, eumque secutus Isac. Tzetzes Chil. 7, histor. 99, item Servius loco laudato prodidere.

Per hanc tamen duplicem, quam Centauris affingunt, formam Maximus Tyrius voluptatis intelligit vinculum. Hominem enim, quotiescunque accidat, ut ferinæ partes in eo tyrannidem occupent, ardorque cupiditatis nobilitatem animi corripiat, opprimat, suoque addicat servitio, propter turpitudinem tum in belluam verti. Et Centaurus ille Medicinæ, ac chirurgiæ inventor, *Chiron* ob levitatem manuum in vulnerum tractatione, & curatione, ut quidam censent, dictus, cui hoc signum, quod mihi *commune Centaurorum* videtur *symbolum,* à quibusdam soli attribuitur, supernâ parte homo, in-

infernâ equus ideò fictus fertur : quòd arte medendi, imprimis autem chirurgiâ ab eo inventâ non tantùm hominibus, ut nonnullis videtur, succurrerit; sed ejus beneficium etiam ad alia animalia, ac præcipuè ad equos extenderit. Atque sic quoque in globis pingitur. Nempe anteriori, & erectiori parte usque ad umbilicum est hominis corpus ferino corpori impositum. Sed sagitta, quam illi plerique in manus tradunt, arguit eum non tantùm esse Chirurgum, sed etiam Sagittarium. Hinc Natalis Comes Mythol. l. 4, c. 12: *Conversus est Chiron in Signum illud cœleste, quod nunc etiam à* sagitta *illa nomen* (nempe *Sagittarii*, de quo supra diximus) *retinet: atque ita formatur, ut videatur Sagittam è vulnere extractam ostentare.*

Cæterùm hic Chiron Ixionis, Saturni sive Neptuni illius Thessalici, filius, fuit præceptor summorum Græciæ heroum; quos præter artem jaculandi, venandi, equitandi, & pulsandi citharam, medendi quoque peritiam, ac leges æquitatis docuit : atque propter justitiam, & prudentiam, qua ætatis suæ universos homines, adeóque & Centauros reliquos, longè superâsse dicitur, in cœlum locatus est. Quippe, quia ex immortali patre prognatus, atque eâ causâ annosam, decrepitamque senectutem, quam Bias, teste Laërtio, malorum dixit portum, consecutus esset, Deos orâsse fertur, quò sibi longioris vitæ jam pertæso liceat esse mortali : ut testis est Mnesagoras. Atque cùm idipsum Iovis misericordiâ obtinuisset, post mortem inter sidera, prodente Hygino, relatus est. Alii verò idipsum, ut ad Sagittarii Signum, quod adi, quoque vidimus, longè aliter referunt. Nempe Herculem Chironi aliquando monstrâsse sagittam suam Lernæo infectam veneno, qua diversa vicerat monstra : atque eam intentiùs consideranti ex improviso cecidisse in pedem, quem graviter vulnerârit. Vbi Chiron vulneris dolore discruciatus morte depacisci cupiens, Deos precatus sit, ut eum, quemadmodum longævâ affecissent senectute, sic quoque morte afficerent. Atque hoc ipsum ita futurum esse

Chi-

Chironi vaticinata ſit filia; quam nympha Chariclo, Apolline, ſive, ut alii malunt, Oceano prognata,

Fluminis in rapidi ripis enixa vocavit
Ocyrhoen: — — —

ut teſtatur Ovidius Metamorph. l. 2. Sunt tamen, qui ſcribunt id ipſum Centauro Pelenori accidiſſe: unde etiam inter aſtra locatus, ſignum efficeret Centauri.

Sed monſtroſis, ac fictitiis hiſce Centauris ſubſtituamus potiùs *Nebucadnezarem*, potentiſſimum illum Babyloniæ regem, ob ejus inſignitam ſuperbiam, in beſtiam quaſi transformatum: ut legere eſt apud Danielem c.4, v. 26, 27, 28, & 30.

XI. LUPUS; der Wolff/ das Wolfsgeſtirn;

Virgilio *Martius*; aliis *Fera, Beſtia, Beſtia Centauri*, ſive *quam tenet Centaurus, Beſtiola, Lyciſca*, Ciceroni *Quadrupes*, & *Lupa*; Hygino *Hoſtiola*, nonnullis *Victima Centauri*; item *Canis ululans, Deferens Leonem*; *Leo marinus, Leopardus*; Capellæ *Panthera*; *Equus maſculus*: Græcis *Λύκος, lupus*; Suidæ ὁ Κυηκίας fortè à rapacitate; quòd rapiat, & concerpat; Proclo, & Arato Θηρίον, *Therion*, id eſt, *beſtiola*: Arabicè *Aſida*, id eſt, *Leæna*, ab *Aleſid*, quod *Leonem* notat; rectiùs Schickardo *Aſedaton*: in Globis novo vocabulo *Alſubahh*: Ebraicè ליקוס unde fortè λύκος; item זְאֵב: Perſis *Bredemiſ*. Summâ nocte in Meridiano cernitur initio Maji: & in globo noſtro 31 inſignitur ſtellis.

Poſtellus numerat 19: *Bayerus verò* 20; *nempe* 2 *tertiæ magnitudinis*; 8 *quartæ*; 10 *quintæ, per totum corpus diſperſas, omnes* ♄. & ♂ *naturam imitantes.*

Lupus

Lupus apud Ægyptios, eoſque in hoc ſecutos Græcos, colebatur in honorem Solis ſive Apollinis; imò & ſororis Dianæ, ac matris amborum Latonæ, quæ utraque eſt Luna, apud eoſdem Græcos: apud Romanos verò in Martis, atque adeo Romuli, Remique geminorum, qui Marte ſati, urbis gentiſque Romanæ, regnante Achaz rege Iudææ, conditores erant, venerationem.

Apollini ſacer exiſtimatur, quod, licet armentis, & gregibus infeſtiſſimum ſit animal, Apollinis tamen ovibus pepercerit: ſive quòd, Solis inſtar omnia perſpicientis, ὀξυδερκὴς, hoc eſt, *acri oculorum acie*, etiam intempeſtâ, ac illuni nocte, ſit *præditus*; ut eſt apud Arati interpretem: ſive quòd poſt famem nocturnam diluculo maximè exeat ad raptum: ut Macrobio placet Saturnal. l. 1, c. 17. Indeque Græcis dictus videtur λύκος; à quo Latinum *lupus*: nam λύκος μὲν ὁ λῦπός ἐστι, καὶ λύκαια τὰ λουπερκάλια, inquit Plutarchus in Quæſt. Rom. Nempe quia λύκη apud veteres Græcos *primam lucem*, quæ Solis ortum præcedit, ac poſtea λυκόφως dicta fuit, denotabat. Vnde & Latinum *lux*: & Græcum ἀμφιλύκη, *diluculum*, ſive *crepuſculum matutinum*, apud Oppianum de Venat. l. 3; & ἀμφιλύκη νὺξ, *ſubluſtris nox*, hoc eſt, ultima pars noctis circa exortum auroræ, paullò ante diluculum: quæ λυκέη, id eſt, *pelli lupinæ*, quod ad colorem, ſimilis. Imò haud aliunde eſt ipſum λευκὸς, *albus*: ex quo *Aurora* dicitur Λευκοθέα, *Leucothea*, quaſi *Dea alba*.

Sanè Lupi figura non ſolùm ſimulachro Apollinis, tanquam ejus ſymbolum, plurimis in locis adſculpta erat: ſed etiam apud Athenienſes in Apollinis gratiam ipſe colebatur lupus; & qui fortè lupum interfecerat, omnia ei funerando neceſſaria parare jubebatur. Quin & Lycopolitana Thebaidos in Ægypto civitas à *lupis*, ſive *Sole* ſic appellata, Apollini ſpecie lupi ſacra faciebat: unde & ejus cives ſoli ex Ægyptiis ovibus veſci dicebantur: quinimò ipſum Apollinem, ſive Solem, λύκον appellabant. Cæterùm potiſſima ratio, cur Apollo Λύκειος, ſive Λύκιος, item Homero Iliad. l. 4, λυκηγενέτης,

&

& λυκηγενὴς sit dictus, non ea fuit, quòd in Lycia coleretur, sive in ea genitus crederetur; nam admodùm recens est ea fabula, & Homeri temporibus, teste Heraclide Pontico, nemini cognita: sed quia lucis matutinæ auctor, ac genitor foret ipse; sive, ut aliis magis placet, quòd λυκάβαντα, hoc est, *annum* progeneret. Quem Macrobius loco adducto ἀπὸ τῦ λύκυ, hoc est, *à Sole*, quemadmodum ille Lycopolitanis dicebatur, Græcorum vetustissimis sic appellatum testatus est. Alii tamen παρὰ τὸ λύκων δίκην βαίνειν sic dictum volunt. Vt enim lupi longo ordine seriatim aquis immerguntur, ac quisque proximè præcedentis caudam mordicus tenens, flumina tranare solent: sic animalia Signiferi, ex quibus cursu præteritis Sol annum generat, continuatâ quadam serie sibi invicem cohærentia, atque sic annuum circulum constituentia, cœlum quasi tranare videntur. Et Apollini Lycio Sicyonii dedicaverant templum, quòd lupos in eorum greges valdè grassantes, invento remedio, delevisset.

Lunæ verò, sive, quæ idem sunt, Latonæ, & Dianæ sacer dicitur Lupus; quòd Latonæ Cœi, quem Homerus in Hymno Apollinis, Saturnum appellat, ac Phœbes filiæ parienti astiterit: aut quòd illa à Iove compressa, jamque prægnans per duodecim dies à Iunone in lupum, vel potiùs lupam, quippe quam, ut scortum mariti, expulerat, transmutata, ex Hyperboreis in insulam maris Ægæi, sive, ut Plutarchus in vita Pelopidæ vocat, Tegyræ montem Delon se contulerit; ubi facultate pariundi concessâ, neque palmam arborem, neque olivam, quo solveretur à doloribus, ut fabulantur, apprehendens, sed, ut vera habet historia apud Plutarchum loco adducto, inter duos fontes Palmam, & Olivam dictos, uno partu Dianam, & Apollinem, teste Hesiodo, Orpheo, & Alpheo Mitylenæo, enixa est. Quamvis Herodotus in Euterpe hos filios Dionysi sive Osiridis, & Isidis dicat; ac Latonam eorum saltem nutricem, cùm illos contra Typhonis, sive, ut Græculi transpositis literis T & P dicunt, Pythonis insidias in in-

sula

ſula Plote ſive natante protexiſſet. Nempe Græculi, cùm plurimi, Cicerone l. 1, de Natura Deor. teſte, fuerint Apollines, tacitis cæteris, eorumque rebus geſtis in unum Latonæ filium, quem Cicero Apollinem tertium dixit, plerumque relatis, hiſtorias haſce more ſolito mirè confuderunt, ac quaſi transformârunt. Atque hinc lupas omnes certo anni tempore intra duodecim dierum ſpacium parere tradidit Philoſtephanus in commentariis.

Nonnulli quoque Latonam ſub tempus pariundi in coturnicem verſam, ut Iunonis iram effugeret, in inſulam illam volâſſe ſcribunt: quam poſtea in perpetuam rei memoriam Ortygiam; hoc eſt, *coturnicis Inſulam* dixerit. Sed alii, inter quos eſt Calliſthenes in Navigatione, fabulantur Aſteriam Latonæ ſororem in ejuſmodi avem, cùm eam Iupiter ad concubitum allicere ac rapere ſtuduerit, converſam, in mare Ægæum avolâſſe; atque ibi in inſulam mutatam, ſorori locum pariundi conceſſiſſe. Quæ *Latona* à *latitando* eſt dicta, quòd in ea inſula latuerit, iramque Iunonis ſic effugerit; æquè ac *Latium* à Saturno in Italia apud Ianum regem latitante, quo filii Iovis eum armatâ manu inſequentis impetum deluderet: ut innuit Virgilius Æneid. l. 8:

Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo,
arma Iovis fugiens, & regnis exul ademtis.
Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis
compoſuit, legesque dedit, Latiumque *vocari*
maluit, his quoniam latuiſſet *tutus in oris.*

Item Ovidius Faſt. l. 1:

Inde diu genti manſit Saturnia *nomen:*
dicta quoque eſt Latium *terra* latente *Deo.*

Cæterùm apud Troezenios Hippolytus templum Dianæ *Liceæ* dicaverat, ob lupos ab illa, ut Pauſanias cenſet, inde expulſos. Denique Marti ſacer erat lupus, ob parem feritatem, & rapacitatem. Vnde & Horatio dictus eſt *Martialis*; ac *Martius* Virgilio Æneid. l. 9. ubi ſic ait:

Quæsitum aut matri multis balatibus agnum
Martius *à stabulis rapuit* lupus. —

Et Poëtæ Græci strenuos bellatores, quorum æque ac raptorum symbolum est lupus, vocant λυκόφρονας, hoc est, *lupinâ ferociâ, ac astutiâ præditos*. Imo ob eandem causam dicatus quoque erat Romulo, & Remo geminis: qui nati dicuntur ex furtivo concubitu Martis, & Rheæ Numitoris Albani Regis filiæ, ac virginis vestalis cognomento *Silviæ*, forte à Silvio Æneæ ex Lavinia Latini Regis filia posthumo, aliis *Iliæ* vel *Iuliæ*, fortè ab Ascanio Iulo Æneæ ex Creusa filio, ac Laviniæ privigno, sic dictæ. Atque hinc est, quod Plutarchus in Theseo Romulum, ac Remum spurios appellaverit: nempe quia geniti essent ex incerto patre; quem tamen Martem fuisse dixerunt, ut tanti populi originem ad Deos referrent. Amulius enim Procæ filius; decimus quartus ab Ænea, & Ascanio primis Latinorum Regibus Albaniæ Rex, pulso fratre Numitore, qui natu major, atque hinc, patre jam mortuo, legitimus regni successor erat, Rheam in Vestale Sacerdotium addixerat: ubi furtivo concubitu gravida facta, atque eâ causâ custodiâ, ut partus enecaretur, septa, hosce peperit gemellos. Quos Amulii imperio in profluentem vastæ solitudinis projectos, at Tiberino amnem reprimente in arena relictos, relictis lupa catulis vagitum secuta, suis lactasse fertur rumis, sive uberibus. Quod ipsum innuit Mantuanus l. 1 sylvarum, ubi sic ait:

Romanis pater est Mavors, Lupa Martia *nutrix*.
Hæc hominum mores, ingeniumque docent.
Vivere qui sancte cupitis, discedite. Romæ,
omnia cùm liceant, non licet esse bonum.

Et Romæ adhuc hodiè plurima extant monumenta, in quibus Romulus & Remus infantes lupinis inhiant uberibus. Sanè ob hanc fabulam lupum nonnulli Romulo urbis Romæ conditori ac regi primo, uti & Rémo fratri sacrum esse volunt. Sed omnino falsi sunt, cùm Romulus neque *lac* suxerit verè *lupinum*; sed mulieris cujusdam, sive

ſive ea fuerit meretrix, quæ Latinis quoque dicitur *Lupa*; unde *lupanaria*, id eſt, *ganea*, *proſtibula*; ſive alia aliqua, cui nomen fortè *Lupa*: neque dictus ſit à *ruma*, hoc eſt, *ubere*, ſive *lacte*, quod Germani quoque rohm / hoc eſt, geronnene milch vocant; ſed potiùs à *fortitudine*, ſive *robore corporis & animi*, quod Græcis dicitur ῥώμη, ſive etiam à ῥέομαι, vel ῥύω, *tueor*, *redimo*, *fluo*; unde ῥεῦμα, *fluentum* vel *tutamen*, & ῥύμη, *impetus*, das rummeln / ſive rommeln. Nempe quia in profluentem projectus fuerat, ac poſtea à Fauſtulo ſervatus, & educatus, impetu in Amulium fortiter facto, eoque occiſo, avum Numitorem, matremque ex carcere in libertatem vindicaverat. Fauſtulus enim paſtor regius Romulum, Remumque ſub *Ficu Romula* à Romulo dicta, vel ut antea à pecoribus ſub umbra ejus ruminantibus diceretur, *Ruminali*, à ſe forte fortuna inventos tulit in caſam, ac uxori ſuæ Acæ Laurentiæ cognomento fortè *Lupæ* educandos tradidit. Vnde Ovidius Faſtorum l. 1:

Dum caſa Martigenam *capiebat parva* Quirinum,
& dabat exiguum fluminis ulva thorum.

& libro 2:

Arbor erat: remanent veſtigia; quæque vocatur
Romula *nunc* ficus, Rumina ficus *erat. &c.*

Ruminæ, ſive Ruminalis illius ficus meminit quoque Plinius l. 15, c. 19: item Tacitus Annal. l. 13; ubi eam ſub Nerone, nempe annis DCCCXL poſtquam Romuli infantiam protexerat, non ſine omine in deterius progreſſuri imperii Romani aruiſſe refert. Rhea interim, quia ſtupri rea, ac veſtalis erat virgo, quibus ejuſmodi pœna ob caſtimoniam ſtupro pollutam, teſte Plutarcho in vita Numæ Pompilii, indicebatur, patrui juſſu, ut habet Euſebius, viva defoditur. Quamquam alii in carcerem, deprecante Antho Amulii filiâ, conjectam tradant: unde poſtea filii Romuli beneficio liberata ſit. Videatur de hoc Livius ſtatim ab initio, Quintilianus l. 3, Ovidius Faſt. l. 2, & Servius in illud Virgilii Æneid. l. 1:

T 2 *Donec*

Donec Regina Sacerdos

Marte gravis, geminam partu dabit Ilia *prolem:* item Florus Rer. Rom. l. 1, c. 1; Tortellius, Munsterus, Georgii Fabricii viri illius incomparabilis Roma, & Virgilii Malvezii Marchionis Bologniæ Romulus, quem ex Italico in Germanicum transtulit sermonem Ludovicus Princeps Anhaltinus, Sodalitii Carpophororum auctor nunquam satis laudatus.

Sed nec prætermittendum, quòd Lupus ob varios ingenii effectus varia præbeat hieroglyphica. Ac primùm quidem *trepidationis*, & *consternationis*; cùm audito strepitu tympani, vel lapidum, terreri adeo soleat, ut protinus fugam arripiat: imò ab homine priùs conspectus subitò consternetur, ac vocem amittat: quod viceversâ homini quoque, si lupus eum priùs viderit, contingere solet: ut testis est Plato l. 1 de Republ. & Theocritus Idyll. ξ; item Virgilius, qui eum insimul *prudentiæ* ac *tuti receptus* Symbolum esse innuit Æneid. l. 12:

Ac velut ille, priusquàm tela inimica sequantur,
continuò in montes sese avius abdidit altos,
occiso pastore, lupus, magnoque juvenco,
conscius audacis facti; caudamque remulcens
subjecit pavitantem utero, silvasque petivit.

Deinde *industriæ*, ac *astutiæ*; cùm non solùm tortuosis ambagibus modò hac; modò illac cursum flectat, adeò ut difficile cognitu sit, qua te parte invadet: sed etiam captâ prædâ miro utatur strategemate, quo te insequentem illudat. Hujus rei egregium nobis enarrat exemplum Albertus: nempe lupum quendam animadvertisse suem silvestrem cum fœtu suo singulis vesperis pabulatum itare in agrum avenâ consitum. Iccircò arrepto in os ligno librarum circiter quadringenta, super truncum arboris ramis etiamnum prostantibus inibi prostratum saltu efferri ac in ramos repere assuevisse. Mox adveniente cum suculis porcâ unum rapido cursu arripuisse, atque arbore festinanter conscenso, in matris frustra adgrun-

nientis

nientis & sævientis conspectu, prolem inibi tutò consumsisse.

Præterea quoque *ereptionis ex instanti periculo* symbolum esse poterit, ob historiam, quæ narratur de Gelone Syracusano. Geloni enim adhuc puero in ludo literario sedenti lupus quidam stupendæ magnitudinis irrumpens, tabulas è manibus morsu surripiebat, atque sic foras properabat. Quem puer minimè perterritus, tabellas manu haud segniter tenens, sequutus, ubi cum lupo foras processerat, gymnasium repentè corruit, præceptoremque ac condiscipulos omnes oppressit, superstite solo Gelone.

Cæterùm Lupi figuram, in sempiternam Lycaonis Arcadiæ regis ob insignitam crudelitatem in lupum conversi memoriam, in cœlum locatam esse ajunt, quò mortales illâ visâ perpetuò recordarentur, quàm displiceat Deo crudelitas. Lycaon autem Cecropis Athenienſium regis σύγχρονος, fuit Pelasgi Iove ac Niobe prognati, ex Melibœa Oceani, Hesiodo teste, sive, ut Apollodorus l. 3 vocat, Cyllene nympha filius, & pater Callistûs, cujus mentionem fecimus ad signum Ursæ majoris & minoris; item Diæ; quæ Dryopem, teste Hecatæo, ex Apolline genuit. Hic in lupum mutatus dicitur à Iove; quia ad aram Iovis sive Apollinis Lycæi in monte Lycæo infantem mactaverit, nempe Arcadem Lycaonis ex filia Callisto, quam Iupiter ille compresserat, nepotem; atque sic humanum libaverit sanguinem. De quo videatur Pausanias in Arcadicis. Nonnulli dicunt filios ejus, quorum Apollodorus quinquaginta, alii plures enumerant, Iovem ad cœnam invitasse, eique pueri mactati carnes coctas apposuisse. Qua re Iupiter permotus, eos partim fulmine percusserit, partim cum Lycaone in lupos transformaverit. Sed juvat audire Hecatæum Genealogiar. l. 2: *Pelasgus fuit Iovis, & Niobes filius, qui filium Lycaonem è Melibœa suscepit, sive, ut alii malunt, è Cyllene. Hic ex oraculi responsò imperium adeptus, multos ex variis nuptiis suscepit filios æquè impios, ac*

T 3 *ipse*

ipse pater. Inter quos fuit Mænalus, qui nomen dedit civitati Arcadiæ; Thesprotus cum Nyctimo, & Caucone; Lycus, Menius, Macareus, qui Macareas Arcadiæ urbem condidit; Meleneus, aliis Mænalæus dictus, qui Mænalas oppidum ædificavit non procul à Megalopoli; Acontius, qui Acontium Arcadiæ oppidum de se nominavit; Charisius, qui Charisiis; Cynethus, qui Cynethæ nomen dedit; Porrò Psophis, Phthinus, Teleboas, Æmon, Mantinus, Stymphalus, Cletor, Orchomenus, & alii. Omnium igitur horum admirabilis erat improbitas, & temeritas. Siquidem vel ipso Iovi in pauperem operarium verso, quem in hospitium invitaverant, dicuntur intestina cujusdam ex infantibus indigenis commista cum aliis epulanda apposuisse. Id scelus abominatus Iupiter, mensam subvertit. Vnde locus ille in Arcadia vocatus est Mensarius: & Mensaria *civitas postea exstructa. Imò filiorum alios unà cum ipso Lycaone, cùm ipse quoque in hospitem egisset, fecit lupos, alios fulmine percussit.* Ab hoc tamen rursus paullulùm abit Ovidius; apud quem ipse Iupiter Metam. l. 1 sic loquitur:

Arcados hinc sedes, & inhospita tecta tyranni
ingredior, traherent cùm sera crepuscula noctem.
Signa dedi venisse Deum: vulgusque precari
cœperat. Irridet primò pia vota Lycaon.
Mox ait, experiar, Deus hic, discrimine aperto,
an sit mortalis: nec erit dubitabile verum.
Nocte gravem somno, nec opinâ perdere morte
me parat: hæc illi placet experientia veri.
Nec contentus eo est: missi de gente Molossa
obsidis unius jugulum mucrone resolvit:
atque ita semineces partim ferventibus artus
mollit aquis, partim subjecto torruit igni.
Quos simul imposuit mensis. Ego vindice flammâ
in dominum, dignos everti tecta penates.
Territus ipse fugit: nactusque silentia ruris
exululat, frustraque loqui conatur: ab ipso
colligit os rabiem, solitæque cupidine cædis
utitur in pecudes, & nunc quoque sanguine gaudet.

In

In villos abeunt vestes, in crura lacerti:
fit lupus, & veteris servat vestigia formæ.

Sed nec solus Lycaon cum filiis suis tum in lupum conversus dicitur; verùm etiam alii complures sequentibus temporibus: qui tamen decimo post anno, si per novennium humanas carnes abstinuissent, rursus faciem receperint humanam: ut legere est apud Pausaniam, & Plinium N. H. l. 8, c. 22, item B. Augustinum de Civ. Dei; ubi ait Varronem hæc eadem de Arcadibus trans paludem quandam profectis, ac decimo post anno reversis tradidisse. Hos Germani vocant wer-wölffe / sive Belgicâ dialecto Waar-wolven / i. e. *lupi ambulantes*, & Weder-wolven / quasi dicas wider-wölffe / *rursus lupi*, *per intervalla lupi*, ad distinctionem lupi bruti, qui semper lupus: ut Abr. Ortelius in Thesauro Geographico interpretatur. Galli dicunt *loups garous*, & dialecto Picardicâ *warous*, ac si *lupos varios*, sive *vagantes* dixeris: quod tamen Franciscus Phœbus Comes Focensis in libro de venatione interpretatur *gardezvous*, id est, *cavete vobis*; sed perperam. Græcis verò talis est λυκάνθρωπος ein wolffe mensch, *homo lupinus*. Vnde λυκανθρωπία, hoc est, *melancholica affectio*, qua qui laborant, luporum more noctu egrediuntur, & donec illucescat inter sepulchra diversantur. De quo videsis Agellium l. 14, c. 15.

Ficti verò videntur ejusmodi homines crudeles in lupos esse conversos à veteribus, ut eo pacto cæteros à crudelitate absterrerent, & ad humanitatem revocarent. Nam nunquam crediderim Lycaonem, & alios in lupos verè conversos esse: quamquam id ipsum plurimi affirmare audeant. Et fabula de Lycaone ex eo originem duxisse videtur, quòd ille, mactato Arcade puero ex concubitu filiæ suæ cum potentiori quodam rege prognato, sive potiùs alio aliquo, regem illum offenderit, adeò ut ab eodem regno forte ejectus, vel aliâ aliquâ contumeliâ affectus, in lycanthropiam inciderit: quæ talia illi phantasmata

ciebat, ut in lupum ſeſe ob lupinam crudelitatem transformatum imaginaretur: quemadmodum ejuſmodi morbo laborantibus accidere ſcribit Camdenus. Atque eâ causâ in regnum fortè reſtitutus, & ex illa inſania ad mentem ſaniorem reverſus, in monte Lyceo Lycoſuram condidit urbem, & in eo templum Iovis Lycei; imò ludos inſtituit in ipſiuſmet honorem, quos λύκαια, hoc eſt, ut Romani dicunt, *Lupercalia* vocavit. *Lupercal* autem locus erat Romæ Pani Arcadiæ deo conſecratus, ut ejus, tanquam præſidis paſtorum, beneficio, greges, & armenta à lupis tuta eſſent: & in hoc celebrabantur *lupercalia* menſe Februario in ejuſdem dei honorem; imò ſacra faciebant *Luperci*, hoc eſt, Panos Sacerdotes: qualem ſe quoque M. Antonium exhibuiſſe legimus apud Ciceronem in 2 Philipp. Videatur de hoc quoque Servius in Virgilii 8 Æneidos, & Ovidius Faſtor. l. 2, ubi horum ſacrorum originem ſatis fusè deſcribit.

Verumenimverò nos ſub hac Lupi cœleſtis figura colamus potiùs, ex ultimis verbis Iacobi Patriarchæ Benjaminum Geneſ. c. 49, v. 27, benedicentis, memoriam *Lupi illius rapacis, qui manè capturus, veſperi autem redditurus ſit prædam.* Quod Eucherius aliique de Pauli Apoſtoli converſione intelligunt.

XII. ARA; der Weih-oder reucher-tiſch/ die Feuer-Höhe / das Weirauch-fas;

Ciceroni, Hygino, & Avieno *Altare*, quaſi dicas *alta Ara*, *Altarium*, Martiali *Thymele*; Polluci, & Xenophonti *Veſta*, ἑστία; Capellæ *Pharus*, aliis *Sacrarium*; *Templum*; *Puteus*; *Focus*, *Lar*; *Thuribulum*, *Acerra*, *Prunarum conceptaculum*, *Ignitabulum*; *Batillus*, *Ara Thymiamatis*; *Ara Centauri*, *Chironis*: Græcè Philoni θυμιατήριον, & θυσιαστήριον, *ara*, *acerra*, *thuribulum*,

bulum, Proclo, & Arato *θυτήριον*, *ara*; *θύσκη*, Θυΐσκη, sive θυΐσκος, *thuribulum*; θυμέλη, *altare*, à θύω, *macto*, *sacrifico*, *suffio*; sive θυμιάω *adoleo*, *odores incendo*, *suffitu afflo*; λιβανωτὶς, *thuribulum*; *βῆμα* & *βωμὸς*, *altare*; ἐσχάρα *focus*, *altare*, & ἐσχαρὶς, *foculus*, sive ἐσχάριον *thuribulum*; *πυράμνη* sive *πυρεῖον*, *ignitabulum*: Ebræis מִקְטָרָה, מִזְבֵּחַ, à radice זבח *sacrificavit mactando*, *victimam immolavit*: Arabicè, ut videtur, novo vocabulo *Almugamra*. Horizontem nostrum stringit mediâ nocte sub finem Iunii meridianum transiens: & duodecim in globo nostro complectitur stellas.

Postellus, ac alii numerant solummodò sex, nempe inferiores in ipso Altari, superioribus quinque flammam, & fumum constituentibus exclusis: Bayerus autem octo; nempe 2 tertiæ magnitudinis, unam in Aræ summitate meditullium occupantem, alteram in superiore parte flammæ; & 6 quartæ ipsam Aram, ignemque constituentes, omnes ♀, & ☿ natura.

Aras extruxit, ac dedicavit antiquitas, ut pietatis suæ erga Deum indicium sint, precesque sacrificantium igne, ut sibi persuasum habebant, internuntio, ad Deum deferant. Ignem verò *internuncium* eò vocabant, quòd non tantùm inter humanam, cœlestemque naturam, ut animæ nostræ lumine tam pollentis, quàm illustrantis symbolum, medium obtineat; unde Virgilius Æn. l. 12:

Tango aras, *mediosque* ignes:

sed etiam materiæ adhærescens, semper in sublime feratur, quasi superis hæc inferiora, rerum nostrarum conscius, manifestare, ac eorum animos nobis conciliare velit. Et neque preces, neque thura, aliaque libamina litabant, nisi sacrificans, precesque fundens unà aram manu apprehenderet, sive, ut Virgilium modò locutum vidimus, tangeret. Videatur de hoc

Macrobius Saturnal. l. 3, c. 2. Sanè aras ſive altaria pietatis humanæ ſymbolum fuiſſe, teſtantur tot Imperatorum, aliorumque numiſmata, ut T. Ælii Cæſaris Antonini, Hadriani Auguſti, D. Auguſtæ Fauſtinæ, & Lucillæ; in quibus plerumque ſimulacrum manu paſsâ conſpicitur ante aram cum inſcriptione, PIETAS.

Cæterùm Aram de qua hîc agimus, cœleſtem denotare ajunt aram illam juſſu Deorum à Vulcano, ſive, ut ait Eratoſthenes apud Arati Scholiaſten, à Cyclopibus, nempe Vulcani fratribus & miniſtris, exſtructam; ſuper qua Iovi adverſus Titanas bellum ſuſcepturo, fidelitatis ſacramento Dii omnes ſeſe obſtrinxere. Titanes autem, qui arma adverſus Iovem ceperunt, fulminibus poſtea detruſi ſunt ad inferos, dicuntur Veſtæ ſive Terræ, & Cœli filii, teſte Orpheo in Hymnis, & Æſchylo in Prometheo. Et Ægyptii ajunt Cœlum ex diverſis uxoribus quadraginta quinque filios ſuſcepiſſe, atque inter hos ſeptendecim è Titæa: unde omnes communi nomine *Titanes* ſint dicti; ipſa verò poſt mortem *Terra*; ubi divinos honores ſit conſecuta. Filiam autem natu majorem vocaſſe Rheam, & reginam; quæ fratres educaverit. Videſis de hoc plura apud Diodorum l. 3. Alii tamen majorem natu filium ſolummodò *Titanum* dixerunt: at ejus filios, & aſſeclas, imò & ſubjectos, Titanas. Hic precibus matris Veſtæ, & Opis, ſive Rheæ, Cereriſque ſororum obſequens, Saturno fratri imperio, quod jure hæreditario ad Titanum pertinebat, eà lege ceſſit, ut Saturnus filios, ſi quos ſuſciperet maſculos, omnes occideret: ne Saturno decedente ad ipſos imperium deferretur; ſed rediret ad Titanum. Hinc ille, ac filii ejus Iovi, qui Saturno progenitus, clanculùm contra fœdus educatus fuerat, ac paternum occupaverat regnum, tanquam illegitimo ſucceſſori bellum intulerunt. Iupiter autem ſic contra ſe armatos armis excepturus, antequam expeditionem adoriretur, Deos omnes, ut modò diximus, ſuper ara jurare coëgit.

coëgit. Et hi jurârunt ſe Iovi fidem in ferendo auxilio ſanctè ſervaturos. Itaque auxilio Deorum devictis Titanibus, Iupiter in perpetuam rei memoriam Aram illam inter aſtra locâſſe dicitur.

Alii tamen aram hanc in cœlum collocatam dicunt in gratiam Chironis Centauri; de quo egimus ad ſignum Sagittarii, & Centauri. Nempe quòd lupum, qui etiam hinc *Victima Centauri* dicitur, & Aræ in cœlo proximus eſt, in ejuſmodi arâ immolaverit. Quæ inſimul & Chironi ante oculos ſit poſita, ut ejus inſignis erga Deos immortales religio, & pietas in perpetuum demonſtretur.

Sed demtis hiſce aris fabuloſis, illam potiùs hîc intelligendam cenſemus, quam Moſes ad hoſtias Deo Iſraëlis immolandas exſtrui curavit; ut videre eſt Levit. c. 1, v. 11: ſive, ſi magis placet, Thuribulum Templi Iſraëlitici.

XIII. CORONA AUSTRINA; die Mitags-Krohne/ der Süder-krantz;

Corona Sagittarii; *corolla* ſive *Spira Auſtralis*, *Meridionalis*, & *Notia*; item *Sertum auſtrale*; Hipparcho *Caduceus*; aliis *Orbiculus capitis*: Græcè Proclo Κηρύκειον, ſive Κηρύκιον, id eſt, *caduceus* ſive *merces*, *quæ datur præconii* ſive *prædicationis nomine*; Ὀυρανίσκον, quaſi dicas, *cælulū*, *parvum cælum*; ςεφάνιον, *corolla*, ςεφάνωμα, *ſertum*, Arato δεύτερος ςέφανος, *corona altera*, *ſecunda*, ςεφανόω πύπερ κύκλα; aliis Κρανίον, *capitis geſtamen*; item Ἰξίονος τρέχος, *Rota Ixionis*: Arabicè, ſed novo vocabulo, *Aladil algenubi*: Ebraicè צְפִירָה & עֲטָרָה. Meridianum gemmis ſuis, ſive ſtellis, juxta globum noſtrum

noſtrum, tredecim illuſtrat, noćte mediâ ineunte Iulio horizontem noſtrum ſtringens.

Totidem & Poſtellus, & Bayerus numerant: nempe quatuor quartæ magnitudinis; 7 quintæ; & 2 ſextæ: ex quibus quatuor ad ♀, & ☿, reliquæ ad ♄, & ♂ naturam accedunt.

Corona vocatur non à *cornu*, quod regiam potentiam etiam in ſacris Literis deſignat: ſed potiùs à *curvitate*; nempe à Germanico **krum**/ vel **krom**/ quaſi dicas **gar om**/ ſive potiùs **kehr-om**; ex quo Latinũ *curvus*: quia circa caput *curvatur*, *vertitur*. Vnde & ipſum *cornu*, & Græcum κέρας, quòd ſe incurvet, dićtum videtur: uti & Germanicum **krohne**; imò ipſum **krantz** / *ſertum*; & **krahn** / hoc eſt, *ſiphon*, *epiſtomium*, & *geranus* ſive *grus*, *machina*, *quæ vaſta onera in altum effert*, *harpago*: item Belgicum **kronkelen** / *ſinuare*, *flectere*; unde abjećto **r**, **konkel**, *colus*, Germanicè **ein wocken** / à **wückelen** / h. e. *contorquere*, *volvere*; item **kranck** / **krancken** / q. d. **sich krümmen** / *ægrotare*: item **krampf** / *ſpaſmus*, *nervorum contractio*, & *quaſi incurvatio*; **krampe** / *hamus*, *fibula*; **krümpen**, *contrahi* & *torminibus ventris laborare*; item **krüllen** / **krollen**/ *criſpare*, *intorquere*; unde Latinum *corolla*: item **kraus** / *criſpus*, **kruß** / *cantharus rotundus*, **gekröſe**, *inteſtina*, &c.

Coronarum verò varia apud veteres celebrabantur genera. Inter quæ præcipua erant *Diademata*, *Mitræ*, & *Nimbi*. *Mitræ* quas & *Tiaras* dicunt, in Phrigia inprimis uſitatæ erant ex byſſo. *Diademata* verò orbiculi plerumque ex auro, & gemmis capiti circundati. Sed & *faſcias* quoque diademata dixiſſe argumento eſt, quòd Alexander Macedo dicatur, diadema ſibi demſiſſe, ut Lyſimachum in fronte vulneratum deligaret: quod huic auſpicium regalis poteſtatis fuiſſe Scriptores indicàrunt. Quippe faſcias id ipſum ſignificâſſe liquet ex eo, quod Pompeo apud Ammianum obtrećtatores objecerint, ſe affećtare regiæ majeſtatis inſignia; quia tegendi ulceris causâ crus aliquandiu candidâ obligaverat faſciâ. Favonius

nius enim dixerat nihil referre, qua in parte corporis regium portetur insigne. Atque hinc quoque candidam illam fasciam, quam coronæ laureæ Cæsaris imagini impositæ adulatores præligaverant, Epidius Myrillus, & Cesetius Flavus tribuni, teste Tranquillo, detrahi jusserunt: nempe quia rex salutatus subirasci consueverat. Et hujusmodi candidam fasciam, ut regum esset insigne, à Libero sive Baccho institutam tradunt Græci.

Denique *Nimbi* transversæ erant fasciolæ ex auro, & linteo assuto. Quin & luminum radii, quos circa Angelorum & Sanctorum capita pingere solent, vocantur nimbi. Et ejusmodi nimbus in statuis regum vetustis plerumque duodecim radiis pingebatur. Vnde apud Virgilium Æneid. l. 12, Latinus rex inter Æneam, & Turnum fœdera sancturus,

> *Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum*
> aurati bis sex radii *fulgentia cingunt,*
> *Solis avi specimen.* —

Fortè mos ille desumtus est à Mose; qui divino afflatus lumine, ejusmodi nimbo, hoc est, radiis igneis circa caput conspicuus erat, adeò ut splendorem ejus, oculis ad obtutum cæcutientibus, populus Israëliticus ferre non posset, precibusque ab eo contenderet, quò velatâ ad eos facie loqueretur; ut videre est Exod. c. 34, v. 29, & 33: ubi in Ebraico est קרן, quod secundùm Rabbi Salomonem valet, *lucem emittere instar cornu.* Nempe à קרן; ex quo Græcum *κέρας*, & Latinum *cornu* fluxisse videtur. Atque hinc, occasionem quoque præbente interpretatione vulgatâ, quæ vertit, *quòd cornuta esset facies Mosis*, à pictoribus cum cornibus binis satis ineptè effingitur Moses: imò Liber, in quo Moses expressus, ab Orpheo in hymnis dicitur *ταυρόκερως*, hoc est, *tauricornis*; & *κερασφόρος*, *corniger*; & *ταυρομέτωπος*, *taurinâ fronte præditus*; item Sophocli *Βούκερως Ἴακχος*, *Bubulis cornibus præditus Iacchus*; & Euripidi in Bacchis *ταυρόκερος θεός* *Tauricornus Deus.*

His

His additur & *Tutulus*, ſive, ut priùs dixere, *Tutulus*, à Germanico tuth / tute / ſive tuht horn / *cornu*, vel potiùs *buccina ex cornu facta*: unde teute / *cucullus involucrum*, Gallicè *un cornet de papier*; & Latinum *tutus*, *tutatus*, quaſi dicas betuhtet / ümhörnet / *cuculatus*, *cornutâ galeâ tectus*, mit einem horn huhte ümhüllet. Erat enim redimiculi ſpecies, ſive ornamentum capitis inſtar coni, ſive cuculi, aut cornu in ſublime ſurgens purpureâ vitâ redimitum, flaminum gentilium, eorumque uxorum, & miniſtrarum geſtamen. Ejuſmodi tutulus eſt adhuc hodie corona illa, quam à gentium Sacerdotibus mutuatam gerit Papa Romanus, triplici cucullo in ſublime ſurgens, ac auro gemmiſque radians. Atque ſic ornamentum Pontificis Romani magis accedit ad Pontificum gentilium geſtamen, quàm ad illud Ebræorum; quorum frons inſigniebatur laminâ aureâ nomine Dei ineffabili tetragrammato notatâ; quam vulgò *Petalum*, Πέταλον dicunt, vocabulo ex פה & להב ſive להט hoc eſt, *lamina*, *bractea*, fortè compoſito: ut videre eſt Exod. c. 28, v. 36.

Verum noſtra hæc ſideralis corona nullo radiat auro, neque gemmis; ſed ex duobus hederæ ramuſculis, ſive, ut alii pingunt, altero hederæ, altero laureæ ramo, qualis decerni ſolebat Poëtis, plerumque conficitur, ſolis intermicantibus ſtellis. Atque hinc ſuſpicari liceret eam ſignificare coronam illam, quæ Corinnæ, non Theſpiæ, neque ei, quæ Ovidio familiaris, ſed Thebanæ ſive Tanagrææ Archelodori ex Procatia filiæ, ac Mirtidis diſcipulæ poëticis ſtudiis clariſſimæ fuit tradita; quòd Pindarum Lyricorum alioqui principem melico certamine quinquies ſuperaverit, ac quinque epigrammatum libros ediderit. Et Corinnæ hujus picturam capite teniâ vincto, in argumentum fortè hujus victoriæ, ſive principatus in poëtica facultate, in Tanagræorum Gymnaſio ſe vidiſſe teſtatur Pauſanias. Aurocabalos tamen poëtas, qui poſtea Iambici dicti, ſolâ hederâ coronatos refert Athenæus ex Seno Elienſi Grammatico.

Poëtis autem hederacea, ac ſimul laurea illa tribuebatur corona, non tam ob perpetuam utriuſque viriditatem, quæ perennia eorum ſcripta ſignificaret; quàm ob hujus, nempe lauri, inſitam ingenio vim, fœcunditatemque; ac illius, nempe hederæ, pertinaciſſimum laborem, ac artificioſum conatum, dum parietibus ſive arboribus adhæreſcens, paulatimque ſurſum repens, ſumma petit faſtigia, ac tandem victrix evadit. Nam non *Natura* ſolum, cujus ſymbolum eſt *laurus*, Apollinis arbor, requiritur in Poëta, ſed etiam naturæ comes, & perfectrix *Ars* induſtriâ, ac labore perpetuo parta; quam *hedera* notat. Vnde Virgilius Ecl. 7:

Paſtores hederâ creſcentem ornate Poëtam.

Sanè quælibet alterius imbecillitati ſuccurrat oportet. Nempe

Mediocribus eſſe Poëtis,
non homines, non Dî, non conceſſere columnæ.

Hinc Horatius ambas optimè conjungens, in arte Poët. ſic canit:

---- *Ego quid* ſtudium *ſine divite vena,*
nec rude quid poſſit, video, ingenium. *Alterius ſic*
altera poſcit opem res, & conjurat amicè.

Sed plura de coronis legas, ſi vacat, apud Agellium, Suetonium, imprimis autem Cl. Saturninum in eo libro, quem de illis evulgavit. Quin & vide ſis quæ nobis ſuperiùs ad coronam Septentrionalem ſunt dicta: ubi *Ariadnæ* conſideravimus *coronam*. Quam tamen nonnulli ad Auſtrinam referunt.

Verùm alii dicunt Bacchum Græcanicum hanc Coronam ab illa Ariadnæ diverſam aſtris intuliſſe, in memoriam matris *Semeles* Cadmi Thebanorum regis Harmoniæque filiæ ab inferis reportatæ. Multi quoque vocant *Coronam Sagittarii*, quam ut ludentis ab eo abjectam ſcribit Hyginus. Sanè ad ejus pedes quaſi projectam in globo conſpicimus. Vtut ſit, nos tamen convenientiorem huic aſteriſmo cenſemus *Coronam Saulis* primi Iſraëlitarum regis ab ejus occiſore ſucceſ-

ſori

ſori Davidi oblatam; cujus mentionem ingerit Samuel l. 2, c. 1, v. 10. Niſi dicere malis ſymbolum, ſive prototypum *Coronæ* illius *juſtitiæ*, *ac honoris ſempiternæ*, qua Sol juſtitiæ in vita æterna ſuos coronabit Electos, Apoc. c. 2, v. 10, & 2 Timoth. c. 4. v. 8.

XIV. INDUS; der Mohr / das Mohren-geſtirn;

Homo Indianus ſive *Indicus*, *Sagittifer meridionalis*; *Cirnus*; Græcè Ἰνδὸς, Ὀϊστοφόρος Ἰνδικός. Qui Septentrionalibus populis nunquam conſpicuus, duodecim in globo noſtro continet ſtellas.

Totidem & Bayerus, & Schillerus numerant: nempe 5 tertiæ magnitudinis in capite, humero, & ſagitta; 2 quartæ in jaculo; & rurſus 5 quintæ per reliquum corpus diſperſas.

Hanc Indiani hominis imaginem inter aſtra locatam volunt, in memoriam Sagittarii illius Indiæ celeberrimi, qui Alexandro Magno experimentum artis ſuæ, ut ſcilicet per annulum ſine errore ſagittam emitteret, poſtulanti recuſavit, dum per pluſculos dies eam non exercuerat, adeoque timeret, ne aberraret. Meminit ejus Plutarchus in Apophthegmatis.

Cirnum verò vocavimus in memoriam Cirnorum, hoc eſt, populi cujuſdam Indiæ celeberrimi: quos viperinis carnibus ali tradidit Iſigonus; atque eâ causâ centenis quadragenis annis vivere, imò neque in capite, neque in veſtibus ſuis nulla animalia noxia generare. Et eandem cauſam videtur Tertullianus afferre, cur tanta cervo ſit longævitas: nempe quia ſerpente paſtus, juveneſcat. Vivacitatem autem cervorum arguit Cervus ille ab Agathocle Syracuſanorum tyranno interfectus; cujus collum cingebat torques aheneus ſuperinductâ jam pelle tectus, cum epi-

graphe,

graphe, ΔΙΟΜΗΔΗΣ ΑΡΤΕΜΙΔΙ, hoc eſt, *Diomedes Dianæ*. Dianæ enim Deæ venationis, ac piſcationis ſacri erant cervi, & multi piſces; quibus vel maximè delectabatur. Hinc aureum ei currum à cervis candidis tractum tribuerunt antiqui.

Præterea quoque Dioſcoridi traditum eſt l. 2, c. 16, homines, qui viperis conditis veſci conſueverint, quod Galenus l. 3 de alim. facult. Ægyptios facere ſcribit, ad ſummam ſenectutem incolumes pervenire. Atque hinc minimè obſcurum eſt, cur tot Romanorum inveniantur numiſmata, in quibus ſerpens conſpicitur cum inſcriptione SALVS PVBLICA, ſive SALVS ANTONINI AVG. aut AVG. COS. III. &c. Quin & τὰ θηριακὰ, hoc eſt, medicamenta adverſus omnis generis venena, quorum mentionem quoque ingerit Nazianzenus, ἀπὸ τῶν θηρῶν, *à beſtiis*, iiſque maxime feris ac pernicioſis, nempe viperis, κατ᾽ ἐξοχὴν ſic dicta eſſe multi cenſent.

Cæterùm de hac, & ejuſmodi noviter adinventis, quæ ſequuntur, conſtellationibus, utpote nobis Europæis abſconditis, Bayerus Tab. 49 Vranometriæ ſuæ ſic ſcribit; *Duodecim hæc Tabula novas exhibet ſchedtographias, partim ab Americo Veſputio, partim Andrea Corſalio, & Petro Medinenſi obſervatas: quas certum cuique præfiniens locum, Petrus Theodori nauclerus peritiſſimus noviſſimè annotatas, ſecundùm Aſtronomorum normam, diligenter correxit, publicéque divulgavit.*

XV. GRUS: der Kranch / Krahn-vogel / das Kranchen-geſtirn;

Avis ſub piſce notio Martiali *Avis Palamedea*, & *Naupliadis*, Virgilio & Mantuano l. 1, de col. temp. *Strymonia*, Lucano *Biſtonia*; nonnullis *Vipio*, id eſt, *pullus gruis*; aliis *Phœnicopterus*, hoc eſt, *alas ſive pinnas rubeas habens*,

 cujus

cujus meminit Iuvenalis Sat. 11, & Martialis l. 13. Hiſpanis appellatur *Flanbant*: Græcè ἡ Γέρανος, Tyrrhenis συελσὴς, Polyrrhanis σερτὴς, id eſt, *grus*; aliis Φοινικόπτερος: Ebraicè [illegible]. Europæorum horizontem tantùm ſtringit; Indis verò & meridionalibus populis tota patet, 12 conſtans ſtellis.

Totidem numerat & Bayerus, eumque ſecutus Schillerus: nempe 3 *ſecundæ magnitudinis in ala, latere, & oculo,* 3 *tertiæ in dorſo, & cauda,* 2 *quartæ, &* 4 *quintæ.*

Grus præterquam quòd *veris,* & *hiemis* ſit ſymbolum, *cuſtodem* quoque ac *vigilantem, prudentem, rerum ſublimium indagatorem, morum veterum,* & *congruentiæ, ordinisque obſervatorem, laboriſque tolerantem* denotare poteſt. Quippe rediens unde ad meridiem, teſte Æliano H. A. l. 3, c. 13, menſe Septembri diſceſſerat, taciturna, ſive ſaltem per intervalla vocem emittens, tardeque volatu triangulari figurâ aërem tranans, *verem*, ac clementius cœlum nunciat. Abiens autem inſtante frigore, quòd æquè ac calorem, peregregiè præſentit, ac in altum feſtinato volatu ſublata, vaſto gutture clamitans, ſive clangens, *hiemem* adeſſe ſignificat. Et excubias totâ nocte diſponens, *cuſtodiæ* ac *vigilantiæ* eſt hieroglyphicum. Illas verò excubias agunt quidam ex ordine ſuo delecti, lapidem pede altero ſuſtinentes, qui laſſatis ſomno decidens, negligentiam ſonitu coarguat. Ceteræ interim dormiunt, capite ſubter alam condito, alternis pedibus inſiſtentes; ut traditum Plinio l. 10, c. 23. Ad hujus rei exemplum Alexander Macedo, ſi quando pervigilandum eſſet, brachium ſupra vas aheneum lecto appoſitum, pilam argenteam manu complexus, exporrigebat; quò ſomno fortè victus, elapsâ manu pilâ, ſonoro ſtrepitu excitaretur: ut teſtis eſt Ammianus Marcellinus.

Porrò *prudentiam* arguit, quòd nocte illuni in ſublime

ſublime volans, lapidem pede geſtet, quò lapſu ejus exploraret, ut Ariſtophanes Byzantius credidit, ſupra terramné an mare volitet: ſive, ut mavult Ælianus, & Maximus Tyrius, quo imbecillitatis ſuæ conſcia, onere quodam adverſus ventorum impetum ſeſe ſtabiliret. Et eâ causâ arenam quoque deglutire, roſtroque ſuſceptis lapillis ad moderatam gravitatem ſuburrari tradidit Solinus.

Quin & *ordinis obſervantiæ*, & *in moribus perſeverantiæ* ſymbolum eſt; quia & pennarum colorem in extremam uſque ſenectam retinet, & in volatu ordinem pertinaciſſimè ſervat. Hunc verò primus obſervâſſe dicitur Palamedes Nauplii Eubœæ regis Neptuno & Amymone filiâ Danai prognati filius, Ulyſſis fraude, ut Homerus & Ovidius teſtantur, à Græcis interfectus. De quo apud Philoſtratum legas, quòd Ulyſſi objicienti litteras non ab eo, ſed à gruibus inventas, reſponderit, grues quidem quod ad litteras nihil adinveniſſe; verùm earum curam referri ad ordinem, quem Ulyſſes, quippe qui toties Hectori, aut Sarpedoni, aut Æneæ in bello obviam fieret, ordinem deſeruiſſe dicitur, nunquam ſervare didiciſſet. Nempe Palamedes ex harum avium inter volandum ordine, quem triangularem eſſe prodidit Ariſtoteles, in bello Trojano ordinem aciei, & teſſeras, hoc eſt, tres litteras, aliis quatuor, ut ſunt θ, ξ, χ, & φ, inveniſſe fertur. Atque hinc grues vocantur *aves Palamedis*, ſive *volucres Naupliadæ*: *Strymoniæ* verò, & *Biſtoniæ*; quia apud Strymonem fluvium, & Biſtonem Thraciæ lacum per æſtatem maximè morantur: Vnde Lucanus l. 5:

> *Strymona ſic gelidum brumâ pellente relinquunt*
> *poturæ te, Nile, Grues.* ---- ----

Denique *laboris tolerantiæ* ſunt ſignum. Et hinc veteres hominem laboribus minimè fatigatum indicare volentes, in ejus manum vel alas, vel pedes gruum ſtatuebant. Quippe & eos nullo unquam labore laſ-

fescere ajunt, qui nervos ex alis & cruribus gruum gerant.

Præterea gruum quidem imaginem inter astra locatam suspicari quis posset, ob pugnam, quam cum Pygmæis commisisse fabulantur: ut eam descripsit Iuvenalis Satyra 13:

Ad subitas Thracum volucres, nubemque sonoram
Pygmæus parvus currit bellator in armis,
mox impar hosti, raptusque per aëra curvis
unguibus à sæva fertur grue. Si videas hoc
gentibus in nostris, risu quatiere: sed illic,
quanquam eadem assiduè spectentur prælia, ridet
nemo: ubi tota cohors pede non est altior uno.

Videatur & de hoc Plinius N. H. l. 4, c. 11, Aristoteles H. A. l. 8, c. 12, & Strabo l. 1.

Verùm nos malumus Gruem eâ causâ stellis illatam esse; quia, judicio ipsius quoque Ieremiæ Prophetæ c. 8, v. 7, *observator sit temporum vigilantissimus.*

XVI. PISCIS AUSTRINUS;
der Mittags-fisch;

Piscis Australis sive *meridianus* & *notius*; *Piscis Capricorni,* sub quo positus est; ineptè *Notius Zodiaci:* Græcè ἰχθὺς νότιος, quibusdam μέγας, id est, *magnus*, item μονάζων, *solitarius*, ad differentiam duorum parvorum in Zodiaco conjunctorum: Arabicè *Alhaut*, & *Alhaut algenubi.* Transit meridianum nocte mediâ circa medium Augusti: & in globo nostro 15 insignitur stellis; quarum illa in ore Arabicè vulgò *Fomahand*, *Fumahant*, *Fumalhant*, *Fontabant*, vel *Fomahaut*, rectiùs verò juxta Schickardum *Phomol-cuti*, hoc est, *Os piscis*, scilicet

ſcilicet *notii*, Græcè στόμα τῦ ἰχθύος dicta, omnium eſt maxima.

Poſtellus numerat 11, *& extra figuram* 6 : *Bayerus verò* 12 ; *nempe unam primæ magnitudinis in ore, ut diximus* ; 9 *in capite, & corpore reliquo quartæ* ; *&* 2 *in ventre, & dorſo quintæ, omnes de* ♄ *natura.*

Piſcis apud Ægyptios Sacerdotes erat ſymbolum *Prophani*; quia ob aquoſam, ut ſuſpicor, materiam, qua conſtat, citò putreſcit, & nullius ferè eſt nutrimenti; ut ex eo apparet, quòd Æthiopes ſolis piſcibus viventes admodum brevioris ſint vitæ. Nempe cenſebant ut eſt apud Platonem in Phœdone, nihil naſci in mari, tanquam re prophanâ, Iove dignum. Et *Piſcis repoſitus* apud Plutarchum in Sympoſ. dec. 7, c. 4, eàdem ratione denotat hominem. ſordidum. Hinc eſt inter Plauti dicteria; *Piſcis nequam, niſi recens.* Mare verò, cujus excrementa piſces dicuntur, Pythagoras fortè non alia de cauſa *Saturni lachrymas* vocavit, quàm ut ejus impuritatem innueret. Et piſcibus abſtinere juſſit, ut quibuſdam videtur, ob ſanctum, quod tanto ſemper zelo injungere ſolebat, ſilentium. Nempe quia piſcis, propter taciturnitatem ſuam, *ſilentii* eſt ſymbolum. Vnde proverbium, *magis mutus quàm piſcis.* Atque ob eam potiùs taciturnitatem, quæ Græcis ἐχεμυθία, piſcis iiſdem ἰχθὺς, quaſi ἰσχεμυθὸς, ſive ἐχέμυθος, hoc eſt, *taciturnus, vocem reprimens*, ut ego cenſeo, dictus eſt; quàm quia animal ſit πολυκίνητον, id eſt, *quod multiplici motu agitatur*, à verbis ἴκεσθαι, & θύειν, quando hoc idem ſignificat, ac ὁρμᾶν; ut Euſtathio viſum. Nam ἔχω, ſive, quod idem eſt, ἴσχω, ſignificat *inhibeo, reprimo*; & μῦθος, *ſermo.* Vnde compoſitum eſt ἐχέμυθος, ſive ἰσχέμυθος: ex quo contractum ἰχθὺς, quaſi dicas *ſermonem* vel *vocem coërcens*, ſive *mutus.* Niſi derivare malis ab ἔχθος, *odium*; cujus quoque ſymbolum erat piſcis: nempe quia Ægyptii, quibus omnia marina, adeoque & ſal, pernicioſiſſima videbantur, ipſumque mare pernicies dicebatur, ut ad

ſignum Eridani innuimus, infenſo in ipſum ibant animo. Atque eâ quoque cauſâ ſuſpicor Chriſtianos ab Ethnicis, quibus maximè inviſi erant, piſces fuiſſe dictos, quemadmodum & ipſe Chriſtus; ut ſupra ad Piſcem gemellum indicavimus.

Quin & à *Muſis, Gratiiſque, imò à Venere alienum* Piſcis figurâ, ob ejus ſtupiditatem, ac frigiditatem ſignificabant. Amoris ſanè ardori piſcium eſu, niſi condimentum adhibeas opiparum, nullus accedit fomes; ſed is potiùs ob frigidam eorum naturam, extinguitur. Hinc gentilium Sacerdotes (exceptis Ægyptiis, qui ſalacitatem piſcium eſu, ob humificam eorum naturam ſalſedine maris, ut putabant, affectam, conciliari cenſebant) piſces non tantum comedebant; ſed etiam loca plurima piſcibus abundantia Diis ſacra commenti ſunt, quò ſoli eorum capturâ fruerentur; & quidem, ut verum fatear, ad luxum, ac delitias. Quippe *luxus* unà ſymbolum, ob condimentum opiparum, eſt piſcis: quo etiam delicatiores epulas, ut porro & cæpe victum parcum, intelligit Horatius l. 1, epiſt. 11:

Verùm ſeu piſces, ſeu porrum & cæpe trucidas:

hoc eſt, ſive lautè, ſive parcè vivas. Atque hunc gentilium Sacerdotum luxum in comedendis piſcibus imitati ſunt noſtri Papicolæ; quorum jejuniis ſolus inter cibos carnarios apponitur piſcis variè condîtus; ut eo comeſto, quemadmodum callidè ſimulant, laſciviæ calor tepeſieret, & caſtimonia conciliaretur. Sed audiamus de hoc Eraſmum Roterodamum, Chriſtianorum mores ſuper nimio piſcium eſu carpentem: *Olim*, inquit, *veſci piſcibus pro deliciis habebatur, & infami vocabulo dicebantur Opſophagi: nunc ea res magna eſt ſanctimonia, &c.*

Cæterùm de hoc cœleſti Piſce, qui *Major* appellatur, & aquam ab urna Aquarii defluentem ore excipiens deglutit, nullus ſcripſit, præterquam Iginius: qui brevibus rem expedit. Refert enim quòd Syriæ populi, qui hunc piſcem in tanto honore habeant, ut

eum

eum tanquam Deum domesticum adorarent, ejus imaginem in cœlum posuerint, quo inibi inter astra lucens, perpetuò conspiceretur. Vide sis quid de hoc diximus ad signum Zodiaci duodecimum.

Sed placet multò magis hîc substituere *Piscem illum miraculosum*, in cujus ore, quemadmodum Matthæus Evangelista, c. 17, v. 27 testatur, staterem loco tributi dandum invenit Apostolus Petrus.

XVII. PHOENIX; der Fönix / sive Sonnen-vogel;

Avis Titania, *Soligena*, *Arabica*, Statio *Pharia*; Claudiano *Ales longæva*, Virgilio *reparabilis*, Herodoto in Euterpe *Avis sacra* : Græcè *Φόινιξ*. Europæorum horizontem solummodò stringens, Indis, & populis meridionalibus semper patet; ac in globo nostro 13 ornatur stellis.

Bayerus numerat 14; *nempe octo tertiæ magnitudinis*; *&* 6 *quartæ*.

Phœnix dicitur à *phœniceo* sive *punico*, hoc est, *rutilo*, *purpureo*, *spadiceo*, sive *sanguineo* colore: Φόινιξ enim Eustathio derivatur à φόνος, quod Homero idem significat, ac *αἷμα*, *sanguis*. Avis est fabulosa, quam unicam in toto terrarum orbe dicitur habere Arabia, aquilæ magnitudine, auri fulgore circa collum micans: cætera purpureus, caudâ cæruleâ roseis pennis distinctâ, facie cristis ornatâ, & plumeo apice caput cohonestante: ut ex Plinio, Claudiano, Baptista Mantuano, Lactantio, item Ttetze Hist. Chil. l. 5, videre est.

B. Hieronymus ad Præsid. Indiam habitare ait: Athenæus Dipn. l. 14, Heliopoli in Ægypto primùm apparuisse; Iarcas Indus apud Philostratum propè Nilum; Chæremon Ægyptius in Æthiopia; Lactantius

tius in Phœnicia. Alii ad orientem, & meridiem reperiri scribunt. Imò Plinius ait illatum fuisse Phœnicem Romam sub Claudii Principis censurâ, nempe anno urbis DCCC: & Heliogabalus in conviviis Phœnicem promittebat, aut M. auri libras, si stare promissis non posset. At Herodotus Hist. l. 2, non nisi pictum se vidisse testatur. Et Manilius Togatorum primus apud Plinium H. N. l. 10, c. 2, prodidit neminem extitisse, qui viderit vescentem. Rore tamen victitare fabulantur nonnulli; & thuris lacrymis, succoque amomi Ovidius.

Circa ætatem omnes ferè variant. Plinius ei assignat annos sexcentos sexaginta; Philostratus sexcentos; Seneca Epist. 4, quingentos; Herodotus, Solinus, Mela quingentos quadraginta; Albertus trecentos quadraginta; modò dictus Chæremon sex supra septem mille. Si quando moriundi tempus adventare præsentiat, in Ægyptum ferri ab ipsis scribitur Ægyptiis: ubi vulnere sibi vehementi ad terram allisione inflicto sanguinem emittat: ex quo primùm vermiculus nascatur; qui postea pullus fieret ac alter phœnix. Hunc, quam primùm pennas sit nactus, conferre se unà cum patre Heliopolin; quò simul ac venerit parens, oriente sole moriatur, provinciâ suâ pullo relictâ. Et Adamantius nugatur, Phœnicem defunctum à pullo eôdem portari Smyrnæâ cistâ reconditum; imò, ut nonnulli somniant, quia Soli dicatus sit, reponi ante fores templi Solis, sive, ut alii malunt, in Ara. Vnde Lactantius de cineribus, & reliquiis patris loquens:

Vngine balsameo, myrrhâque & thure soluto
condit, & in formam conglobat ore pio.
Quam pedibus gestans, contendit Solis ad ortum,
inque Ara residens, ponit in æde sacra.

Videatur de hoc quoque Herodotus, Ovidius Amorum l. 2, Artemidorus de somniis, & Tacitus Annal. l. 14; qui aliam progenerationis rationem referunt. Sed juvat audire Ovidium Metamorph. l. 15:

Vna est, quæ reparet, seque ipsa reseminet ales:
Assyrii Phœnica *vocant: nec fruge, nec herbis,*
sed thuris lacrymis, & succo vivit amomi.
Hæc ubi quinque suæ complevit secula vitæ,
ilicis in ramis, tremulæque cacumine palmæ,
unguibus, & duro nidum sibi construit ore.
Quo simul ac casias, & nardi lenis aristas,
quassaque cum fulva substravit cinnama myrrha;
se super imponit, finitque in odoribus ævum.
Inde ferunt, totidem qui vivere debeat annos,
corpore de patrio parvum Phœnica *renasci.*
Cum dedit huic ætas vires, onerique ferendo est,
ponderibus nidi ramos levat arboris altæ:
fertque pius cunasque suas, patriumque sepulchrum:
perque leves auras Hyperionis urbe potitus,
ante fores sacras Hyperionis æde reponit. &c.

Cæterùm apud Ægyptios *Solis*, ob raritatem, & coloris splendorem, symbolum erat: uti & *instaurationis* & *absentiæ diuturnæ*, sive *rei antiquatæ*. Sic quoque poterit esse hieroglyphicum *resurrectionis*; quemadmodum Tertullianus lib. de resurrect. carnis indicare videtur: quin & *Viri* cujusdam *non è multis*, hoc est, *raræ virtutis*, sive *doctrinæ*. Verùm plura tibi de Phœnice tradent, præter memoratos auctores, Aldrovandus, & Ionstonius in Animal. Historia, p. 152, item Caussinus de Symbolica Ægypt. Sap. p. 71, & 127; quos adi.

XVIII. COLVMBA; die Taube/ die Sündfluhts-taube/ das Tauben-gestirn;

Columba Noæ, Pacis nuncia; Iovis nutrix: Græcè περιστερὰ, vel περιστερὶς; & τρήρων; item *φάσσα, palumbes;* & πέλεια, vel πελειὰς, à nigricante colore sic dicta, teste Aristot. H. A.

l. 5, c. 13: Hesychio Σεμίραμις; aliis *Hemame*, fortè ex ἡμένη πελειὰς, phrasi Græcanicâ *mansuetudinem* exprimente; nisi ἡμένη sit corruptum ex νήνεμος, *tranquillus*, vel ἥμερος *mansuetus*! Ebraicè יונה. Comprehendit undecim stellas, quas recentior ætas, ex sparsilibus sub Cane majore & Lepore sitis, in hanc formam redegit. Ac meridianum occupat nocte mediâ, mense Decembri.

Schillerus in Cœlo suo stellato Christiano Columbam 6 stellis insignivit, ac 4 ramum oleæ virentis, quem ore gestat; ita ut, illâ, quæ est à Septentrione ad verticem Canis, omissâ, in universum decem numeret.

Columba fortè à *colendis lumbis*, æquè ac *palumbes*, ut Alberto M. visum, à *parcendis* in re Venerea *lumbis* dicta, inter astra locum meruit, ad recordationem *Columbæ* illius, quam *Noah* matutino tempore ex Arca emiserat, quæque ramum oleæ virentis, tanquam *pacis* ac *misericordiæ* signum, rostro gestans, sub vesperam redierat; ut videre est Genes. c. 8, v. 10, & 11: vel, si mavis, in memoriam *Spiritus Sancti* sub specie *columbæ candidissimæ*, ut Patres censent, super Christum recens baptizatum de cœlo descendentis; quemadmodum ex historia Evangelistarum, nempe Matthæi c. 3, v. 16, Marci c. 1, v. 10, Lucæ c. 3, v. 22, Ioh. c. 1, v. 32, cognoscere quis potest.

Cur autem non alterius cujusdam avis, sed Columbæ specie indutus, Spiritus Sanctus apparuerit, id ipsum explicat in iis, quæ adversus Novatianum pro concordia piorum omnium scripsit, B. Cyprianus: *Iccircò*, ait, *& in Columba venit Spiritus Sanctus: quæ simplex animal, & lætum, non felle amarum, non morsibus sævum, non unguium laceratione violentum; cujus ingenium est hospitia humana diligere, unius domus consortium nosse, cùm generant, simul filios educare, cùm coëunt, volatibus invicem*

invicem cohærere, communi converſatione vitam ſuam degere, oris oſculo concordiam pacis agnoſcere, circa omnia demum humanitatis omnem implere legem.

Atque hinc Columbæ veteribus non tantùm ſymbolum erant *manſuetudinis, ſuavitatis*, ac *exquiſitiſſimi amoris*; ſed etiam Veneri amorum Deæ, tanquam ejus comites, teſte Apollodoro de Diis, dicatæ: quippe quarum miniſterio ea ad trahendum currum uſa fingitur; ut eſt apud Ovidium Metamorph. l. 15;

Perque leves auras junctis invecta columbis
littus adit.

Cæterùm unà quoque cum Venere natas, ac in Cypro Veneri ſacra primùm repertas, indeque ad alias gentes transmiſſas autumare videtur Athenæus. Et circa Erycinæ Veneris templum, quod ejus, & Butæ filius Eryx, ut Servius l. 1 Æn. teſtatur, exſtruxit, frequentes columbarum turmas olim viſas fuiſſe, prodidit Ælianus Var. Hiſt. l. 1: *In Eryce Siciliæ, ubi templum Veneris eſt venerandum & ſanctum, cùm certo tempore offerunt ἀναγώγια Erycini, & Venerem è Sicilia in Lybiam ſolvere dicunt, evaneſcunt ex eo loco columbæ, quaſi cum Dea ſimul diſcedant. Reliquo verò tempore ingentem earum copiam circa Deæ templum abundare conſtat.* Alii addunt, diſceſſum hunc fieri ſtato anni cujuſque tempore, & quidem per dies novem: quibus finitis adventare unam reditus prænunciam; qua Veneris templum ingreſsâ, reliquas mox uno turmatim agmine reverti, atque hinc gaudio exultantes, Venerem adeſſe profiteri. Quin & Athenæus Dipnoſ. l. 9, c. 16, refert, Deam ipſam ſub forma *columbæ purpureæ*, ſive *roſaceæ* redire, cum ingenti columbarum copia ſtipatam. Atque hinc eſſe conjicio, quod Venus ab Anacreonte εἰς ῥόδον, ῥοδόχρως Ἀφροδίτα, *Roſicolor Venus*, vocetur. Roſam itidem tunc temporis, cùm Venus ex maris ſpuma ſit procreata, primùm effloruiſſe indicat idem Anacreon. Et Venus coronâ roſeâ, quam de ſuo ſanguine colorem accepiſſe fingunt, à quibuſdam inſignitur. Quin & Roſa Ἀφροδίτην προξενεῖ, *Veneris eſt conciliatrix*; ut ex Achille

Achille Tatio de Leucippe & Clitophonte constat.

Cur autem Columbæ Veneri adeò gratæ fuerint, mythologicè indicat Nigidius ad Arati Phœnomena, & Cæsaris Germanici Interpres; cujus verba in Signo Piscium citavimus: nempe eò quod ovum miræ magnitudinis à piscibus ex Euphrate evolutum columba foverit, unde Dea sit edita. Quamquam Aristophanes in avibus non *Venerem*, sed *Cupidinem*, aureis alis micantem, ex ovo Noctis zephyrio genitum scribat.

Sed ut gentiles plurimas agnoverunt Iunones, Dianas, aliasque ejusmodi Deas; sic plurimas quoque agnovisse deprehenduntur Veneres: quarum res gestas uni, more solito, tribuerunt. Sanè Semiramidem viduam Nini, sive ut aliis placet, alteram, annis quingentis juniorem, quæ Eusebio quoque *Atossa* dicitur, nempe filiam Belochi, qui æquè, ac ille, Assyrorum rex fuit, ut *Venerem*, columbæ figurâ Orientalibus cultam fuisse constat. De infantia autem Semiramidis, quæ filia fuit Dercetûs, ut Diodoro, Luciano, Hygino, ac aliis traditum, vária narrantur. Apud Lucianum de Dea Syria, & Gnidium legere est, illam à columbis cibatam in deserto: ubi exposita à matre juxta crepidinem aquis prominentem, occultè nutriebatur, fortè columbarum carne; ut ex Diodoro fusiùs indicavimus sub signo Piscium. Quin & idem Diodorus l. 2, ex Ctesia refert: *Sunt qui Semiramin in columbam conversam fabulantur. Compluribus enim avibus in palatium ejus delapsis, unà cum illis avolâsse creditur. Et hinc est, quod Syrii Semiramidem Diis immortalibus accensentes, columbam pro Dea honorent.* Id ipsum quoque inter alia haud obscurè indicare videtur Ovidius Metam. l. 4:

— *Et dubia est, de te Babylonia narret*
Derceti, *quam versâ squamis velantibus artus*
stagna Palæstini credant coluisse figurâ.
An magis, ut, sumtis illius filia *pennis*,
extremos altis in turribus egerit annos.

Atque hinc, uti Derceto piscis, & ejus filia

Persarum

Persarum statuens Babylona Semiramis *urbem*,

ut Propertius loquitur l. 5, columbæ figurâ colebatur.; sic illis quoque hono[redacted], ut Syri piscibus pariter, ac columbis abstinuerint. De hoc apud Phurnutum περὶ θεῶν hæc legas: Ἔοικε δὲ ἡ αὐτὴ καὶ ἡ παρὰ Σύροις Ἀρταγὰ εἶναι, ἣν διὰ τὸ περιστερᾶς καὶ ἰχθύος ἀπέχεσθαι τιμῶσι. *Videtur hæc* (Rhea) *esse eadem, quæ apud Syros est* Artaga: *quam abstinendo à columba, & pisce, colunt.* Similiter Hyginus Fab. 197: *Ob id Syri pisces, & columbas ex Deorum numero habent, non edunt.* Et Tibullus l. 1, el. 7:

Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
alba Palæstino sancta Columba *Syro?*

Videatur quoque de hoc Eusebius Præpar. Evangel. l. 8, c. 5; & Athenæus l. 14.

Sed originem fabulæ, cur Semiramis vel in columbam conversa, vel ex ovo columbæ ministerio exclusa, vel in eremum exposita à columbis nutrita fingatur, imò ipsam rationem, cur eadem columbæ figurâ sit culta, vix aliunde commodiùs, quàm ex ipso arcessere possumus vocabulo *Semiramis*: quod Diodorus linguâ Syrâ *columbam* signare scribit; & Hesychius Græcanicâ *columbam montanam*. Sanè Io. Morenus, cum R. Azaria, in ea est opinione [1], vocabulum *Semiramis* esse ex זִמְרָא, sive potiùs ex Chaldaico זְמִיר, quod avium illum pipitum, & minutam ac querulam cantillationem, Græcis μινύρισμα dictam, signat. Imò idem Azarias lib. אמרי בינה c. 25 suspicatur, Babylonios & Assyrios, ob hunc Semiramidis cultum; vexilla sua militaria columbis insignivisse: atque hinc, censet, Ieremiam dixisse cap. 25, v. 38: *Facta est terra eorum in desolationem à facie iræ Columbæ.* Quod [redacted] Germanicè vertit: Ihr land ist verstöret für dem Zorn des Tirannen; nempe *Babylonii Nabuchodonosoris, cujus symbolum in vexillis est Columba.* Textus Ebraicus habet היּוֹנָה *Ha-jonah, illa columba,* dieselbe Taube: ubi articulus ה emphaticus certum quendam exercitum, nempe Nabuchodonosoris Babylonicum, indigitare videtur; ut Chri-

Christophoro quoque à Castro observatum. Atque sic etiam interpretantur apud eundem Prophetam vocabulum היונה; quod [redacted] æquè ac illud Germanicè der Tiran reddidit ut cap. 46, v. 16: *Surge & revertamur ad populum nostrum, & ad terram nativitatis nostræ ab occursu gladii, quem Columba vibrat*, sive *à facie gladii Columbæ*; nempe *exercitus Nabuchodonosoris, cujus insignia* referunt *Columbam*. Et cap. 5, v. 16: item apud Sephoniam c. 3, v. 1. Quin imò ex Catena Gedaliæ cabalistica constat, Iudæos quosdam credidisse, per simulachra illa, quæ Iacob ex Assyria rediens, ut Genes. cap. 35, v. 4, videre est, post oppidum Sichem sub terebintho, sive juxta Lutheri versionem, sub quercu defodit, nihil aliud intelligi, quàm columbas illas Syrorum idololatricas. Et ejusmodi simulachrum columbinum tempore R. Meir in jugo montis Garizim inventum fuisse, narrant Rabbini Thalmudici in tractatu Cholin sect. 1. Sed de Semiramide plura legas apud Phurnutum de Nat. Deor. Hyginum Poët. Astr. fab. 117; Ovidium Metam. 4, Athenagoram in Legatione, Tzetzem Chil. 9, c. 235, & Vossium de Orig. & progr. Idol. l. 1, c. 23.

Verùm ut Latinum *Columbæ* vocabulum à *colendis lumbis* sive *incolendis culminibus* villarum, juxta Varronem l. 3 de Re rust. sive παρὰ τὸ κολυμβᾶν, id est, *urinare*, quòd bibentes rostrum aquæ diutiùs immergant, quemadmodum Hermolao visum, deduci potest: sic Græcis περιστερὰν, παρὰ τὸ περισσῶς ἐρᾶν, quòd *supra modum amori det operam*, dici censet Apollodorus in tractatu suo de Diis. Quippe columba non tantùm ipsa impensè amat; sed etiam alias, imò femina feminas, si desint mares, ad amorem allicit, tum murmure suo amatorio, tum osculationibus amorem spirantibus & conciliantibus.

Atque hinc est, quod Ægyptii Sacerdotes *illecebras amatorias* designare studentes, duas pingere solebant columbas se invicem exosculantes: quippe quæ nunquam ad Veneris copulam deveniunt, nisi priùs minirismate

ismate suo lenocinante, tanquam cantilenâ quadam amatoriâ, ac osculis mutuis sese invitârint, & obstrinxerint. Et senior quidem primum congressum ab osculo exorditur; sequentem sine osculo: at junior omnes coitus osculo celebrat. Minirismatis autem hujus meminit quoque Imperator Galienus in carmine illo epithalamico, quo fratrum suorum filios junxerat:

Ite, ait, ô Pueri; pariter sudate medullis
omnibus inter vos. Non murmura *vestra* columbæ,
brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ.

Nec amore modò, sed & continentiâ, ac fide quam maritis, etiam mortuis, inviolatam servare solent, præstare dicuntur columbæ. Hinc Propertius:

Exemplo junctæ tibi sint in amore columbæ,
Masculus, & totum femina conjugium.

Iccircò etiam *Viduam perseverantis continentiæ* per *columbam nigram* hieroglyphicè significabant Ægyptii. Per *nigram* quidem; quia vel pudicitiam suam prostituere, vel ad secundas nuptias transire abhorrens, atrata viri demortui desiderium præ se ferebat. In luctu enim *pullo*, hoc est, *subnigro* utebantur colore plurimæ gentes: quamvis apud Romanos in Imperatorum funeribus *albæ* vestes, fortè pullis superimpositæ, ut auguror, induerentur; quemadmodum ex Plutarcho, & Herodiano constat: imò Græciæ, ac aliis Europæ populis, imprimis autem Germaniæ superioris mos erat, quemadmodum & in quibusdam locis adhuc est, ut viduæ non tantum nigris vestibus sive stolis indutæ, scilicet ad denotandum luctum, sed etiam albis linteis redimitæ, ac vittatæ incederent; nempe ad significandam suam puram ac immaculatam fidem, imò & abstinentiam à secundo matrimonio, aut ad minimum ab omni re Venerea, quamdiu viro orbatæ viverent. Atque hinc est, quòd Galli Reginam suam, à morte Regis mariti, *la Reine blanche*, hoc est, *Reginam albam*, die weisse / sive, ut inferiore dialecto proferunt Germani, die witte Königin / appellitent. Imò non

aliunde

aliunde eſt, quòd Germanis omnes viduæ vernaculè dicantur witwen / witweiber / vel witfrauen / quaſi dicas weiſſe / ſive witte frauen/ hoc eſt, *feminas albas*. Nec ipſum Latinum vocabulum *vidua*, neque Hiſpanicum tranſpoſitione ſaltem duarum literarum ex hoc formatum, *viuda*, vel *biuda*, uti nec Italicum *vedova*, neque Gallicum *vefve*, imò nec Belgicum weduwe vel weewe/ neque Anglicum *widowe*, aliunde originem traxit, quàm ex Germanico truncato, vel abbreviato witwe. Eſt enim ex integro witweib; quod quibuſdam, omiſſis literis intermediis w & e / quoque wittib ſcribitur. Sed de hoc abunde egimus in opuſculo noſtro Germanico Die Dichterische Liebes-flammen dicto, pag. 79.

Hìc incidit mihi in mentem, quòd Plutarchus ſcribat, Venetos, Padanoſque omnes atratis uti veſtimentis, ad ſignificandum luctum ex Phaëthontis caſu, cujus mentionem fecimus ad Signum Eridani, olim perceptum. Sed dum ſic cenſet, magis Poëtam, quàm Hiſtoricum agit. Potiùs dixerim, eos hoc factitâſſe, quia color ille firmitatis, & perſeverantiæ dicitur ſignum. Omnis enim color ex alio in alium tranſit, denſiorisque corporis admiſtione obſcurior evadit: ſed ubi ad nigrorem perventum eſt, ibi mutatio in denſius, ſive obſcurius deſinit. Atque ſic quoque *Columba nigra* ſummam uxorum in pudicitia abſque macula conſervanda perfectionem denotare poterit. Hanc autem perfectionem nobis in Monogamia ſua commendat quoque Tertullianus, dum inter alia ſcribit, columbam non ſimplicem, & innocuam tantùm eſſe, quippe cujus ſimplicitatem æquè, ut aſtutiam ſerpentis, nobis imitandam quoque proponit ipſe Chriſtus; ſed etiam pudicam, ſcilicet quam unam unus maſculus noſceret.

Atque hinc quoque Columba ſymbolum eſt *innocentiæ*, ac *ſimplicitatis*, imò *monitoris ad animæ ſimplicitatem*, ac *tranquillitatem*. Huc itidem videtur reſpexiſſe Cyprianus; qui emiſſam à Noah *columbam fuſcam*, ut appel-

appellari ſolet, lapſorum imaginem præ ſe tuliſſe cenſet. Sed meminere ejus Columbæ etiam gentiles, veram hiſtoriam more ſolito in fabulam commutantes. Quippe Plutarchus de induſtria animalium prodidit, Deucalionem tempore diluvii, cum uxore Pyrrha Epimethei Iapeto proguati & Pandoræ filia, ut Proclus, ac Rhianus tradidere, in arca quadam ſervatum, emiſiſſe columbam quandam, quam ſecum habuerit, exploratum an aquæ decreverint. At hanc aliquoties emiſſam, ac, quia non habuiſſet ubi conſiſteret, primis vicibus reverſam, tandem tamen emanſiſſe. Vnde Deucalion colligens ſiccam alicubi eſſe terram, cum arca ſua ad montem quendam trajecerit: quem iidem gentiles ex eo *Larnaſſi*, at poſtea, mutatâ primâ literâ, *Parnaſſi* nomen accepiſſe fabulantur. Arca enim, in quam ſeſe Deucalion à Prometheo patre præmonitus, rebus neceſſariis eò comportatis, receperat, uti eam Lucianus in Timone κιβώτιον, vel, ut quidam ſcribunt, κυβώτιον, quaſi Germanicè dicas ein kübel, ſive trof, appellavit; ſic quoque Androni Tejo λάρναξ dicitur. Vbi quoque notandum occurrit, quòd non ſolùm ab illa Noachi Arca ſcaphæ Miſnicæ fluvium Germaniæ Albim ſulcantes, ac merces Hamburgum portantes vulgò *Arken* audiant; ſed etiam ab ipſo Noacho (unde & *Bacchi* nomen eſſe ortum quibuſdam placet, ut maximo Voſſio de Idol. p. 144, annotatum) cymbæ trajectoriæ & piſcatoriæ in aliis Germaniæ locis nachen dici videantur.

Sed cùm plures fuerint Deucaliones, quos, ſingulis ferè geſta Noachi tribuentes, fabulatores in unum confundunt, plures etiam iis parentes fuiſſe conſtat. Quippe Deucalion Apollonio l. 3 filius dicitur Promethei Iapeto ex Clymene, juxta Herodotum, & Heſiodum in Theogonia, prognati; Pherecydi, & Homero Il. 5, Minois, ex Paſiphaë; Ariſtippo Rer. Arcad. l. 1 Abantis & Aſopiæ; Hellanico Haliphronis & Iophoſſæ nymphæ; aliis Aſterii & Cretæ Halimonis filiæ. Matrem porrò Heſiodus, cui quoque Strabo l. 9 aſtipulatur, nominat Pandoram; imò & Aſiam Herodotus

in 4. Sed videtur Pandora *Asia* dicta, uti & Κλυμένη; quia *Asiatica*, & *inclyta* fuit mulier: nempe tot inclytarum Europæ gentium mater. Et horum diversorum Deucalionum Græcis celebratissimus fuit ille Thessaliæ juxta Herodotum rex, & Promethei ex Pandora filius, æquè ut diversorum Prometheorum ille Atlantis Astrologi pater, à quo & monti nomen attributum.

Præterea quoque *mansuetudinis* symbolum erat Columba; uti & *trepidationis* ac *timiditatis*. Trepidatio enim, ut nomen τρήρων, à τρέω, *trepido*, formatum, indicat; sicut & mansuetudo, ob bilis defectum, illis innata videtur. Et bile planè destitutas, aut saltem in uropygio præditas esse, tradunt Physici: quod tamen Galeno l. de Atra bile, ridiculum videtur. Hinc pingebant Ægyptii columbam uropygio surrecto, siquando hominem proprio instinctu minimè iracundum, attamen aliorum perversitate commotum ostendere vellent. Græci quoque cùm mansuetudo cujusdam exprimenda, utebantur phrasibus à columbarum natura desumtis: ut πρᾳότερος πελιστερᾶς, *mitior columbâ*; & ἡμερὶς πηλειὰς, *columba tranquilla*, sive *cicur*: ita enim pro ἡμένη πελειὰς legere placet. Sic Latini ob innatum pavorem, cujus causâ eminentia amat loca, & latebras, *timidam*, ut Marullus; & *trepidam*, ut Ovidius Metam. l. 5, dixere. Maro vocat *præcipitem*, cùm Æneid l. 2 sic scribit:

Præcipites atrâ ceu tempestate *columbæ*.

Et apud Homerum Odyss. μ, versu 63, legas, τρήρωνες πέλειαι, *pavidæ columbæ*.

Sed columba non solùm *Veneris*, sive *amoris*, & omnium, quæ amori subsunt; sed etiam *Palladis*, hoc est, *docilitatis* est symbolum. Docilitatem autem columbarum arguit, quòd tam multæ ad jussa, præsertim ad litteras in longè dissita loca perferendas, edoctæ ac paratæ olim apud Romanos, pariter ac populos orientales, inventæ sint; ut ex historiis passim videre est. Ejusmodi columbam administram attribuunt Duci Iosuæ Samaritani in Chronico suo: sed non humanis magi-

magiſteriis, ut ipſi ſcribunt, verùm divinitus inſtitutam. Quin & Mahumedi impuro illi Pſeudo-prophetæ columba erat, quæ ipſi cibum ex auribus capiebat, ac tabellarii vicem præſtabat. Hoc ipſum quoque commendat Plinius l, 10, c. 3, obſidione Mutinenſi in columba Decimi Bruti: & Ælianus l. 9, in illa Tauroſthenis; quæ patri ejus uno eodemque die victoriam, ex Olympia Æginum volitans, annunciavit. Simile exemplum nobis occurrit in poëmatis Anacreontis: cujus columba, quam decantat, cicurata, & ad mandata domini edocta, non tantùm literas perferebat; ſed etiam moſcho delibuta, imò delitiarum gratià unguentis perfuſa, alias columbas corrumpebat, furtoque comitatior revertebatur. Sed in veteri Iure Iudaico qui ejuſmodi artificio alienas columbas furantur, cum aleatoribus, à dicendo teſtimonio repellebantur. Et de hac columbarum docilitate plura legas apud Bellonium l. 6 de Avibus, c. 21; ac Botterum in Relationibus.

Cæterùm quòd dicunt, Columbam in cœlum collocatam à Iove, in memoriam Phthiæ puellæ, quam ille adamaverit, ac in ejuſmodi avem mutaverit, prorſus fabuloſum eſt. Similiter nec locum inibi invenerunt illæ *Liviæ*, ut quibuſdam vocantur, & *agreſtes columbæ*; à quibus, vel potiùs quarum carne Iupiter in antro deliteſcens infantiæ nutrimenta accepiſſe fertur; ut teſtis eſt Mœro Poëtria Byzantina, quam Schillerus in Cœlo Chriſtiano pag. 15, Poëtam Græcum, terminatione nominis deceptus, vocavit:

Ζεὺς δ' ἄρ ἐνὶ Κρήτῃ τρέφετο μέγας. ---
Τὸν μὲν ἄρα τρήρωνες ὑπὸ ζαθέῳ τρέφον ἄντρῳ,
ἀμβροσίην φορέουσαι ἀπ' ὠκεανοῖο ῥοάων,
νέκταρ δ' ἐκ πέτρης μέγας αἰετὸς αἰὲν ἀφύσσων
γαμφηλῇ φορέεσκε πετῶν Διὶ μητιόεντι.
Iupiter in Creta nutritur. ----
Hunc in ſpelunca ſacræ pavere columbæ,
fluctibus Oceani ambroſiamque tulere volantes.
Aſt aquila *huic nectar, de petra dulce quod hauſit,*
mox roſtro, ſublimè volans, afferre ſolebat.

Attamen eos falli, qui columbam propterea inter astra locatam putant, ex sequentibus ejusdem feminæ versiculis conjicitur. Sic enim pergit:

Hanc (aquilam) *patri altitonans mox, regno victor adempto,*
esse immortalem voluit, cæloque locavit:
nec nullo timidas decoravit honore columbas
agrestes. Gens hæc hiemis sit nuntia, & æstus.

Quòd denique columbæ olim inter illas aves, quæ regiis auspiciis subservire credebantur, numeratæ sint, idipsum ex multis patet historiis. Præter cætera notabile occurrit exemplum de Cæsare: cujus *Palmam* inter sylvas, quas cædebat, castris locum daturus, repertam, ac ut omen victoriæ ejus jussu conservatam, columbæ nidis frequentare solebant: quod planè insuetum, eóque maximè mirum videbatur. Sed linquentes Columbam Noë, videamus ipsam ejus Arcam, vel, si mavis, Argonavim.

XIX. ARGO-NAVIS; Das Stern-Schif / Jasons jacht-schif / der Kasten Noah;

Navis & *Celox Iasonis* sive *Iasonia fatidica*; *Argus*, meliùs *Argo*; *Carina Argoa*, item *Pegasea*: aliis *Equus Neptunius*; *&* Catullo *Currus volitans: Vehiculum Lunæ Ægyptiis*; recentioribus verò *Arca Noë*: Græcè Ἀργώ; Ναῦς, Atticè νεὼς, Polluci poëticè νηὺς, *navis*, πλοῖον; ὄχημα πελάγιον, & ἅρμα θαλάσσης, id est, *currus maris*; Polybio κέλης, *celox*, Thucydidi l. 4 κελήτιον, βάρις; Aristoteli ἐπακτροκέλης, *navigium prædatorium*: Ebraicè אֳנִי ; אֳנִיָּה ; סְפִינָה ; עֲבָרָה; Arabicè *Sephina*, & in feminino *Sephinaton*; quod & Syriacum est ex Ebraico desumtum:

juxta

uxta Iof. Scalig. *Merkeb.* Complectitur in globo noftro 70 ftellas, quarum lucidiffima, n memoriam Canobi, dicitur Κάνωβος, vulgò *Canopus*, Arabicè *Suhil*, *Sohel*, *Sihel*, vel *Sahil*, rectiùs tamen juxta Schikard. *Suhilon*, quod Canobi cognomen; five etiam, in memoriam Ptolemæi Lagidæ regis Ægypti, Πτολεμαῖος, vel πτολεμαῖον, Germanicè **der Schif-ftern.** Pererrat verò meridianum noftrum mediâ nocte cum fuperiore proræ parte, fub finem Ianuarii.

Poftellus numerat 45, *Schillerus* 58, *Bayerus verò* 63; *nempe unam primæ magnitudinis ad clavum navis five extremum remi* Canopum *dictam*; 7 *fecundæ*; 6 *tertiæ*; 24 *quartæ*; 21 *quintæ*; *&* 4 *fextæ*, *omnes ferè complexionem* ♄, *&* *parumper* ♃ *imitantes*.

Ἀργὼ, five *Argo navis*, quam omnium primam Oceanum vidiffe fabulantur, nomen accepiffe videtur, vel ab *Argo* ejus architecto five fabricatore; cujus mentionem ingerit Valerius Flaccus:

> --- *Ad charum Tritonia devolat* Argum:
> *moliri hunc puppem jubet, & demittere ferro*
> *robora, Peliacas etiam comes exit ad umbras.*

vel ab *Argivis*, id eft, *Græcis remigibus*: vel à *velocitate*; quia ἀργὸς Græcis eft *velox*: unde ἀργῆτες κεραυνοὶ, *velocia fulmina*, apud Ariftotelem de Mundo.

Hæc navis duo habebat gubernacula: ut omnes naves antiquitus habuiffe defcribit Ælianus l. 9, c. 40; & in vetuftioribus numifmatis etiamnum videre eft. Atque hinc dicitur ftella illa fulgida *Canopus*, five, ut antea vocabatur *Canobus*, confiftere in temone five gubernaculo auftrali. Hæc autem ftella æquè ac *Canopus* Ægypti oppidum, nomen videtur accepiffe à *Canobo Lacone Amyclæo* Menelai regis Trojæ navium gubernatore, paulò poft bellum Trojanum in Deos relato: quem etiam in illo oppido afpide exftinctum, ac terræ mandatum teftatur Sulpitius; uti & Strabo l. 17, ac Tacitus An-

 nal.

nal. 2. De cujus fano, quod à dicto Menelao, cui, uti fidus, ita admodum charus erat, juxta ostium Nili Canobicum accepisse fertur, vide Eustathium ad hunc Dionysii versum:

Καὶ τέμενος περίπυστον Ἀμυκλαιοῖο Κανώβου.

Et delubrum celeberrimum Amiclæi Canobi.

Quia verò nauclerus fuerat, eum ut Deum aquarum colebant Ægyptii: imò & Neptunum, teste Stephano in Κάνωβος, vocabant. Quomodo fraude sacerdotis Ægyptii superârit Ignem, Deum Chaldæorum, narrat Rufinus Histor. Eccles. l. 2, c. 26, & Suidas in Κάνωπος. Quam rem fusissimè quoque pertractat Pet. Crinitus in 11 de honesta disciplina. Canopum verò aquæ fuisse numen præterea ex hoc cognoscitur, quòd ejus symbolum videatur esse hydria: & quòd sacris Ægyptiorum urnulis sive hydriis, teste Apuleio in ultimo Milesiarum, *ansa adhæserit, quam contorto nodulo supersedebat aspis squameæ cervicis stricto tumore sublimis.* Quod inde esse putârim: quia Canopus aspide, ut modo diximus, enecatus fuit. Sed hunc Deum Menelai gubernatorem fuisse negat Aristides oratione de causis Nili crescentis. Vbi postquam dixisset Hecatæum falsò rumore nixum scribere, quòd Canopus Menelai fuerit Archinauclerus, statim subnectit: *Audivi in ipsa Canobi urbe ex Sacerdote non infimæ conditionis, multis ante seculis, quàm eò veniret Menelaus, locum hoc nomen habuisse. Nec tamen, ajebat, disertè ac totidem literis sic nomen id perscripsisse Ægyptios: sed sic, ut vicinum esset, & quasi alluderet. Ægyptium verò illud difficilius exarari: nostrâ autem linguâ significare Aureum solum.* Quid de hac Aristidis sententia censendum, quam fovit persuasus à sacerdote Ægyptio, ac eo tempore, quo sub M. Antonino Cæsare religio Christiana maxima per Ægyptum capiebat incrementa, ex iis satis dilucidè discimus, quæ maximus Vossius Theologiæ gentilis l. 1, c. 31, in eum locum annotavit. Ex eo autem, quod idem Aristides ex ore memorati sacerdotis dixit, Canobum significare *aureum solum*, facili negotio cognoscimus, cur

stella

ſtella Canobus alio nomine dicatur *Terreſtris*, & *Ponderoſa*: quam, quia humillima, & circa terram appareat, ſic apellari aliis videtur. Et de hac ſtella ſic ſcribit R. Abrahamus Aben-Eſra in ſuo Peruſch in cap. 5 Amos: *Eſt propè polum auſtralem ſtella quædam magna & rutila, quæ linguâ Iſmaëlitarum vocatur* Sahil; *& ſunt ſtellæ minores ipſi vicinæ, quæ cernuntur aliquando, ſi quis proficiſcatur verſus Æquinoctialem: at ſeptentrionales non vident ullam ex iis. Propterea nominavit eas Sacra Scriptura* Cadie-Theman, *id eſt, penetralia vel interiora Auſtri.* Itaque videtur illa ſtella per totam Africam, Ægyptum, Arabiam, Syriam, Babyloniam; ſcilicet ubi poli Arctici altitudo non excedit gradum trigeſimum nonum. Nec mirum, quòd Canopus in Taprobana Indici maris Inſula conſpici poſſit: ut teſtatur Plinius l. 6, c. 22. Sed redeamus ad ipſam navem. Argo, ſive navis Argoa, vel Argiva, à nautis Argivis ſic appellata, exſtructa fertur conſilio Palladis, ut ex Val. Flacco vidimus, ad Pelium montem, unde quoque *Pelias* dicta, in loco quodam Theſſaliæ ab Iolco viginti ſtadiis diſtante; quem ἀπὸ τῦ πήγνυσθαι, hoc eſt, à *compingendo*, ſcilicet quod navis ibi compacta eſſet, teſte Strabone l. 9, *Pegaſam*, vel *Pagaſam*, uti ab hoc ipſam navem *Pegaſeam*, imò ipſum Iaſonem *Pegaſæum* nuncupârunt. Conſilium autem Palladis, unde & navis *Tritonia*, & *Tritonis* audit, hîc interpretor ſtudium Architecti, qui aſſeres clavis validiſſimis compegit, licet Pelias tyrannus tenuiſſimis, ut eò citiùs periret, id fieri mandâſſet; quemadmodum ex Demageto conſtat. Similiter Malum navis, indicio Palladis, è quercu Dodonea loquace cæſum interpretor: unde & ille Lycophroni λάλητρος κίσσα, hoc eſt, *pica garrula*, quin & ipſa navis, quam alii totam ex ejuſmodi arboribus fabrefactam ajunt, quò Argonautas in periculis conſilio juvaret, imó præmoneret, teſte Sophocle, *loquacula*, *fatidica*, & *futuri præſaga* vocatur. *Fatidicam ratem* dixit Valerius Flaccus Argonaut. l. 1:

Prima demum magnis canimus freta pervia nautis,
Fatidicamque ratem.

Et Claudianus *Tabulas loquaces*:

—— Licet omnia vates
in majus celebrata ferant, ipsamque secundis
Argois trabibus jactent sudâsse Minervam, &
arbore præsagâ tabulas animâsse loquaces.

Non defuerunt tamen, qui prodiderunt Glaucum Deum marinum, qui biduo comitatus sit navem, Argonautas præmonuisse, ac, ut Diis, quàm primum terram attigissent, sacra facerent, hortatum; imò Herculi suos labores, ac immortalitatem, uti & Dioscuris divinos honores, vaticinatum esse. Arbores autem silvæ Dodonææ juxta urbem Dodonam in Chaonia sitæ, ob insidentes quercubus columbas, sive, ut verior habet historia, mulieres fatidicas, aut divinatrices, quas Thessali linguâ suâ πελείαδας, hoc est, *columbas*, vocârunt, loquaces fuisse, imò oracula consulentibus reddidisse finguntur. Quod itidem ob templum Iovis Dodonæi vetustissimo oraculo in eadem silva celebre factum suspicari potest.

Porrò hanc navem oblongam fuisse, imò ejusmodi navium primam, qua Iason ausus sit ventorum minas contemnere, & ad longinquas regiones transfretare, prodidere Philostephanus, & Ovidius Tristium l. 3, eleg. 9.

Nam rate, quæ curâ pugnacis facta Minervæ,
per non tentatas prima cucurrit aquas, &c.

item Metamorph. l. 5:

Vellera cum Minyis nitido radiantia villo
per mare non notum primâ *petiere* carina.

Vbi vocabulo *Minyis* intelligit Argonautas à Mynia Martis, teste Dionysio Thrace, sive, ut Aristodemus & alii volunt, Alei filio sic dictos. Sed Egesias hoc tribuit Parrhalo, Ctesias Samiræ, Stephanus Semiramidi, Archemachus Ægeoni, alii Dauno, cùm eum Ægyptus insequeretur: unde & navis nomen *Daunias*.

Quin & utrinque triginta remigum sedes habuisse innuit Theocritus; qui eam in Hyla τριακοντάζυγον

Ἀργὼ vocavit. Archinauclerus erat Tiphys, qui, Senecâ teste in Medea,

---- ausus pandere vasto
carbasa ponto, legesque novas scribere ventis.

Vnde Ovidius de Arte amandi l. 1.

Tiphys in Æmonia puppe magister *erat.*

Vbi Argo navim *Æmoniam* vocat, quia in Æmonia, quæ eadem ac *Thessalia*, ædificabatur. Item in Epistolis:

Quid mihi cum Minyis, quid cum Tritonide *pinu?*
Quid tibi cum patria, navita Typhi, *mea?*

& Virgilius Eclog. 4:

Alter erit tum Tiphys; *& altera, quæ vehat,* Argo,
delectos Heroas.

Sed princeps Heroum, qui in Argonavi Iolco, regiâ Thessaliæ sede, Cholchos profecti dicuntur, erat Iason Æsonis Cretheo Æolide, & Thyrro Salmonei ex Alcidice filiâ prognati, atque hinc fratris Peliæ Thessaliæ regis filius: cujus matrem Herodotus nominat Polymedam, ubi alii Polyphemam legunt, filiam Autolyci; Pherecydes Alcimeden Phylaco prognatam; Andron Theogneten Laodici filiam; Stesichorus Eteoclimenen; Demetrius Scepsius Rhœo, vel, ut alii legunt, Rhio; quæ nomina ferè omnia *consilium* significant. Is autem Cretheus, cui quoque Neptuni nomen indiderunt, fuerat Æoli Iove prognati filius, ac frater Salmonei: cujus filiam Thyrro apud se educatam, cùm compressisset, ex ea Peliam & Neleum geminos, ac postea quoque, ubi Iolcum condidisset, Æsonem, Amithaonem, ac Pheretem suscepit. Ex his major natu Pelias, ubi Patri Cretheo successerat, ac Iolci imperaret, responsum tulit ab oraculo, *se à quopiam ex Æoli posteris interemtum iri.* Vt igitur omnes Æolidæ è medio tollerentur, Pelias in animum induxit etiam Iasonem fratris Æsonis filium, scilicet ab Æolo oriundum, adhuc infantem occidere. Verùm Iasonis propinqui eum in arca clausum tanquam mortuum noctu extulerunt, ac in Chironis antrum portârunt: qui

eum non solùm educavit, sed etiam in medicina, hoc est, ut ego censeo, in arte medendi morbos potiùs animi, quàm corporis instruxit: unde & postea nomen Iasonis, qui antea Diomedes dicebatur, nempe ab *ἴασις*, id est, *sanatio, medela*, obtinuisse videtur. Cùm adolevisset Iason, antrum illud pariter ac disciplinam Chironis reliquit, & aratorem se præbuit apud fluvium Anaurum; ut proditum Apollonio in Argonauticis. Interea Peliæ adhuc aliud oraculi responsum obtigit: nempe *ut sibi caveret ab illo, quem altero pede nudo vidisset.* Et postea Neptuno sacra instituens, cùm ad ea sacrificia omnes sibi sanguine junctos convocâsset, inter eos quoque adventantem vidit Iasonem; qui trajiciendo Anauro fluvio alterum calceum in limo amiserat; atque sic à Pelia pede altero denudato visus, & interrogatus, *quid facturus sit, si quando responsum tulisset, se à quopiam occisum iri*, ex Iunonis consilio retulit: *Illum ad recuperandum aureum vellus mitterem.*

Illud autem Aureum vellus à Mythologis dicitur fuisse pellis aurea illius Arietis, quem Phrixum in Colchidem portâsse supra vidimus ad Signum Arietis. Quamquam Plutarchus censuerit non vellus aureum fuisse; sed venas auri metallicas: & alii, lapidem Philosophorum, quemadmodum Chymici vocant; sive, ut mavult Suidas, Librum aureum ex arietum pellibus contextum de transmutatione corporum Chymicorum, & aurifaciundi ratione. Sanè Iustinus l. 42, ubi expeditionem Iasonis describit, fabulæ hujus de aureo vellere originem ex eo deducit, quòd Colchi aurum è fluminibus asseribus perforatis, ac lanosis pellibus excerpserint. Et Dercylus putavit Argonautas non aliâ re inductos Colchos navigâsse, quàm ut Scytharum opulentiam diriperent. Quæ nulla alia fuisse existimatur, quàm aurum illud, quod non procul à Caucaso monte quidam torrentes ferebant, ac perforatis tabulis & lanosis pellibus Scythis excipere mos fuit; ut Straboni traditum l. 2. Colchi enim ex Ægyptorum Colonia non procul ab Abasgis sive Massagetis

tis juxta Phasin fluvium in parte Asiæ habitantes, etiam Scythæ dicebantur ; uti & Asiani , Leuco-Syri, ac, teste Isacio, Lazi. Atque hæc Scythia, cujus partem Colchi incolebant, ab illa Europæ Mæotidi & Tanai finitima longè diversa est.

Itaque Pelias ipsum Iasonem, juxta responsum ejus, mandavit ad recuperandum Aureum vellus, hac imprimis intentione, ut eâ occasione interficeretur, ac, uti valdè timebat, se ex responso oraculi interfecto, filio Acasto regnum præripere non posset. Alii tamen, inter quos est Hecatæus, commemorant Iasonem ipsum ingenti magnatum Thessaliæ catervâ stipatum regem adiisse; ac majorum suorum regnum repetens, à Pelia responsum tulisse; se illi redditurum regnum, si priùs in Colchidem abiret, Phrixique animam ter, ut legitimum esset, advocaret, ac vellus aureum recuperaret. Imò his expeditis, se seniorem illi juveni regni onus concessurum.

Atque sic hisce legibus acceptis, vel suâ sponte, ac gloriæ desiderio, ut Diodoro placuit l. 4, incitatus Iason, cum comitibus suis, quos ex primoribus vicinarum regionum huic expeditioni participes fieri cupientibus elegerat, navem illam invisæ ante hac, ac inauditæ magnitudinis conscendit, & quo tempore Pleiades ortu suo matutino veris adventum annunciare solent, à littore solvit. Numerus verò Heroum, qui cum Iasone in Colchidem profecti sunt, valdè varius ac incertus est. Quidam enim numerant quinquaginta duos, alii quinquaginta sex; & huic numero alii addunt, alii demunt. Tamen de numero Vatum, quos secum habuerunt, certò constat tres fuisse: nempe *Mopsum* Ampycis filium, qui in reditu juxta Corcyram mortuus est, *Idmonem* Abantis, & *Amphiaraum* Oilei.

Omnium verò nomina, quæ à Sophocle in actu Lemniadibus inscripto, & Æschylo in Ciberis recensentur, sunt hæc: *Acastus*, *Admetus*, *Æthalides*, *Amphidamas*, *Amphion*, *Ancæus* Neptuno prognatus,

Argeus,

Argeus, *Argus*, *Asterion*, *Asterius*, *Augias* Sulis filius, *Bianus*, *Butes*, *Calais*, Phrenetici Boreæ sive Septentrionis filius, de quo Propertius l. 2:

Hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles;
hunc super & Zethes, *hunc super* & Calais.

Porrò *Calaus*, *Canthus*, *Castor*, de quo egimus in Signo Geminorum, *Cepheus*, *Clitius*, *Coronus*, *Echion*, *Erginus*, *Eribores*, *Erydamas*, *Euritiom*, *Euritus*, *Hercules Thebanus*, de quo vidimus in suo Signo, *Hylas* Herculis hujus, teste Anticlide l. 2 Rer. Deliacar. filius, vel, ut aliis magis placet, catamitus; qui ab Argonautis antequàm Colchos ventum erat, aquatum missus, non reversus est: *Iason* ipse expeditionis princeps, *Idas*, *Idmon*, *Iphiclus* Æsonis filius, *Iphiclus Testiades*, *Iphitus* Eurito prognatus, *Iphitus Phocensis*, *Laocoon*, *Leodocus*, *Lynceus*, *Meleager*, *Mopsus* vates, *Nauplias* vel *Nauplius*, *Odeus*, *Oenides*, *Oileus*, *Orpheus*, *Palæmonius*, *Peleus*, *Phaletus*, *Pollux* modo dicti Castoris frater, *Polyphemus*, *Tenaræus*, *Talaus*, *Telamon*, *Tiphys* Archinauclerus, *Zetes* Boreæ filius.

Sed Herodotus & Herculem, & alios quosdam Heroas exemit ex Argonautarum numero. Et Dionysius Mitylenæus inficiatur Herculem in Colchidem suscepisse navigationem, imò negat illum opem tulisse Iasoni in iis, quæ tractavit cum Medea. Plerique tamen affirmant illum expeditionem Colchicam unà suscepisse; sed postea, cum Hylam aquatum à se missum, ac diutiùs emanentem requirens, in Cium usque excurrisset, ab Argonautis inibi relictum fuisse. Hylam enim Thiodamantis filium, patre Herculem armatâ Driopensium manu incessente trucidato, in servitutem, Pherecyde l. 3 teste, rapuit, ac in summis deliciis habuit. Hesiodus verò in Ceycis nuptiis prodidit, Herculem ipsum aquatum exiisse in Magnesiam juxta Aphetas: quæ sic dictæ videntur, quòd ibi relictus sit. Imò alii scribunt illum ab Argonautis, ubi primùm in Mysim venerint, quòd suum fregisset remum, secessisse, ut sibi alium in proxima silva compararet.

Atque

Atque ibi relictum tradunt quidam à sociis, ob Hylæ casum; alii ob imperitiam remigandi, ne omnes remos frangeret; sive etiam ob ejus ingluviem & voracitatem, ne universam navis annonam brevi absumeret; sive propter pondus, cùm navis inflecteretur, ubi ille constitisset, imò ferè demergeretur; sive potiùs propter invidiam, ne cæterorum virtus per præstantiam virtutis Herculeæ obnubilaretur, aut prorsus deleretur. Sed Ephorus l. 5 prodidit Herculem spontè mansisse in Lydorum regione Omphales causâ.

Præter hos modò nominatos Argonautas alii adhuc plures nominant: ut *Actotidem, Actorionem, Æsculapium*, de quo diximus supra in Signo Ophiuchi; *Alaum, Amphiarum* vatem, *Amphytstecum, Autolycum, Buphagum, Ceneum, Deileonem, Deucalionem*, de quo paucis egimus in Signo Columbæ, *Euphemum, Iphim, Iphidamantem, Mænetium, Nestorem, Philoctetem, Phliantem, Phlogium, Theseum, Tideum.* Videatur & Valer. Flaccus, qui multos seriatim enumerat. Omnium autem præstantissimus fuisse videtur *Iason*; quippe quem Xenophon l. 6 de rebus Græcis, his verbis commendat: *Cautus adeò dux est, ut, cum fallere hostes, aut antevertere, aut vi adoriri instituit, haud unquam ferè frustretur. Noctu ac diu juxta paratus, ne tùm quidem, cùm convivium agitat, otiosus. Nec antea conquiescit, quàm eò, quò tendit, pervenerit, quamque effecerit, quæ ex usu sunt. Ad eundem modum & milites assuefacit, quibus & prolixè indulget, ubi facinus aliquod egregium fecerunt, estque persuasum omnibus, qui apud eum stipendia merent, voluptatem atque otium labore parari. Ipse omnium, quos novi, parcissimè voluptatibus fruitur: quare nec hæc morantur, quò minùs rectè res gerat.*

Atque sic hisce stipatus Heroibus Iason navigationem suam aggressus est. Et præternavigatis, visisque multis regionibus, cùm ad Syrtem Libyæ applicuisset, templum condidit: quod Herculi postea consecrabatur, quia in certaminibus ab Argonautis ibi celebratis, victor extiterat. Ab eo loco, cùm ob Syrtium multitudinem

tudinem navigare non possent, Argonavim super humeros duodecim dierum itinere per Libyæ desertum bajulâsse dicuntur: ut traditum in Argonautic. Apollonio, qui res ab Argonautis in itinere gestas, ac omnes eorum labores diligenter annotavit. Vbi rursus invento mari ad navigandum apto, naveque dejectâ, navigationem suam continuârunt: atque sic, superatis tot difficultatibus, quæ illis utpote navigandi imperitis, ferè insuperabiles videbantur, tandem Colchis incolumes appulerunt.

Huc delatus Iason, & à Phrixi filiis perbenignè acceptus, cum illis protinus ad Regem Colchorum Æetam tendebat suæ legationis causam explicaturus. Hic Iasonem sociatis primis sermonibus comiter appellare visus, at postea, cùm ille Aureum vellus nomine Peliæ, cujus id antea fuisse dicebat, sed dolo ei surreptum, repeteret, indignabundus respondisse fertur; *se petitioni ejus tum demum concessurum, cùm tauros suos æripedes, ignem naribus efflantes domuisset, ac draconis ejus Velleris custodis dentes adamantino usus aratro seminâsset, nascentesque ex illis homines armatos trucidâsset.* Sed hos dentes alii ipsi Æetæ tribuunt à Minerva, hoc est, prudentia donatos, æquè ac olim Cadmo Thebano. Quippe cauto, ac prudenti consilio inductus, Aureum vellus, sive thesaurum suum custodibus pervigilibus, ac armatis, veluti dentibus alios subinde gignentibus, undique versum sepserat. Et per *Tauros æripedes ignem naribus spirantes*, imò ipsum *Draconem insomnem, ac dentibus armatum*, nihil aliud intelligi posse censeo, quàm custodias illas è *Taurica* regione accitas, ac pilatas, ferreâque armaturâ indutas. Nam Æeta, postquam ex oraculo intellexerat, *sibi tunc esse pereundum, cùm advena quidam Aureum vellus abstulisset*, militibus Tauris, quos ex Taurica regione accerserat, utpote ferocissimis, ac truculentissimis, illud in custodiam tradidisse fertur. Sanè Tauros illos, non boves ignivomos, sed homines sævos in Taurica natos fuisse, ex eo quoque liquet, quòd Medea Æetæ filia, cùm

noctu

noctu ad portam clausam venisset, custodias illas alloquens, idiomate Taurico usa dicatur.

Medea autem, cujus, uti & patris Æetæ, gesta aliquantisper attigimus in Signo Arietis & Eridani, cùm patris nimiam crudelitatem in peregrinos non solùm detestaretur, sed horum etiam salutis valdè studiosa esset, mandato paterno in custodiam tradita, verùm paullò ante adventum Iasonis inde elapsa, in Sacrum Solis locum ad mare confugerat. Atque hinc egressa, accedentibus Argonautis ingentia illa pericula, quæ exteris Aureum vellus petentibus proponerentur, pariter ac patris crudelitatem, qui omnes hospites per insidias mactare soleret, aperuit; imò non solùm aperuit, sed etiam superare docuit. Quippe Iasonis amore capta, & ejus datâ sibi fide matrimoniali jam securior, ac ardentior reddita, consilio illi, pariter ac magicis artibus, quibus, æquè ac soror Circe, à matre Hecate, teste Apollonio l. 3, imbuta erat, suppetias tulit. Ac primò quidem Iasoni unguentum dedit, ut eo unctus, ignem taurorum illuderet. Deinde illum instruxit, ne adverso vento araret, qui flammarum vim in ipsum aratorem propellere posset: neque inciperet sulcum more arantium ab eodem fine, sed tolleret aratrum. Sic μυθολογικῶς ea narratur historia. Sed Plutarchus censet Argonautas, quòd Herculem ex invidiâ parvi fecerint, coactos fuisse supplices fieri mulierculæ, ut ejus auxilio Aurei velleris possessores evaderent. Quidam quoque addunt, Medeam ipsam, Dracone per pharmaca quædam sopito, Aureum vellus noctu ex luco Martis rapuisse, ac ad navem detulisse; ut Dionysius Milesius refert. Et Antimachus memorat Argon. l. 3, Iasonem unà cum Medea in illud nemus consecratum clam contendisse. Alii addunt, Medeam sermone Taurico allocutum fuisse custodes; qui portam illi, tanquam regis filiæ, statim aperuerint. Tum irrupisse Argonautas strictis gladiis, ac trucidatis multis barbaris, cæteris in fugam versis, pellem abstulisse.

Posthæc

Posthæc Æeta collectâ magnâ ſuorum manu cum Argonautis adhuc in littore morantibus, ut ex Dionyſio Mileſio conſtat, conflixiſſe fertur. Vbi multi vulnerati, Abſyrtus, de quo vidimus in Signo Eridani, captus, Iphithus cæſus, ac ipſe rex, quod alii tamen negant, occubuerit. Argonautas verò, cum illam tantam impetuoſam armatorum multitudinem ampliùs ſuſtinere haud potuerint, navem repetiiſſe, ac raptâ Medeâ, pelleque aureâ, fugam noctu cæpiſſe. Quamquam nonnulli dicant, Colchos virtute Argonautarum penitus in fugam verſos; unde regem irâ commotum, convocatis noctu regni ſenatoribus, conſilium cæpiſſe de comburenda noctu navi, & Argonautis trucidandis. Sed Medeam, cùm id cognoviſſet, eâdem nocte fugiſſe ad Argonautas; illiſque conſilium paternum indicâſſe. Imò alii tradunt, Æetam poſt ſuperata Aurei velleris pericula, Argonautas omnes ad opiparè paratum convivium invitâſſe, eâ intentione, ut eos menſæ accumbentes conficeret. Tum verò Medeam, partim atrocitate conſilii commotam, partim amore Iaſonis allectam, Argonautis & hoc ante aperuiſſe, quàm ad convivium venerant: atque ſic illos arreptâ ſecum Medeâ inſidiarum indice, aufugiſſe. Sed conſilium hoc de arripienda fuga Idmon Poëta Græcus, Venerem Iaſoni ſuggeſſiſſe ſcribit: Sic quoque eandem Æetæ excitâſſe libidinem cum uxore Eurylyte eâdem nocte, qua conſilium de comburenda navi erat explicandum, congrediendi, ut Iaſon eò tutiùs aufugere potuerit, teſtatur Dionyſius in Argonauticis. Similiter & Veneri, quòd Iaſon Medeam duxerit, attribuit verſus ille ſtatuæ Iaſonis & Medeæ inſcriptus, apud Pauſaniam in Eliacis:

Μήδειαν Ἴασων γαμέει· κέλεται δ᾽ Ἀφροδίτα.

Medeam ducit Iaſon: Venus aurea mandat.

Et Iaſonem ab ipſo Æeta Medeam in matrimonium accepiſſe, remque cum illa in Colchide habuiſſe, ſcribit Timonax Rer. Sicul. l. 1. Vnde & in ea regione horti quidam oſtendebantur, Iaſonii dicti, quòd Iaſon

Iaſon eo in loco primùm è nave egreſſus ſit; ac in iis diſci, & gymnaſia, cum thalamo Medeæ, in quo Iaſoni data dicebatur nuptui. Sed alii ſcribunt nuptias has Corcyræ, quæ tunc temporis *Drepanum* vocabatur, in reditu celebratas fuiſſe; ipſamque Areten reginam, Alcinoi Phæaciæ regis uxorem, Iaſoni Medeam junxiſſe, ac ſponſæ duodecim pediſſequas tradidiſſe. Hoc quoque teſtatur Timæus Rer. Italic. l. 2: ubi inter alia narrat Medeam poſt nuptias, Apollini fanum Corcyræ proximum, cum duabus aris, alterâ Nympharum, altera Nereidum, in perpetuam nuptiarum illarum memoriam, haud procul à mari exſtruxiſſe, ac in eo fano primùm ſacrificâſſe: imo addit, annua in illo ſacello ſacrificia ad ſuam uſque ætatem celebrari conſueviſſe.

Colchis enim Argonautas, juſſu regis, huc uſque inſequentibus, Iaſon cum Medea ad memoratum Alcinoum confugere cogebatur. Qui non tantùm Colchis Medeam repetentibus reſpondit, ſe illam traditurum, ſi adhuc virgo eſſet, ſi verò Iaſonis uxorem eſſe intellexerit, tum minimè impediturum, ut uxor maritum jure ſequatur: ſed etiam effecit, ut illâ ipsâ nocte ſolennitas nuptiarum celebraretur. Atque ſic Colchi illi, cùm vererentur re infectâ ad Æetam reverti, decreverunt partim juxta Ceraunia, partim in ſinu Illyrico, partim in inſulis, quæ Abſyrtides dicebantur, ſedes ac manſiones ſuas eligere. Iaſon verò poſt tot tantoſque labores exantlatos tandem in patriam incolumis rediit: unde ante duos menſes, quod vix crediderim, niſi menſes eorum, qui hoc tradiderunt, longius ſpatium expleverint, quàm noſtri, ſolviſſe dicitur.

Sed paullò ante reditum, rumore Iolci exorto, quòd omnes Argonautæ periiſſent, Pelias arreptâ opportunitate, omnes, qui ad regnum aſpirare poterant, obtruncâſſe fertur; imò ipſum fratrem Æſonem taurinum ſanguinem inter ſacrificia bibere coëgiſſe. Qua de cauſa Iaſon, ubi noctu in ſinum Theſſaliæ Iolco vicinum applicuerat, ac omnia ea per exploratores cog-

noverat, consilium auxiliumque optimatum, ac Argonautarum clam expetivit. Vbi propositis variis sententiis, cùm non appareret à quinquaginta & tribus saltem heroibus, tot enim vulgò numerantur qui reduces erant, urbem adeò populosam & amplam capi posse; Medea ultionem per insidias, ac occulta pharmaca tutiorem sibi poposcit.

Atque sic confecit idolum Dianæ omnis generis pharmacis repletum; suosque crines ter inungens, canos reddidit, faciem quoque ac corpus rugosum; ut omnibus propè silicernium edentulum videretur. Hoc habitu, cum Dea illa, summo mane irrupit in urbem tanquam numine afflata, populumque ad novum spectaculum convolantem impulit, ut Deam urbi, & regi propitiam ex Hyperboreis adventantem reverenter exciperent. Post hæc in regium tendebat palatium: ubi ab omnibus cum maxima reverentia, pariter ac in civitate, excepta, Peliæ, ac filiis ejus egregiè imposuit, dum persuasit se à Dea missam, ut regem senescentem juventuti restitueret, imò multa alia felicitatem, & pietatem ejus spectantia largiretur. Quin &, ut fidem dictis suis eo magis adhiberent, finxit quædam simulachra, quibus appareret Diana ex Hyperboreis per aëra draconibus vecta, se in Peliæ recipere domicilium. Ac hoc invento, cùm supra mortalium captum videretur, effecit, ut Pelias omninò credens felicitatem à Dea sibi datum iri, jusserit omnia exequi, quæcunque illa diceret, ac filiis quidem solis, cùm minimè conveniret, ut munera Deorum regi per manus serviles exhiberentur.

Sed cùm Peliâ jam dormiente, verba Medeæ dicentis, ut corpus eus in lebete coquerent, à filiis regiis ægrè admitterentur, additum est experimentum arietis in agnum eâdem arte conversi. Is enim membratim discerptus, & coctus cum quibusdam herbis, revixit, ac balare & saltare, tanquam juvenculus, præ gaudio visus est. His itaque perceptis, virgines regiæ ad credulitatem inductæ, ac ad preces paternas jam ex-

surdatæ

ſurdatæ ſolâ Alceſti exceptâ, regem in fruſtra diſſecuerunt. Tum Medea, prius quam coqueretur, ſacra quædam Dianæ, ſive Lunæ facienda eſſe dixit; juſſitque, ut filiæ cum accenſis lampadibus in palatii tectum aſcenderent, ubi ipſa Colchico idiomate preces quaſdam ad Lunam fuſura ſit. Lampadum autem ea incenſio ſuper regiam ſignum erat Argonautis, prout conventum, rei jam peractæ. Itaque illi cæſum eſſe regem rati, protinus accurrebant, ſtrictiſque gladiis urbem ingreſſi, regias cuſtodias ſibi reſiſtentes proſtraverunt. Filias verò regias, quæ ad coquendum patrem jam deſcenderant, cùm neque cognitam fraudem ulciſci, neque regiam armatis jam plenam defendere valerent, admodùm humaniter excepit Iaſon; dixitque ſe ſcire illas à parricidio eſſe immunes, cùm ſpe felicitatis patrem confeciſſent. Quin & eaſdem primariis regni proceribus, nempe Andræmoni Amphinonem, Admeto Alceſtim, Theſſalo regi Cariæ Phocenſium Evadnen, in matrimonium dedit: ac fratri Acaſto Peliæ filio regnum paternum conceſſit.

Verùm alii, inter quos eſt Polycrates Samius, tradiderunt Medeam ſimulato Iaſonis odio, quaſi ab eo ſperneretur, confugiſſe ad Peliæ filias; idque eo conſilio factum, ut & cædem propinquorum Iaſonis vindicaret, & ipſi Iaſoni viam ad regnum aperiret. Et filias, quæ patrem ab illis perſuaſum, ac diſſectum coquendo juventuti reſtituere voluiſſent, nominant Aſteropeam, & Autonoën. Qua de re Ovidius in Medea inter alia ſic ſcribit:

Quid referam Peliæ natas pietate nocentes,
cæſaque virgineâ membra paterna manu?

Poſt hæc Iaſon in Iſthmum profectus, peractis inibi ſolennibus ſacris, Argonavem Neptuno conſecrâſſe dicitur: quamquam alii maluerint Palladi: quæ poſtea eandem, cùm tot Deos ſervâſſet, inter ſidera collocârit. Collocata autem inibi conſpicitur verſo ordine, ita ut, prorâ latente, à puppi, atque adeo apluſtri ipſo oriatur: cujus ſummitas χηνίσκος dicta, ab

 anſeris

anseris rostro, uti visitur in numismatis Romanis; ne intelligas τὸ ἔμβολον τῆς πρώρας. Vnde Cicero Aratæa vertens:

At canis ad caudam serpens prælabitur Argo,
conversam præ se portans cum lumine puppim;
non aliæ naves ut in alto pandere proras
ante solent, rostro Neptunia prata secantes:
sed conversa retro cœli semper loca portat.
Sicut, cum cœptant tutos contingere portus,
obvertunt navem magno cum pondere nautæ,
adversamque trahunt optata ad littora puppim:
sic conversa vetus super æthera vertitur Argo,
atque usque à prora ad cœlum, sine lumine, malum,
à malo ad puppim, cum lumine, clara videtur.

Hoc Græcis dicitur πρύμναν κρούσασθαι, Latinis *remos inhibere*; quod fit, quando nautæ mutato situ in puppim navem aversam impellunt, non, ut antea, in proram; ut Ios. Scaliger inquit. Hinc Lucanus l. 3:

— Ast aliæ mutato remige puppes
victores vexere suos.

& Silius l. 2:

Converso Tyrios petierunt remige patres.

Quòd autem Manilius Astron. l. 5, scribit, *Arietem* in cœlo *Argonavi vicinum* esse, ac navem Ægyptiis oriri *in quarta Arietis parte*, pro quo Firmicus, qui tamen Manilium videtur exscripsisse, *in decima* posuit; id arguit imperitiam τῆς ἀστροθεσίας, pariter ac utriusque in Astrologia negligentiam. Verba ejus sunt hæc:

Vir gregis, & Ponti vector, cui parte relictâ
nomen onusque dedit, nec pelle immunis ab ipsa:
Colchidis & magicas artes qui vertere Iolcho
Medeam jussit, movitque venena per orbem,
nunc quoque vicinam puppim, ceu naviget, Argo
à dextri lateris ducit regione per astra.
Sed cùm prima suos puppis consurgit in ignes,
quattuor in partes cùm Corniger extulit ora,
illo quisquis erit terris oriente creatus,
rector erit puppis, &c.

Hîc

Hîc unà innuit, Medeam mutâsse Colchon Iolcho, propter Aureum vellus ejus auxilio ablatum; ac portâsse magicas artes in Thessaliam: at non herbas; ut videre est ex Lucani l. 6:

---- & terris hospita Colchis

legit in Æmoniis, quas non advexerat, herbas.

Hinc & Colchos, & Iolchos urbes magicis artibus claræ. Quippe Medea Iolchi non tantùm Æsonem Iasonis patrem, ut ex Poëta Græco, qui Reditus composuit, constat; sed & ipsum Iasonem jam senescentem iis artibus, Pherecyde, Simonide, & Lycophrone testibus, juventuti restituisse dicitur. Quod à quibusdam interpretatur, Medeam etiam senes in sui amorem artificiosè attraxisse, atque ita effecisse, ut tanquam juvenes imprudentes ac impudentes evaserint: unde & nomen *Medeæ* acceperit. Quò respexisse videtur Diphilus, cùm scribit:

---- Medea vocata est

illa, veneficii quòd fraudes repperit omnes.

Quamquam aliis videatur hoc nomen esse à μῆδος, hoc est, *consilium*: quòd ejus consilio Iason omnia pericula superâsset; ut ipsa Medea testatur apud Euripidem:

Servatus es per Me, velut sciunt, ratem
quicunque conscenderunt tecum Argoam: ubi
Tauris jubebaris jugum spirantibus
ignem imposuisse: seminare & horridi
dentes Draconis Vellus illud aureum
servantis, insomnisque; qui circumdat id
spiris. Ego occidi; Tibi lucem dedi
illam salubrem ----

Hinc quoque mater Medeæ dicta videtur *Idyia*, quasi εἰδυῖα, hoc est, *intelligens*, *sciens*: quia intelligentia sive scientia consilii mater est.

Sed Staphylus ac alii scribunt Iasonem Medeæ perfidià periisse. Hanc enim illi, nescio quo pacto persuâsisse, ut sub puppe Argonavis dormiret; quam ea sciverit brevi solutum iri: tum nave super Iasonem delapsâ, illum occisum esse. Quidam tamen memorant

Iasonem, impatientiâ doloris propter crematam Glaucam cum Creontis regia, sibi ipsi manus intulisse.

Iason enim in Creontis Corinthiorum regis gratiam admissus, non tantùm eam Corinthi authoritatem est consecutus, ut unà rempublicam gubernârit, quoad vixit; sed etiam ejus filiam Glaucam, quæ aliis Creusa dicitur, in matrimonium accepit, Medeâ repudiatâ. Quæ graviter id ferens, Glaucam cum Creonte, accenso palatio regio, combussit; imò proprios filios Mormorum, sive, ut alii scribunt, Merimnum, & Pheretem, quos ex Iasone, æquè ac Thessalum, & Alcimenen, susceperat, jugulavit, vel, ut quibusdam traditum, discerpsit; quò patrem, quem aliter ulcisci non posset, eo saltem dolore afficeret. Quamvis alii scripserint, Mormorum & Pheretem, quòd dona illa, quibus incensa sit regia, à matre missi, ad novam nuptam pertulerint, à Corinthiis lapidibus cæsos fuisse: quorum sepulchrum apud Odeum ostendi memorat Pausanias in Corinthiacis.

Ea autem dona fuisse feruntur, vel peplum venenis infectum à Medea; quem induens Glauca valido igne subitò correpta, licet ad ardorem extinguendum in fontem ab eo casu *Glauce* postea dictum, sese conjecerit, nihilominus conflagrârit; ut traditum Apollonio Biblioth. l. 1: vel scrinium aliquod peregrinum incluso igne inextinguibili; qui, aperto scrinio, tantâ violentiâ evolârit, ut totum palatium consumserit; quemadmodum testatur Dialochus in Cyzici eversione. Imò alii putârunt fuisse vestem, & coronam auream naphtâ, quæ à quibusdam πετρέλαιον, item Μηδείας ἔλαιον, Suida teste, dicitur, perunctas: quibus ignis flammam, sive solis calorem sentientibus, igne attracto ac concepto, Creon ac filiæ ejus, cum universâ regia, conflagraverint. Et Plutarchus scripsit in Alexandro, pharmacum illud, quo pallium, coronamque Medea perunxerit, præparatum fuisse ex bitumine quodam tenuissimo, quod magnâ copiâ nascatur apud Babylonios in Ecbaraneis; ac ejus sit naturæ, ut igne attracto

attracto medium aërem inflammet, & omnia, quæ vicina sint, absque ullo remedio comburat. De quo videatur & Plinius l. 2, c. 108; item Dioscorides l. 1, c. 102, ac Strabo l. 16.

Hoc verò Pharmacum, quia inventricem agnoscit Medeam, jure vocatur Græcis Μηδείας ἔλαιον, id est, *oleum* sive *unguentum Medeæ*, juxta Suidam; item *Ignis Medeæ*, Μηδείης Κολχίδος πῦρ, juxta Nicandrum in Alexipharmacis, ubi sic inquit:

> *Quod si Medeæ sumantur Cholchidis ignis*
> *pocula ephemeria, è labris pruritus in ossa*
> *cum sudore fluit, nullâ medicabilis arte.*

Pocula ephemerica dixit; quia pharmacum hoc, quo Medea non solùm vestes, aliasque res inungere, sed etiam pocula miscere, iisque sic vim ignis occultam includere solebat, à quibusdam *Ephemerion* nuncupatur. Et Demetrius Scepsius nomenclaturæ hujus rationem reddit: nempe quòd herbæ illæ, è quibus pharmacum hoc componitur, manè juxta Tanaim fluvium propullulent, circa meridiem in summo vigore conspiciantur, vesperi verò arescant. Alii aliam causam proferunt; scilicet quòd illi, qui hoc pharmaco usi sint, diutiùs, quàm unicum diem, vivere nequeant. Ejus antidotum tamen, sive ἀλεξιφάρμακον invenit Diphilus Siphnius: nempe lac bubulum, in quo folia quercus maduerint, haustum; aliaque ejusmodi, quæ Nicandri enarrator recensuit. Sed plura diximus de Medeâ in Tauro, Corona septentrionali, Hercule, Eridano, aliisque Signis: quæ vide; ut & Senecam Tragœdiographum, Æschylum in Bacchi nutricibus, aliosque, quos hîc adduximus, auctores.

Cæterùm præter Aureum vellus, quod Iason in patriam reversus, Diis dicâsse, aliis Peliæ regi obtulisse dicitur, etiam Avis Græcis ante ignota, quam à Phaside Colchidis fluvio *Phasianum*, sive *Phasidis avem* appellârunt, ex Cholchide in Græciam portata est. Vnde Martialis Epigram. l. 11, de ave hac loquens:

Argoâ primùm ſum deportata carinâ.
Ante mihi notum nil, niſi Phaſis, erat.

Et in hanc avem Ityn filium Terei regis Thracum, ut in Signo Geminorum quoque vidimus, converſum, cùm patri Tereo à Progne matre in epulum appoſitus fuiſſet, fabulatur Ovidius l. 6 Metamorphoſeos. Plura de hoc vide apud Aldrovandum l. 13 Ornithol. cap. 5.

Atque hæc eſt ſuccincta deſcriptio Argonavis: qua Iaſon vectus tanta edidit facinora, ut multis in locis divinos meruerit honores, imprimis autem Abderæ Thraciæ in Tejorum urbe maritima, Protagoræ ac Democriti patriâ: ubi Parmenio illi templum condidit magnifico opere & exciſis lapidibus exſtructum. Et ob eam cauſam navis ipſa à gentilibus in cœlum, uti diximus, collocata fuit. Quamquam Chriſtiani poſtmodum eam in *Arcam Noë* mutârint, quòd ille in ejuſmodi arca concamerata tempore diluvii generalis cum ſuis ſit conſervatus: ut legere eſt Geneſ. c. 6,7,8; item apud Nicephorum Hiſt. Eccleſiaſt. l. 19. Imò alii ſub hac nave intelligere maluerunt Eccleſiam militantem: in cujus recordationem primi Chriſtiani Navem etiam in annulo ſculptam, ut commune ſymbolum, geſtare jubebantur. Sic enim præcipit Clemens Alexandrinus Pædag. l. 3: Ἀι δὲ σφραγῖδες ἡμῖν ἔςων πελειὰς, ἡ ναῦς ἐρανοδρόμος, ἡ λύρα μυσικὴ κἂν ἀλιεύοντος Ἀποςόλυ μεμνήσεται. *Signa ſive inſignia veſtra ſint Columba, ſive Navis cœleſtis curſu in cœlum tendens, ſive Lyra Muſica, in recordationem Apoſtoli Piſcatoris.*

XX. CRUX; das Kreutz / der Kreutzgalgen / das Kreutz-geſtirn:

Arbor infelix; *Signum triunum*, *Nota Trinitatis*; Sceptrum Ieſu Chriſti, Signum filii hominis: Græcè ςαυρὸς *Crux*, τὸ σημεῖον τῆς παρυσίας τῦ Χριςῦ, ϗ τῆς συντελείας τῦ αἰῶνος, hoc eſt,

eſt, *ſignum adventus Filii hominis, & conſummationis ſeculi*, Matth. c. 24, v. 3; vel *τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου*, *Signum filii hominis*, ibid. v. 30: Ebraicè תו: Hiſpanis *el Cruzero*; Italis *Croce*; Gallis *Croix*. Continet quatuor ſtellas: & apparet Auſtralioribus in Meridiano circa finem Aprilis.

Recentiores quidam ex quatuor illis ſtellis, quæ Ptolemæo pedes Centauri conſtituunt, peculiare ſignum, nempe *Crucis*, formare ſolent. Sed in noſtro Globo inditum eſt id nomen quatuor aliis ſtellis; nempe his, quæ à polo meridionali 30 gradus diſtare, ac poſitu ſuo Crucis formam repræſentare videntur. Et de hoc Signo apud Ioſeph. de Acoſta Hiſpanum in Hiſtoria Indiarum naturali ſive morali hæc habes: *Verum eſt*, inquit, *quòd* Cruzero, *ibi* (verſus meridiem) *pulchri & admirabilis aſpectus eſt.* Cruzero *autem appello* 4 *notabiles ſtellas, quæ invicem Crucis formam habent, magnâ æqualitate & proportione ſic collocatæ. Ignari credunt, quod* Cruzero *ſit polus Meridiei, cùm videant nautas elevationem poli à* Cruzero *ſumere, ut verſus Boream ſit. Verùm decipiuntur. Ratio, ob quam nautæ hoc faciunt, eſt, quòd illâ in parte nulla fixa eſt, quæ ſic monſtret polum, ut ſtella ſeptentrionalis polaris. Vnde ſumunt altitudinem poli à ſtella, quæ eſt in pede, ſive infima parte* Cruzero: *quæ diſtat à vero & fixo polo* 30 *gradus; ſicut ſtella polaris Boreæ à polo ſuo diſtat tres gradus, & paullò plus*, &c.

Indidit autem huic conſtellationi nomen Crucis Chriſtianorum, ſive illi fuerint Hiſpani, ſive Luſitani verſus Meridiem navigantes, laudabilis pietas, ut hoc ſigno, tanquam hieroglyphico noſtræ redemptionis, conſpecto, nobis ſemper in memoria verſetur ipſe Redemptor, Aries ille noſter, ac Dux vitæ; qui pro nobis in cruce pendens, ſeipſum Patri ſuo in holocauſtum obtulit. Cujus typus ac ſymbolum erat Aries ille in virgulto Sabech pendens, ac pro Iſaaco ſacrificatus:

ficatus : de quo vidimus in Arietis Signo. *Sabech* verò, uti Septuaginta Seniores ediderunt, interpretatur *Remissio*; quia Crucis, ceu veræ remissionis virgulti, typus erat. Et sicut primis Ecclesiæ Christianæ temporibus in annulis, imò in cute, aut ipsâ carne inustum crucis signum, in perpetuam Christi crucifixi memoriam, portabant; ut Procopius ad illud Esa. c. 44, v. 5, *Iste dicet, Domini sum*, satis eruditè annotavit: ita & ejusmodi signum, stellis ipsis formam ejus jam ante constituentibus, in ipso cœlo Mathematicis suspensum videbatur, ad indigitandum *magnæ Unitatis*, hoc est, *Dei triuni* hieroglyphicum; quod Ægyptii per duas lineas transversas, vel alterâ in alteram perpendiculariter ductâ, in crucis modum compositas pingere solebant; sive ipsum *Crucis sacrosanctum mysterium*; quod eosdem per ejusmodi modò dictam figuram adumbrâsse auctores sunt Isidorus l. 1, Nicephorus Hist. Eccles. l. 21, c. 16, Sozomenus l. 7, c. 15, Origenes c. 3, Socrates l. 5, c. 17, Ruffinus l. 11, c. 29, Athanasius Kircherius in Oedipo Ægyptiaco, alii.

Sed non solùm stellatum hoc crucis signum nobis, uti diximus, ad recordationem ipsius Crucis, in qua Christus pependit, ac effuso sanguine suo peccata nostra expunxit, inter astra locatum videtur: verùm etiam typus est illius Crucis, quæ in novissimo apparebit die; uti *signum illud Filii hominis in cœlo appariturum* Matth. c. 24, v. 30, interpretantur plurimi Theologi non tantùm veteres, sed etiam recentiores. Quorum adhuc alias quatuor opiniones de hoc signo recenset Mich. Walterus Postillorum Evangel. pag. 21. & 22: ubi & Hunnium suspicatum esse ait, quòd signum illud futurum sit nova quædam stella, æquè ac illa, quæ Magis in Oriente, tempore prioris adventus Christi in carnem apparuerit. De Crucis vero tempore Iudicii apparitione sic scribit Ephræm Syrus: *Hæc* (crux) *rursus in secundo adventu Domini primò apparitura est in cœlo, tanquam pretiosum ac venerabile Sceptrum magni Regis Christi, juxta verbum Domini dicentis: Et apparebit Signum Filii hominis*

minis

minis in cœlo, cum multitudine exercitus Angelorum, universam terram illuminans à finibus usque ad fines, super claritatem Solis, adventumque Domini annuntians. Tunc, ut Thomæ à Kempis ex l. 2, c. 12, utar verbis, omnes servi Christi, qui se Crucifixo conformârunt in vita, ad Christum accedent Iudicem, cum magna fiducia.

Quòd autem per *signum* illud *Filii hominis* intelligi possit *Crux Christi*, sive *igneus quidam radius in modum Crucis formatus ex iride forsan prominens*, ut Patres quidam senserunt; illud quatuor imprimis niti videtur rationibus. Primò, quia vocatur σημεῖον τȣ̃ υἱȣ̃ τȣ̃ ἀνθρώπȣ, *Signum filii hominis*: quod nullum aliud esse videtur, quàm quod illum omni populo per universum orbem terrarum famigeratissimum reddidit; nempe CRUX. Secundò, quia Ecclesia Christiana ab ipsis ejus incunabulis ferè de Cruce canere consuevit: *Hoc signum erit in cœlo, cum Dominus ad judicandum venerit.* Tertiò, quia ita videtur convenire, ut in novissimo die Crux appareat, partim ad honorem crucis ac tribulationis, quam impii probro ac dedecori sibi esse censent; partim ad solatium filiorum Dei, quibus in eo apparebit singularis gratia crucifixi sui Salvatoris, non aliter ac olim Noë in iride illo pulchricolori fœdus Altissimi cum eo, ac omnibus ejus filiis sancitum; partim ad vindictam ac pœnam impiorum, tanquam hostium Crucis: partim ad gloriam & majestatem communis hominum Iudicis; quem præcessura est ejusmodi Crux, tanquam trophæum & insigne regium, quo de peccatis, maledictione Legis, ira Dei, imò de mundo, diabolo, morte, ac infernali damnatione triumphaturus est. Quartò, quia ejusdem Crucis quasi præludium aliquod Constantino Magno contra Maxentium, anno Christi 312, exercitum ducenti apparuit, cum hac epigraphe: ἐν τȣ́τῳ νίκα, *In hoc vinces*.

De hac autem Crucis apparitione Baronius in Annal. ad annum 312, sic scribit: *Cæterùm signum etiam sanctissimæ Crucis factum esse Constantino è cœlo conspicuum, cùm Scriptores omnes Christiani affirmant, tum omnium antiquissimus*

tiquissimus Eusebius, in re adeò mirifica recensenda, ipsiusmet Constantini hæc sibi jurejurando affirmantis fidem obligat: cùm (ut ait) *jam sole in pomeridianum tempus paullulum inclinante, tam ipse, quàm universus exercitus vidit CRUCIS signum ex lucis splendore figuratum in cœlo soli imminens, inque eo inscriptionem ejusmodi;* IN HOC SIGNO VINCE: *cùmque dubius de ostenti significatione hæreret, nocte sequenti Christus ei cum signo in cœlo monstrato apparens, præcepit ut exemplari ad imitationem ejusdem signi fabricato, eo tanquam præsidio deinceps uteretur in prælus.* Videatur & Nicephorus l. 8, & 9, c. 32.

Aliam item Crucis apparitionem narrat Cyrillus Episc. Hierosol. in Epistola ad Constantium Imperatorem: *Te autem imperante*, inquit, *beata illa Crux multæ lucis splendoribus effulgens, Hierosolymis apparuit. His enim sanctis diebus sanctæ Pentecostes, nonis Maji circa tertiam diei horam, ingentis magnitudinis CRUX, quæ tota ex luce constabat, supra sanctissimum Golgathæ locum, usque ad sanctum montem Olivarum extensa, in cœlo apparuit, non uni, aut duobus hominibus, sed ab universa Urbis illius multitudine, manifestissimè visa: neque, ut aliquis putaret, repentè apparens statim evanuit; sed pluribus horis supra terram spectantium oculis visa est, splendoris fulgore Solis radios vincens.* Et de hoc sic scribit Scholiastes memorati Ephræmi: *Cùm Latini festum Inventionis sanctæ Crucis 3 Maji: & Exaltationem ejusdem 14. Septembr. celebrant, Græci aliam adhuc de S. Cruce solennitatem celebrare consueverunt, ad 16 Kal. Iunii, recolentes memoriam admirandæ illius apparitionis signi Crucis supra Hierusalem. Aliud & quartum ac particulare festum triumphi S. Crucis celebrant Hispani 16 Iulii, ob insignem victoriam eâ die contra Mauros Crucis Christi inimicos, non sine miraculo, Crucisque præsidio obtentam, anno 1212, per Alphonsum VII Castiliæ regem, cæsis barbarorum ducentis millibus, amissis Christianorum non pluribus viginti quinque.* Videatur & Ribadeneira in libro, quem Florem Sanctorum nuncupat.

Cæterùm Crux Domini, cujus symbolum Avis alis passis volitans, ea est Palma in quam ascensurum se ipse

ipſe Chriſtus dixit in Cantico canticorum Solomonæo. Et aſcenſus quoque eſt, traxitque ad ſe utrâque manu paſsâ Sponſam tam Gentilem, quàm Iſraëliticam; uti id ipſum in eodem Cantico ea exoptat. Sed de forma Crucis hujus vide ſis, ſi vacat, Thom. Bartholinum de Cruce Chriſti, ut & Bartoldi Nihuſii Epiſtolam de eodem ad dictum Bartholinum; item Pierium Hierogl. l. 50, pag 538.

XXI. MVSCA; die Fliege: ſive APIS; die Biene/ Imme/ Honig-fliege; das Fliegen-oder Bienen-geſtirn;

Muſcula Boëthio, *Muſa: Apes, Apicula, Iovis Nutrix, Meliſſa; Cecropia* Auſonio, *Hyblæa* Virgilio, *Mellis mater* Varroni: Græcè *μυῖα, muſca; μέλισσα, & μέλιττα, apis;* Heſiodo *μελία:* Ebraicè זְבוּב *muſca;* דְּבוֹרָה *apis:* Hiſpanicè & Italicè *Moſca; Ape, Abera;* Gallicè *Mouſche; Mouſche à miel:* Anglicè *flye; bye, & bee.* Complectitur quatuor ſtellas Europais inconſpicuas; quarum una quartæ, reliquæ quintæ magnitudinis.

Muſca, qualem in Globo noſtro poſterioribus Centauri pedibus ſub Cruce quaſi adhærere videmus, cùm *importunitatis, impudentiæ, indocilitatis & audaciæ imperitæ* ſit ſymbolum, imò hinc ab omnibus abigatur, non video, quare in cœlum locari meruerit. Niſi exiſtimes ob Laconum inſigne: qui muſcam in clypeis ſuis pinxiſſe dicuntur, ad denotandum, quòd tam proximè ad hoſtes accedant, ut muſca etiam ab eis internoſci poſſit; quemadmodum Plutarchus in Apophthegm. Lacon. annotavit. Sive potiùs ob *pertinaciæ perſeverantiam*, qua meruiſſe videtur muſca, ut Homerus Iliad. l. 14 prælia Deorum pertinacia, ac ferociſſima

cissima describens, eam ut hieroglyphicum proposuerit. Sive etiam, quòd Iupiter magnam illam muscarum copiam, quæ Herculem mactantem, ac porricientem infestabat, trans Alpheum abegerit: unde etiam postea apud Eleos *Iupiter Muscarius* dicebatur; ut traditum Pausan. in prior. Eliacis. Sed *Muscarius*, hoc est, *Muscarum Deus* humanum genus absque cessatione infestans, Ebræis, Hieronymo teste, *Beelzebub* nuncupatur: Græcis *Myodes*; quem Hercules muscas de sacello suo abigens, imprecatus est.

Cæterùm si *Muscæ* nomine intelligere velis *Muscam mellificam*, *mousche à miel*, ut Galli dicunt, nempe mellis opificem, hoc est, *Apem*; plurimæ nobis in promptu sunt rationes, cur illi locum quoque in cœlo assignârint Astronómi. Nam ea animalcula multis ac raris virtutibus prædita esse, non solum Physici, ac Historici, passim exemplis demonstrant, sed etiam ipsa docet experientia. Atque hinc *Apes* symbolum sunt *Monarchiæ*, & *obedientiæ erga regem*; item *blandiloquii* sive *gratæ eloquentiæ*, *Poëticæ ac Propheticæ amœnitatis*, *exoticæ doctrinæ*, *dulcium appetitus*, *diuturnæ valetudinis*, *futuri seculi beatitudinis*, *concordiæ*, *castitatis*, *seduli laboris*, ac denique *solstitii*, aliorumque ejusmodi. Videatur de hoc Crinitus l. 7, c, 2, Aristoteles, Plinius l. 11, c. 5, Ionstonius, & Aldrovandus, aliique in Histor. Animal.

De Hierone patris jussu exposito, ne nobilitati paternæ, utpote ex ancilla natus, dedecori sit, legimus in historiis veterum, quòd apes in os ejus jam humanæ opis destituti mella congesserint. Id verò ex aruspicum interpretatione, eum regem futurum significâsse, eventus probavit. Similis interpretatio cadere posset in Iovem ipsum, si non poëticè dictum est, quòd apes advolantes eum infantem nutriverint, ac meruerint, ut ad ejus beneficii memoriam, colorem eorum ferrugineum Iupiter mutaverit in aureum; ut Signo Capricorni ex parte attigimus. Hinc Virgilius Georgic. lib. 4:

Nunc age, naturas, apibus quas Iupiter ipse
addidit,

addidit., expediam: pro qua mercede canoros
Curetum sonitus, crepitantiaque æra secutæ
Dictæo cœli Regem pavere sub antro.

Sed suspicor fabulam inde natam, quòd Iupiter furtim surreptus, sive in antrum portatus, à Melissa forsan melle, uti ab Amalthea lacte, quæ Regis Melissæi filiæ erant, sit pastus: vel quòd Melissa altera ejus nutrix Græcanicâ linguâ *apem* significat. Et Mnaseæ Patareo videtur, apes Græcum nomen à Melissa Oreade Nympha accepisse; cùm illa favos melle repletos, quos in Peloponneso Achaiæ insula à Pelope Tantali filio sic dictâ, inveniebat, prima omnium gustaverit; atque eo condimento saporem uniuscujusque cibi subacidum, imò & amarum mutans, homines à mutuo carnium esu, ac, ut alii addunt, à glandibus, ad cæterarum arborum fructus, imò & hortensia, avocaverit.

Sed ut Apes regiam dignitatem, melle in os Hieronis congesto, portendebant; sic eædem Platonem, quòd parvulo in cunis dormienti in labellis consedissent, oratorem singulari suavitate futurum indicabant: imò & Pindaro adhuc puero Thebis Thespias proficiscenti, ac in itinere sub arboris umbra dormienti, prodente Pausania, mel in os congerentes, poëticam amœnitatem promittebant. Et hujusmodi tale è nostris B. Ambrosio accidisse notum. Hinc est, quòd mel eloquentiæ suavitatem, imò dulcedinem ex laudibus eloquenti linguâ in aliquem collatis perceptam significet. Et ab apibus nutritum veteres dicebant, cùm eloquentiæ cujusdam jucunditatem commendare vellent.

Castam quoque ac *incorruptam Virginem* iisdem *Apem* vocari suspicor, quòd homines à coitu recenti supervenientes, imprimis autem feminas, ut Plutarchus in præceptis conjugalibus, aliique tradiderunt, maximo prosequatur odio, imò acriùs invadat; cùm ipsa Venerem ignoret, ut testis est Virgilius Georg. lib. 4,

Illum adeò placuisse apibus mirabere morem,

quòd

quòd nec concubitu indulgent, nec corpora segnes
in Venerem solvunt, aut fœtus nixibus edunt:
verùm ipsæ foliis natos, & suavibus herbis
ore legunt.

Hinc aliquando, Virgine quadam puerum virgineum, ut vulgò vocant, edente, in alloquio ad virgines jocati sumus:

Wie von den Mähren zeugt Virgiel / daß sie der wind macht schwanger;
so schwängert manche Jungfer auch die luft vom Bluhmen-anger.
Die Biene kent den beischlaf nicht / und häckt doch jungen aus /
wan sie in süßem eifer küst den zahrten bluhmen-straus.
So kräftig war die Rosen-luft mit eifer eingesogen /
daß Roselinde sich befand / das süße kind / betrogen.
Woher doch komt mir dis? sprach sie: Ich weis von keinem man;
und gleichwol seh' ich / daß man mich bald Mutter nennen kan.
Der Nahme komt ihr nun auch zu. Doch wer sie Fraue nennet /
der tuht / wie sie selbst spricht / zu viel; weil sie kein mann erkennet.
Ists wahr? so habt ihr euch gewis / ihr Jungfern / vorzusehn;
es möcht euch von der bluhmen-luft sonst auch ein schimpf geschehn.

Alii tamen, in quibus est Taxites, volunt regem apum semen singulis cellis imponere. De quo videsis Vossium de Idol. l. 4, c. 66, pag. 1511, & Plinium N. H. l. 11, c. 16.

Cæterùm quòd *egregiæ sedulitatis imago* sit *Apis*, indicat Salomon; qui nos ad apes vadere jubet, ac ab iis discere, quàm laboriosæ sint operatrices. Sed magis luculenter Virgilius Georgic. l. 4:

Venturæque hiemis memores, æstate laborem
experiuntur, & in medium quæsita reponunt.
Namque aliæ victu invigilant, & fœdere pacto
exercentur agris: pars intra septa domorum
narcissi lachrymam, & lentum de cortice gluten,
prima favis ponunt fundamina; deinde tenaceis
suspendunt ceras: aliæ spem gentis adultos
educunt fœtus: aliæ purissima mella
stipant, & liquido distendunt nectare cellas.
Sunt, quibus ad portas cecidit custodia sorti,
inque vicem speculantur aquas, & nubila cœli:
aut onera accipiunt venientum: aut agmine facto
ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella, &c.

In

In cujus autem rei memoriam huic asterismo nomen Apis inditum sit, variæ sunt sententiæ. Nos tamen suspicamur id factum esse in memoriam illius apum examinis, quod in cadavere leonis à Simsone occisi favos conficere cœperat; ut legere est Iudic. c. 14, v. 8. Atque hoc non adeò insolitum esse videtur, cùm apes quoque ex tauro, bove, vacca, vituloque putrefactis nasci dicantur: unde & mel, in descriptione Philonii, νᾶμα θυγατέρων ταύρων, hoc est, *fluentum, latex*, sive *liquor filiarum taurorum* vocatur. Modum autem, quo ex alterius corporis corruptione procreentur, Geoponicorum auctor ostendit. Atque ex cerebro regem, & duces; ex carne vulgus gigni scribunt. Si hoc verum est, ratio facilis erit inventu, cur apes in Onesilai Cypriorum regis caput supra urbis Amathusiorum portam expositum, mella congesserint.

XXII. TRIANGVLVM AVSTRINVM; das Mittags-dreieck;

Deltoton; sive *Triquetrum meridionale*, *Triangulus*, & *Trigonus*, sive *Tricuspis australis*, aut *notius*: Græcis Δέλτα, Δελτωτὸν, Τρίγωνος, Τρίγωνον: Arabicè neotericis *Almutabet algenubi*. Quinque comprehendit stellas, tres secundæ, & duas quartæ magnitudinis: ac meridionalibus semper patet, Europæis verò absconditur.

Signum hoc triangulare in memoriam *trium Patriarcharum*, supra collum Avis Paradisi, in cœlum locatum esse ajunt: alii tamen, ut repræsentet *rerum cœlestium* effigiem; item Ægypti. Rursus alii id factum censent in gratiam *Iustitiæ*, sive *Palladis*; quæ nonnullis *tergemina*, item *Tritonia* & *Tritogenia* dicta; nempe quòd vel

tertiâ mensis die, ut Ægyptiorum habet Theologia, quæ Lunam & Palladem confundere solet, orta sit; unde & apud eosdem tria tantum anni tempora fuerunt, nempe ver, æstas, & hiems: vel ex capite Iovis nata dicatur, de quo in Erichthonii Signo satis amplè egimus: vel denique quòd tria præcepta ad vitam humanam necessaria, teste Democrito, proposuerit; scilicet benè consulendum, rectè judicandum, & justè agendum: unde & numerus ternarius, & triangularis figura quæ tribus lineis æqualibus describitur, à Pythagoricis illi meritò dicabatur.

Quòd verò Triangulum sit effigies Ægypti, hanc rationem proferunt: nempe quia ea regio ejusmodi figuram situ suo constituat: unde & à Græcanica littera Δ, quæ triangulari figurâ pingitur, quibusdam *Delton* nuncupetur. Vel quia Ibis, quæ in Ægypto tantùm inveniatur, ac ejus hieroglyphicum sit, hanc figuram pedum incessu, interstitio ad æquales trianguli lineas diducto, constituere videatur. Sed de Triangulis, si vacat, adeas Pselli libellum de Dæmonibus.

XXIII. APOVS, sive *Apus*; der Paradies-vogel;

Quibusdam, sed corruptè, *Apis*; aliis *Avis Indica*, item *Manucodiata*, hoc est, *Avis Dei*, sive *Avis Paradisi*, vel *Paradisea*: Græcè ἄπȣς, hoc est, *pedibus carens*. Novem continet stellas, meridionalibus semper conspicuas.

Bayerus numerat 12; *nempe duas quartæ*; *&* *decem quintæ magnitudinis.*

Hæc avis in India, unde & *Avis Indica* audit, invenitur: quamvis in Ægypto quoque fusca & subrutila, monedulâ minor, conspiciatur, nomine *Avis Paradisi*. Vocatur autem *Avis Paradisi*, sive quòd ignoretur, unde veniat, & quo se recipiat; sive ob miram

corpo-

corporis ſpeciem, & plurimam colorum diverſitatem. Hinc magni æſtimatur à Moluccorum Regulis; qui ſe in prælio, ſi illius pennas portent, vulnerari non poſſe credunt, licet in primâ acie pugnent. Imò hinc, ſuſpicor, eam à Moluccanis dici *Manucodiatam*, hoc eſt, *Avem Dei*.

Plurimæ ejus inveniuntur ſpecies; quippe quarum Aldrovandus quinque deſcribit. Vnde certa magnitudo illi non poteſt aſcribi. Quædam hirundine paullò majores viſæ ſunt. In Iava columbarum magnitudine. Et picâ maximâ non minorem à ſe viſam teſtatur Scaliger Exercitat. 228, l. 8. Quales ego Amſtelodami in Theca rerum exoticarum Iani Volkerſonii, aliiſque in locis vidi, eæ magnitudine, quod ad corpus, ſi pennæ variis coloribus mirè fulgentes demantur, vix hirundinem æquabant: capite tamen, quod preſſum, nucis juglandis pœnè magnitudine, & roſtro recto ſeſquidigitum longo, caudâ item longiſſimâ conſpicuæ. Omnes carent pedibus: unde & Græcanico vocabulo *Apodes Indicæ* vocantur. Quamvis Pigafetta illis pedes palmum unum longos attribuat; ſed perperam. Hinc quoque falſus eſt Ariſtoteles, qui nullas aves apodes inveniri affirmat. Volatu celerrimo navium curſum, licet citiſſimus ſit, ſuperant. Ac perpetuò volant, nec uſquam quieſcunt; niſi in ramo arboris cujuſdam geminis illis ſetis ſive filis, quæ quodammodo nigra, ac tres & amplius palmos longa, dorſo annectuntur, implicatæ pendeant.

Rex tamen harum avium, cui nomen *Avis Paradiſi* propriè convenire videtur, crura & pedes ſatis longos craſſoſque, ac ad rapinam comparatos habere dicitur: ut proditum eſt Georgio Markgravio in Hiſtoria Braſiliæ naturali, quem adi. Sed ſatis de *Ave Dei* ſive *Iovis Indici*: nunc videamus quoque

Iunonis Volucrem, quæ caudâ ſidera portat.

XXIV. PAVO; der Pfaue/ das Pfauen-gestirn;

Aliis *Pavus*, & Ausonio *Pava*, in feminino, *Avis Persica*, *Medica*, *picta*; *Ales Iunonia* Ovidio & Lucano, *Avis siderea Iunonis* Claudiano: Græcè Ταὼς, & ταῶς, Æolicâ dialecto ταϝος, quod Ebraismo propiùs accedit; aliis ταῶν, in feminino ταώνη; Aristophani Μηδικὸς ὄρνις: Ebraicè תוּכִּי, in plurali תוּכִּיִּים *pavones* à תָּוָה *signavit*, *pinxit*, quia caudam gerit oculis pictam ac signatam; sive à Chaldaico תְּוַהּ *admiratus est*, *expavit*, quòd aspicientes expansâ caudâ in admirationem inducat: unde Iuvenalis:

— — *Didicit jam dives avarus*
tantùm admirari, tantùm laudare disertos,
ut pueri Iunonis avem:

aliis פָּרָה, de quo videsis Dictionar. Ebraic. Munsteri; vulgò פַּאוִין, fortè à פָּאַר *laudavit*, quia, ut Ovidius inquit in arte amandi, l. 2,

laudatas ostendit Avis Iunonia *pennas*:
si tacitus spectes, illa recondit opes.

פָּז quoque est *aurum purum* & *lapis pretiosus*, quibus caudam Pavonis quasi exornatum vides: sive etiam à פָּזַר *dispersit*, quia caudam explicans, pennas quasi dispergit: פַּח quoque, sive פַּח est *tendicula*, *laqueus expansus*, *quo feræ capiuntur*, παγίδιον, item *lamina*, *æs percussum & extensum*, *bractea*: Gallicè *Paon*; Italicè *Pavone*; Hispanicè *Pavon*. Septentrionalibus nunquam conspicitur; Meridionalibus verò semper:

ſemper: & in Globo noſtro 19 illuſtratur ſtellis.

Bayero numerantur 14: quarum una in oculo ſiniſtro ſecundæ magnitudinis; 6 in collo, & reliquo corpore tertiæ; 4 quartæ; & tres quintæ hinc inde diſperſæ.

Pavo tam apud Græcos, quàm apud Germanos, & Latinos, alioſque Europæ populos, imo ex parte apud ipſos Ebræos, uti modo vidimus, nomen ſuum accepiſſe videtur; *ab expanſione & explicatione caudæ:* licèt Varro Latinum eſſe putet, ſed perperam, à voce, quam edunt: nempe *pupillare* dixit auctor Philomelæ.

Nam Græcum Ταὼς, ſive, ut Æolici pronunciant, ταϝος, Athenæo l. 9 eſt ἀπὸ τῆς τάσεως τῶν πτερῶν, *ab extenſione caudarum.* Quamvis malim derivare à τάφος, *podex*, quia Pavo cum podice vel cauda ſuperbit; ſive potiùs ab ἔταφον, quod ejuſdem eſt originis, & denotat, *cum ſtupore admiratus eſt*, item *ſepelivit, abſcondidit*; quia Pavo, niſi cum *admiratione ſpectetur*, pulchritudinem caudæ, *abſcondit*; aut eâ amiſsâ pudibundus *quærit latebras:* ſive ab ipſo verbo θαυμάζω, *admiror, in precio habeo:* quod originem traxiſſe videtur à θεάομαι, *contemplor*; unde Doricum θάημα, *ſpectaculum, miraculum.* Niſi potiùs utrumque ſit, uti & eſt, ab Ebraico חָזָה *admiratus eſt contemplans.*

Germanicum verò Pfaue, ſive Belgicum Pauwe, imò ipſum Latinum *Pavo*, abſque controverſia dicitur *à pavienda & explananda, exporrigendave cauda.* Nam *pavire* (quod antiquum eſt verbum, ortumque traxit ex Germanico bauen / quod olim quoque *expandere, dilatare*, ſcilicet domicilia, ſignificavit) Romani vetuſtiſſimi non tantùm pro *ferire, petere, tundere, terere*, & *percutere*; ut ſuſpicari quis poſſit eſſe à παίειν: ſed etiam pro *excutere, explicare, planare*, & *expandere* dixiſſe videntur. Vnde eſt *pavimentum*; quod fit, cùm tundendo terra materiâ quadam ſuperſtratâ & expansâ planatur. Belgi dicunt een pavepſel / ſive plavepſel / interjecto *l*; uti Germani die bahne / & der plahn / pro quo olim quoque

plaun sive blaun utebantur: quæ omnia terræ sive soli planitiem notant. Et ex *pavimentum* est *pavimentare*, Belgicè pavepen / plavepen / hoc est, sternere locum quendam tegulis, sive aliâ aliqua re extensâ. Ac *pavicula* Catoni est instrumentum, quo area complanatur. Germani vetustiores dicebant ein pavel / sive bavel / à bauen: quòd non tantum *ædificare* significabat, uti adhuc hodie, imò & *expandere*; unde bügen / *curvare*, bügel / buch / *liber*, quia sinuari & extendi potest, & pauke *tympanum*, bauch, quod idem ac bansch, quasi dicas *pandens*, sive *expandens*; item bausten, *tumere*, & Belgicum een bouwen, *vestis spatiosa*, sive *follicans*: sed etiam *tundere*, sive *tundendo opus suum perficere*; unde lavatricibus adhuc in usu est beuche / in die beuche legen / hoc est, *vestes in aquam quasi tundere, ac tumidas reddere*. Sed hodie in usu est blauel / imprimis wasche-blauel / interjecta littera l, à blauen / *tundere, percutere, ac maximo assiduoque labore aliquid agere*: quod etiam per blöcheren reddere solent. Atque hinc esse videtur, quòd iisdem vocabulum blau / primâ ac propriâ significatione, denotet *colorem* illum *lividum* sive *plumbeum*, quem quis fuste aut lapide percussus, læsa in parte contraxit; quod venis exilibus ictu collisis, sanguineque ad cutem diffluente contingere solet: secundariâ verò *cœruleum* sive *cæsium*.

Quin & *papilio*, hoc est, *tentorium*, sive *tensa*, quod Belgicè & Anglicè *pavilion*, Gallicè & Hispanicè *pavillon*, Italicè *padiglione* sonat, ex illo ipso vocabulo, bauen / quando *extensionem* significat, mutatâ littera u / in cognatum p / originem duxit: uti & *papyrus*, πάπυρος, papier / sive sic appelletur planta illa Ægyptiaca, sive nostra, qua scribentes utimur, charta; quia utriusque folia latè explicantur, & extenduntur: item *papaver*, quod capita ejus follicantia tumeant; & Germanicum pappe, *pappa*, hoc est, *pulpamentum*, cibus infantum, quòd tundatur, sive ebulliens se quasi extendat & turgescat.

Hæc autem Avis, in cœlum locata videtur, quia, si mares

mares ſpectes, nam in feminis admodùm pauca colorum conſpicitur varietas, tantâ prædita eſt pulchritudine, ut æmula Phœnicis omnium volatilium formoſiſſimæ dicatur; quomodo Epiphanius in Theſibus Phyſiologicis apud Cauſſinum pag. 71, teſtatur. Quippe colorum exquiſitiſſimorum ac gemmantium mixturam in pennis, præſertim caudæ, radiare vides. Cæruleum ſive ſaphirinum in collo & capite: viridem in apice verticis è nudis quodammodo ſcapis virideſcentibus ac tenerrimis conſpicuo: in quorum ſummitate lilia eminent ejuſdem coloris; quibus Iuno tanquam floribus ſibi ſacratis, unde & *Sceptra Iunonia* vocantur, avem ſuam ornâſſe videtur. Quin & duabus pingitur maculis candidis oblongis oculos capitis ab utraque, nempe ſuperiore & inferiore, parte ferè ſtringentibus. Oculi verò caudæ quaſi bifidæ quatuor circulis aureo, caſtaneo, viridi, & ſapphirino conſtant: quos laudatus adverſo maximè ſole, quia ſic fulgentiùs radiant, expandere ſolet. Atque ea colorum diverſitas ac pulchritudo meruit, ut ipſe Iob c. 39, v. 16, pavonis pennas extulerit elogio.

Inveniuntur tamen & candidi Pavones, non tantùm in frigidis regionibus verſus boream vergentibus, ſed etiam in calidioribus. Talem enim vidit Aloyſius Cadamuſtus in Maderis; Ioannes Laurentius Ananias in parva, ut dicitur, Inſula, & Gaudentius Merula Mediolani plures; Scaliger in Gallia binos; Aldrovandus unum Bononiæ natum. Et ejuſmodi primùm natos ſuſpicor in Norvegia, cùm matres in ipſo vere ovis incubantes nivoſa loca, uti poſtea in Germania ac Italia, alba velamina caveis, in quibus incubant, obtenta, perpetuò ob oculos haberent.

Cæterùm in hanc Avem, teſte Apollodoro Metam. libro, à Iunone mutatus fertur Argus, centoculus ob prudentiam fortè dictus, Argivorum, ut quibuſdam traditum, rex aut ſaltem regulus, à Mercurio, juſſu Iovis Argivi antiquiſſimi, ſive potiùs ut ipſe imperio potiretur, occiſus. Ille verò Iupiter, qui proprio no-



mine vocatur Apis Sicyonius, & cum Ægyptio confundi solet, ut ad signum Tauri, quod vide, demonstravimus, rem habuit cum Io, quam deperibat, Iunonis Argivæ, eóque Apidis illius uxoris, teste Apollodoro Biblioth. l. 2, sacerdote, sive potiùs, ut auguror, puellà honorarià ac prætextatà: quæ fortè fuit ex numero earum, de quibus ipsa Iuno apud Virgilium Æn. l. 1:

Sunt mihi bis septem præstanti corpore Nymphæ.

Sed videsis de hoc Signum modò adductum Tauri: ubi unà videbis, cujus ea fuerit filia. Atque ob hanc caussam Io à Iunone, sive, ut alii fabulantur, ab ipso Iove, quò suspicionem uxoris zelotypià captæ reprimeret, in vaccam candidam mutata, permissu ejusdem Iovis licèt inviti, in custodiam tradebatur Argo Arestoris, teste Myrleano Asclepiade, & Terræ, juxta Acusilaum, sive potiùs, ut vero nomine dixit Pausanias in Corinthiacis, Mycalis Inacho & Colaxe prognatæ, adeoque Phoronei & Iûs sororis filio: qui eam in monte Mycenæo ad olivam quandam alligavit.

Sed Iupiter Iûs tandem misertus, mandavit Mercurio, ut vaccam illam, quoquo modo posset, etiam interfecto Argo, raptam abduceret. Tum Mercurius sumtà pastoris formà, fistulæ cantu suavisono, & virgæ soporiferæ tactu Argum sopivit: imò ab Hierace juvene rursus suscitatum, saxo, sive potiùs, ut habet Ovidius, in saxo sedentem ense occidit; suscitatore in sui nominis avem, quæ Latinis *accipiter* audit, mutato.

His à Mercurio sic perpetratis, Iuno Argi cæde valde commota, œstrum vaccæ immisit; quo illa gravissimè exagitata, ac è Græcia pulsa, regiones tam multas, quas in Tauri Signo enarravimus, pererravit. Vnde Virgilius Georgic. l. 3:

Hoc quondam monstro horribiles exercuit iras
Inachiæ *Iuno pestem meditata* Iuvencæ.

Attamen in Ægyptum, ubi postea Isis vocata fuit, comite Mercurio, cujus consilium parum feliciter successerat, veniens, furore jam sedato, priorem hominis

minis formam, Jovis ope, recepit: ut testis est Æschylus in Prometheo, & Moschus in Europa:

Fluctivagumque bovem spectabant in maris undis.
Jupiter hic aderat, niveæ qui terga juvencæ
tractabat dextrâ: septemflui ad ostia Nili
de bove cornutâ facta est mox femina pulchra.

Quamquam hoc juxta Iopen oppidum contigisse scribat Apollodorus de Diis: Ἰόπη δὲ πόλις καλεῖται, ὅτι ἐκεῖ ἡ Ἰὼ τὸν Ἄργον νικήσασα, γέγονεν ἄνθρωπος· *vocata fuit Iope civitas, quòd ibi post Argum superatum, Io facta est homo.*

Atque sic Argus eâ occasione à Iunone in Pavonem conversus fingitur, oculis ejus, quos centum habuisse fertur, caudæ affixis. Per hos autem centum oculos fabularum interpretes intelligunt stellas; adeóque per Argum ipsum cœlum; quod stellis suis, tanquam oculis, terram assiduè intuetur; æque ac Argus intueri fictus est *Io gravidam*; qua *terram* fortè *frugiferam* adumbrârunt, imò & *agriculturam*; de quo videatur Virginis Signum. Quod verò oculorum Argi altera pars dormire, altera vigilare vicibus alternis fingitur, hoc ideò factum videtur; quia stellæ in dimidia cœli parte, cùm ea sole illustratur, quasi dormire, hoc est, solis splendore offuscari, ac in altera, ubi, sole absente, jam nox est, quasi vigilare, hoc est, lucere deprehenduntur. Hinc Noctis hieroglyphicum erat cauda Pavonis in rotam effusa, sive in orbem exporrecta: Diei verò cauda ejusdem avis complicata, ac demissa. Imò hinc quoque est, quòd Pavo vicissitudinis divitiarum fuerit symbolum. Item omnis varietatis, ac mutabilitatis; unde proverbium, ποικιλώτερον τάωνος, *Pavone magis varium*: fœminarum imprimis, ob insignitam earum inconstantiam: nam, ut Virgilius ait Æneid. l. 4,

----- *Varium & mutabile semper*
femina.

Ac, ut nos aliquando lusimus,

Die Frau ist lang von Haar / doch kurtz und leicht von Sinnen.
Wer zweifelt / der versuchs. Mann wird es täglich innen.

Atque iccircò quoque factum autumant nonnulli, quòd Pavo Iunoni divitiarum Deæ, * tanquam proprius, fuerit attributus.

Cæterùm uti Argum diximus designare Cœlum stellatum, ac Io in vaccam mutatam, Terram; quia Ægyptiis terræ symbolum, propter agriculturam, est Bos: sic Mercurius hîc, ubi, æquè ac Argus, & Io, refertur ad rerum naturam, nihil aliud designare videtur, ac ipsum Solem; uti non ineptè comprobatur Macrobio. Nam Mercurius fingitur Argum centoculum Iûs custodem, primò virga aureâ, unde & Homero Iliad. ο, χρυσόῤῥαπις, *auream habens virgam*, vocatur, sopiisse, deinde ense occidisse; quia Sol exorientibus suis primis radiis, tanquam virgis aureis, stellas quasi sopire, at ipse postea totus exortus, lumine suo mucronato, veluti ense, easdem penitus quasi interficere videtur; dum fulgore suo insuperabili lucem siderum planè offuscat & extinguit, sic ut à nobis non amplius videantur. Atque hinc est, quòd Ægyptii duas Mercurio tribuerint pinnas; unam albam & claram, alteram cæruleam: nempe illâ significare voluerunt hemisphærium unum lumine Solis illustratum, cùm dies est; hac verò alterum eo carens, ubi cærulis cœli pratis terræ umbrâ involutis, nox est. Imò eâdem causâ, idem Mercurius duplex dicitur; nempe superus, respectu nostri, & inferus, respectu antipodum. Ac illud nomen obtinet, cum Sol nostrum illuminat hemisphærium, hoc verò, cùm ad antipodes decessit. Pari ratione Argi oculorum altera pars dicitur dormire, altera vigilare; ut supra vidimus.

Sed fabulam de Io in vaccam, & Argo in Pavonem mutatis, sic recitat Ovidius Metamorph. 1:

Cùm Deus inductâ latas caligine terras
occuluit, tenuitque fugam, rapuitque pudorem. &c.
Conjugis adventum præsenserat, inque nitentem
Inachidos vultus *mutaverat ille* juvencam.
Bos quoque formosa est. ——

Iuppiter

Iuppiter *è terra genitam mentitur, ut auctor*
desinat inquiri. Petit hanc Saturnia *munus.*
Quid faciat? Crudele, suos abdicere amores:
non dare, suspectum. Victus pudor esset amore:
sed leve si munus sociæ generisque torique
vacca negaretur, poterat non vacca videri.
Pellice donatâ, non protinus exuit omnem
Diva metum, timuitque Iovem, & fuit anxia furti:
donec Aristoridæ *servandum tradidit* Argo.
Centum luminibus cinctum caput Argus habebat.
Inde suis vicibus capiebant bina quietem;
cætera servabant, atque in statione manebant.
Constiterat quocunque loco, spectabat ad Io:
ante oculos Io, quamvis aversus, habebat.
Luce sinit pasci: cum sol tellure sub alta est,
claudit, & indigno circundat vincula collo. &c.
Nec superûm rector mala tanta Phoronidos *ultra*
ferre potest: Natumque *vocat, quem lucida partu*
Pleias enixa est: letoque det, imperat, Argum.
Parva mora est, alas pedibus, virgamque potente
somniferam sumsisse manu, tegimenque capillis, &c.
Desilit in terras: illic tegimenque removit,
& posuit pennas: tantummodo virga retenta est.
Hac agit, ut pastor, per devia rura capellas,
dum venit, adductas: & structis cantat avenis.
Voce novæ captus custos Iunonius *artis*, &c.
fistula, mox quærit, qua sit ratione reperta. &c.
Talia dicturus, vidit Cyllenius *omnes*
succubuisse oculos, adopertaque lumina somno.
Supprimit extemplò vocem, firmatque soporem,
languida permulcens medicatâ lumina virgâ.
Nec mora, falcato nutantem vulnerat ense
quà collo est confine caput. &c.
Arge jaces, quodque in tot lumina lumen habebas,
extinctum est, centumque oculos nox occupat una.
Excipit hos, volucrisque suæ Saturnia pennis
collocat, & gemmis caudam stellantibus implet. &c.

Et

Et iccircò Pavo non tantùm ſacer erat Iunoni; quam quoque nonnulli ejuſmodi Ave pictâ, tanquam ejus hieroglyphico, intelligebant: ſed currum etiam Iunonium à pavonibus trahi veteres finxerunt. Vnde Ovidius Metamorph. l. 2:

------ Habili Saturnia curru
ingreditur liquidum pavonibus æthera pictis.

Athenæus tamen ejus rei aliam cauſam profert: nempe quia pavones in inſula Samo, quæ Iunoni ſacra erat, primùm repertæ fuerint: unde & in numiſmatis Samiorum, eodem teſte, Pavo impreſſus. Sanè in eo Iunonis templo, quod Mycenis in planiore Eubœæ parte exſtructum erat, inter cætera memoratu digna viſebatur & Pavo aureus lucidiſſimis ac pretioſiſſimis lapidibus ornatus, quem Adrianus Imperator dicaverat, cum aurea corona, & purpurea palla: ubi argento quoque inſculptæ erant Herculis & Hebes nuptiæ; ut prodidit Alcetas Depoſ. Delphic. l. 2, & Pauſanias in Corinthiacis.

Sic in Numiſmatis Romanorum antiquiſſimis Fauſtinæ, & Iuliæ, Piæ Felicis imago Iunonis cum haſta ſive lancea, & patera conſpicitur, Pavone juxta appoſito, ac additâ epigraphe in hujus, IVNONI LVCINÆ; in illius verò, IVNONEM; quod lectu inſolitum. Ejuſdem quoque Fauſtinæ numiſma argenteum invenitur, in quo æquè eſt Pavo; ſicut & in Divæ MAXIMÆ, & D. MARIANÆ eadem avis caudâ in rotam paſsâ, cum inſcriptione CONSECRATIO. Imò aliud ſe offert, cujus inſcriptio DIVA PAVLINA: effigies eſt caput mulieris ab occipitio velatæ. Hæc in altero latere rurſus conſpicitur, ſed inter alas pavonis paſſas dorſo inſidens, cum epigraphe, CONSECRATIO. Quin & in illo Domitiæ Auguſtæ eſt effigies ejuſdem avis, cum inſcriptione, CONCORDIA AVGVST. Ex hac autem inſcriptione ſuſpicor numiſma cuſum, poſtquam Domitiam hanc priùs repudiatam, Domitianus Imperator iterum duxerat. Et

pavonis

pavonis effigies videtur sibi velle, quòd idem Domitianus, cùm se Iovem appellari passus sit, uxorem etiam Iunonis honore dignari censuerit: quippe quam A V-G V S T A M quoque salutavit. In feminarum enim apotheosi effigies Pavonis, tanquam Avis Iunoniæ, symbolum erat; æquè ac in illa marium Aquilæ alitis Iovis. Quamquam in Divæ Sabinæ Augustæ, & Faustinæ Piæ nummo Aquila sit, non Pavo. Sed nihil mirum, quòd Faustinæ Imperatorum sive virorum more, Aquila attribueretur; cùm ea Marco Antonino conjugi imperium dederit.

Cæterùm nec illud admirationem meretur, quòd veteres Iunoni, imò cæteris ejusmodi feminis Pavonem, tanquam hieroglyphicum, attribuerint; cùm ille caudà suâ surrectâ symbolum sit *hominis gloriosi*, & in qualibet re *applausum quærentis*; imò & *invidi*, ac *inconstantis*: quod utrumque omnium ferè feminarum proprium est. Quippe adeò egregiam hac in re inter pavonem & feminam cernimus sympathiam; ne minimè mireris virginem illam Leucadicam, teste Æliano l. 11 de Animal. c. 33, tanto ardore adamatam à pavone, quem aluerat, ut eâ defunctâ ipse quoque commori voluerit. Incessus præterea pavonis planè Iunonius ac femineus est; quem ita componit, ne unquam maculetur: præsertim quando, præsentibus, & admirantibus spectatoribus plurimis, pretiosam caudæ supellectilem ostentat. Vnde in homines valde sibi placentes Ovidii σκωμμάλιον Metam. l. 13: *Laudatâ pavone superbior.*

Singulare autem & magnum ejus æstimium apud veteres inter alia quoque ex eo apparet, quòd mille drachmis, si Antiphoni Orat. contra Erasistr. fides, mas & femina venditi sint: ac Athenis unus statuto pretio singulis noviluniis per annos triginta spectaretur, multis ex Thessalia, & Lacedæmone spectatum confluentibus; ut proditum Oppiano l. 2, & Lucretio de nat. rer. l. 2. Item quòd Alexander Magnus, iis in India visis, gravissimas in occisores pœnas constituerit: & Tiberius

Tiberius Imperator hominem, qui unum è viridario ſubtraxerat, capitis ſupplicio affecerit; ut ex Æliano l. 5. de Animal. c. 21, & Suetonio in Tiberii vita conſtat: imò in Lybia ſi quis tantummodò læſiſſet, teſte Euſtathio, non impunè tulerit. Quin & Hortenſius Orator in jus vocatus eſt, quòd primus editiali cœnâ pavonem cibi causâ occidiſſet. Eos tamen Aufidius Lurco circa noviſſimum bellum piraticum primus ſaginare inſtituit, maximo cum quæſtu: quippe reditus ſeſtertiûm 60000 habuit; ſi Æliano loco adducto credimus. Et Vitellius Imperator cerebella pavonina in famoſa illa patina, quæ Minervæ clypeus dicebatur, cum aliis cibis inſolitis appoſuit. Sed pavone noſtro pennarum oculos jam in acervum contrahente, nos hîc ſubſiſtere jubemur. Iccircò qui plura de hoc noſſe deſiderat, adire poterit, præter auctores citatos, Ariſtotelem H. A. l. 9, c. 6, Ariſtophanem de Avibus, Aldrovandum Ornithol. l. 13, c. 1, 2, Columellam l. 5, c. 32, alios.

XXV. PICA INDICA, ſive *Braſilica*; die Indiſche Elſter / Agleſter / ſive potiùs Hägſter;

Pica Barbara, *Piperivora*, *Hipporynchos*, & *Burynchos*, à roſtri magnitudine *Rampheſtes*, ſive *Ramphaſtos*; aliis *Anſer*, & *Paſſer Braſilicus*, vernaculè *Tangara*; item *Tucana*, Lerio & Theveto *Toucan*; aliis *Lang*, fortè *Avis longa*, quam Indi vocant *Hoitlallotl*: Græcè Κίσσα Ἰνδικὴ, *Pica Indica*, Atticis κίττα, Laconibus κεῖσσα, aliis, σίττα; Heſychio, & Phavorino βάσκιλλος, & κραγγὼν, nonnullis ποίκιλις, *pica*; χίνα, antiquis χὴν, *Anſer*, Plinio *Ganza*; στρουθὸς, ψάρες, χόλμις, βραχύβιος, δηγὴρ,

δηγὴρ, *passer*: Ebraicè צפור, *passer*. Continet 8. stellas; quarum quatuor tertiæ, tres quartæ, & una quintæ magnitudinis.

Pica in genere considerata, ob garritum quem edit, unde Polluci *κιτζαβίζειν*, h.e. *more picarum στωμύλλειν*, sive *blaterare*, *garrulitatis* est symbolum: ac causâ eâdem Baccho vini pariter ac ebrietatis Deo, teste Plutarcho, sacra: nempe quia vino inebriati ut plurimum garriunt, imò etiam saltare solent more picarum; & *arcanum demens detegit ebrietas*. Hinc Horatius:

Fœcundi calices quem non fecere disertum?

Et dictum Athenæi l. 2, *οἶνος καὶ ἀλήθεια*, *vinum & veritas*: quod Germani sic proferunt:

Ein trunkner mund
entdekt der wahrheit grund.

Atque eâ quoque causâ esse puto, quòd sacerdotes Bacchi plerumque fuerint feminæ: quas *μιμαλόνες*, sive, ut Suidas habet, *μιμαλλόνες* vocabant, quòd ebrios garrulos imitabantur: item *Mænades*, *Bacchas*, ab insania, & intemperantia, morumque pravitate; uti & *Thyades*, à Thya, quæ prima Bacchi sacra instituit, ac ab impetu & furore bacchantium sic dicta videtur. Atque Bacchis hisce picarum nomen, ac symbolum eò magis convenit, quò obtusiori, ob gutturis raucedinem crapulâ contractam, ac magis variabili voce utebantur, more picarum: quæ singulis ferè diebus, imò horis sonum diversum ac raucitate obfuscatum & corruptum edere dicuntur.

Hinc & imitantur nonnullæ, ut ex historiis notum, vagitum infantum, & hœdorum querulum, mugitum vitulorum, balatum ovium, sibilum opilionum armenta convocantium. Ac Plutarchus lib. de Solert. animal. refert, picam alioquin loquacissimam, auditis Romæ buccinatoribus quasi obstupefactam, evestigiò siluisse, tantoque sic silentio dies aliquot meditatam, demum veluti expergefactam omnem buccinatorum

torum ſonum ſummâ ommnium admiratione reddidiſſe.

Verùm non garrulitatis modò, ſed & *mendacii* ac *ſimulationis* hieroglyphicum eſt Pica; nempe noſtra communis: quod ea anteriore parte ſit candida, poſteriore verò nigricet; æquè ac ipſum mendacium: ut de hoc teſtatur Tryphon Grammaticus: τὸ ψεῦδος ἐν τοῖς ἐσχάτοις μελαίνεται, *mendacium extremâ parte nigreſcit:* Atque hinc dixit Pythagoras: τῶν μελανούρων μὴ γένεσθαι, *minimè guſtandum ex iis, quæ nigrâ incedunt caudâ.* Nempe cavendos eſſe ſimulatores, ac mendaces voluit omnes.

Cæterùm quòd *Picam Indicam* ſive *Braſilicam* attinet, quam hîc conſiderare propoſuimus, quamque *piperivoram* vocant, quòd pipere victitet; ea ob inſignitam pulchritudinem inter aſtra locata videtur. Quippe præterquam quòd caput, collum, dorſum, ac alæ cum priori parte caudæ nigricent, pectus aureo colore cum rubedine quadam circumfuſum, rutilare vides; ventrem verò & femora cinnabarino, caudamque in extremitate inſigniter rubeſcentem.

Alii tamen in ejus locum ſufficiunt *Anſerem*; alii item *Paſſerem Braſilicum*. De quibus in genere conſideratis hîc aliquid dicendum putavimus: & quidem primò de Anſere noſtrate. Is ſacer erat Iunoni, æquè ac agnus & pavo; item Iſidi, & Inacho Eurydamantis, qui aliter Oeneus dictus, & Doryles nymphæ, ſive, ut alii vocant, Iphinoës filio. Quem fluvium fuiſſe finxerunt, quòd ille Argis imperans, fluvium Argivorum priùs Amphilochum dictum, ampliore alveo locupletârit, ne irrumpens in planitiem, ut ante ſolebat, agros circumvicinos cum ædibus diriperet. Vnde fluvius ille poſtea Inachi nomen adeptus eſt:

Ἴναχος Οἰνείδης Κρονίδῃ πολυφίλτατον ὕδωρ.
Inachus Oeneides cœlo gratiſſimus amnis;

ut canit Heſiodus. In eo etiam, exſtructo ſub aquis ſepulchro magnifico, ipſe Inachus dicitur ſepultus. Atque ex his vides cur Inacho Anſer ſit ſacratus: nempe quia ejuſmodi aves fluvios amant.

Hîc

Hîc incidit mihi in memoriam fabula de Nemesi Noctis & Oceani, teste Pausania in Atticis, filia, cognomento Adrastea: quæ postea ut vindictæ Dea fuit culta. Hanc fabulatur Apollodorus Biblioth. l. 3, se ipsam in anserem mutâsse, ut Iovis, qui eam ardentissimo deperibat amore, concubitum vitaret. Iovem vero cygni specie assumtâ Anserem illum compressisse. Vnde Nemesin gravidam ovum peperisse: quod obvio opilioni, ut Ledæ servandum deferret, tradiderit. Atque ex eo ovo in arca Ledæ servato, postea Helenam fuisse natam: quam Leda veluti ex se genitam educârit; ut Pausaniæ quoque traditum in Atticis. Educatam verò ac jam adultam, quia corporis formâ ac pulchritudine omnes Græciæ mulieres antecelleret, adeóque tam multos haberet procos, causam extitisse Trojani excidii: qua de re quoque vidimus in Signo Geminorum & Cygni.

Proci verò sive competitores Helenam ambientes, hi recensentur: Antilochus, Agapenor, Amphilochus Amphiarai, & Amphilochus Creati filius, Ajax Oilei, & Ajax Telamonis filius, Ascalaphus, Diomedes, Eurypylus, Elephenor, Eumelus, Menelaus, Megeres, Mnestheus, Ialmenus, Leonteus, Machaon, Polyxenus, Peneleus, Podalirius, Philoctetes, Protesilaus, Patroclus, Stenelus, Ulysses, Thalpius, Schedius, Polypætes, Teucrus. Atque inter hos ne nasceretur dissidium, Helenâ uni eorum addictâ, omnes jurare jussi sunt à Patre Helenes, se illum defensuros, cui ea obtigisset, ab omni cæterorum injuria. Sed tamen eam Menelao Trojanorum regi jam desponsatam, teste Herodoto in Euterpe, rapuit Alexander postea Paris dictus, Priami & Hecubæ filius: adeóque revera factus est fax ignis ardentis universam Asiam inflammans, qualem Hecuba, cùm illum in utero gestaret, se peperisse somniabat: unde Ovidius in Paridis Epist. 15, ad Helenam:

Illa sibi ingentem visa est sub imagine somni
flammiferam pleno reddere ventre facem.

 Territa

Territa consurgit: metuendaque noctis opacæ
visa sem Priamo, vatibus ille refert.
Arsurum Paridis vates canit Ilion igni:
Pectoris, ut nunc est, fax fuit illa mei. &c.

Nam hoc Helenæ raptu Paris universæ Græciæ arma in se suosque cives concitavit, adeò ut Asia tota everteretur, ac ipse patriâ extorris, denique è Lemno insula accitus trucidaretur; imò Helena quoque à filiis domo ejecta, miserabili spectaculo in arbore suspenderetur: quamquam, quòd maritum liquisset, pœnitudine ducta, lachrymas tanto impetu fudisse dicatur, ut ex iis herba *Helenium* dicta, nasceretur. Quam, si in vino à mulieribus bibatur, Venerem, ac hilaritatem excitare, scripsit Alexander Cornelius in rebus Phrygiis.

Atque sic Nemesis illa in anserem, uti diximus, conversa, objectum pariter ac causam suæ ultionis egregiam ipsa ex ipso Iove concepisse, ac peperisse videtur. Quippe quæ Dea dicitur vindictæ, ac alata fingitur, quòd omnes celerrimà persequatur ultione; item dextrâ phialam tenens, cum Æthiopibus inclusis, quòd ad ultimas Æthiopum terras & extremum mare confugisse sontibus minimè prosit; lævâ verò fraxinum cùm victoriæ sigillis, quòd bella ob temeritatem excitet, ipsa semper triumphans: unde & coronâ redimita, & cervis stipata cernitur, quia omnibus præest, & omnibus, quos semel percussit, timiditatem indit cervinam. Nempe eo habitu statua ejus Phidiaca ex Pario marmore effecta, Athenis conspiciebatur: ut proditum Demetrio Scepsio, & Pausaniæ in Atticis.

Sed videamus quoque, cur Anser in tanto olim apud Romanos fuerit æstimio; ejusque pictura *vigilantiæ* ac *custodiæ* sit hieroglyphicum. Plinius l. 10, c. 22, aliique memorant, anseres aliquando fures Capitolium noctu spoliare conatos, silentibus tum canibus, gracitando indicâsse, adeóque curâ suâ pervigili sedem Romani imperii defendisse, ac conservâsse. Vnde

Cicero

Cicero Orat. pro Sexto Roſcio, ait: *Anſeribus cibaria publicè locantur, & Canes aluntur in Capitolio; ut ſignificent, ſi fures venerint. At fures internoſcere non poſſunt; ſignificant tamen ſi qui noctu in Capitolium venerint; & quia id eſt ſuſpicioſum; tametſi beſtiæ ſunt, in eam partem potiùs peccant, quæ eſt cautior*, &c. Atque iccircò Anſeri honores inſtituti apud Romanos: quamquam poſtea Heliogabalus omnium ille bonarum conſuetudinum illuſor, imò inverſor totius humani ordinis, ejus jecore, quod tanquam optimum cibum, inventore Scipione Metello viro conſulari, ſive, ut alii malunt, Marco Seſtio Equite Romano, maximè æſtimabant, canes paſcere juſſerit. De Anſeribus Scoticis *Clachis*, *Clak-guyſe* incolis dictis, quæ non in arboribus naſcuntur, ut Munſterus in Coſmographia, & Olaus Magnus l. 19 Hiſt. Septent. c. 6, vulgi rumore decepti, affirmant, ſed ex vermibus in Hæbridum mari ejuſmodi vermes procreandi vim habente, videſis Hectorem Boëtium in Deſcript. Scotiæ, Iacobum Martinum Scotum c. 17, I. C. Scaligerum Exercit. ad Cardan. 51, diſt. 2, & Io. Pincierum in Ænigmat. p. 1.

Verùm ea Avis, quam hoc loco inter aſtra locatam conſpicimus, non eſt *Anſer Europæus*; ſed *Braſilicus*, ſive *Indicus*: cujus corpus totum nigrum, præter pectus, & ventrem; ac oculos circulus coralli æmulus ambit. Videatur de hoc Ionſtonius in Avib. p. 94.

Quod jam *Paſſerem* in genere conſideratum concernit: ille ſacer erat Veneri, ob ſalacitatem. Atque hinc *amoris* & quidem *ſalacis* eſt hieroglyphicum. Quin & Sappho Veneris currum à paſſeribus trahi finxit; fortè eò, ut ſuſpicor, quòd paſſerum caro, ac imprimis ova comeſta, ex Medicorum ſententia, ut Therſicles annotat, item Platina l. 5, Venerem langueſcentem corroborent, adeoque equitem pigrum excitatâ titillatione, ephippiatum reddant. Vnde & Græcis στρουθοὶ vocantur, παρὰ τὸ μετ᾽ οἴστρου πρὸς Ἀφροδίτην θέειν, juxta Euſtathium: quo nomine quoque olim *membrum virile* dictum teſtatur Pherecides. Sanè ſala-

cissimos esse, ac ad Venerem maximè pronos, argumento est, quod Aldrovandus; ut ipse testis est Ornithol. l. 15, c. 10, quendam observârit, qui longè minori quàm horæ spacio, vigesies femellam inivit, pluries initurus nisi illa locum mutâsset. Idem ferè habes apud Scaligerum Exercit. 269. Quare nihil mirum, quòd salax ille Veneris avis, castæ Palladis avem Noctuam tanto persequatur odio: imò quòd vulgò diutiùs anno vix vivere dicatur; quandoquidem & homines Venerem nimiùm exercentes, etiam ante diem effœtos, ac viribus planè exhaustos cernas. Præter salacitatem & *petulantia* ac *nequitia* illis attribuitur: qualem habuit Catullus, de quo Martialis;

Issa est Passere nequior Catulli.

Item *docilitas*, cùm sæpissimè ita mansueti, & ad jussa herilia obsequentes evadant, ut ad puerorum manus vocati advolent, ac basia etiam, illud edocti, applicent. Talem habuit Virgo quædam Amstelodamensis Susanna Bartelotia: quem carmine elegantissimo ac satis longo celebravit Clarissimus Barlæus. Atque id ipsum ex Latino in Belgicum transtulit Iustus Vondelius Coloniæ Agrippinæ in Germania natus, Poëtarum tamen Belgii facilè Coryphæus. Initium est:

Muschke, voesterkint / te minne
by de minnelike Maagt /
vleiertje van uw vriendinne;
die uw gild den krans ontdraagt /
en hoe kleen / in wetenschappen
Baas en overvlieger zijt /
en met tilpen / hupplen / trappen /
voertigh pikken alletijt.
Uw Suzanne kont verkwikken
en doen lachen. &c.

Sed *Passer Indicus*, in specie consideratus, cui in astris hîc locus est, quod ad pennas, quæ diversorum sunt colorum, ab illis nostris longè differt. Ionstonius de Avibus pag. 67, ex Aldrovandi Ornith. l. 15, c. 22, quatuor imprimis recenset genera. Macrourus, quòd longam

longam habeat caudam sic dictus, qui rursus duplex, constituit primum.: Brachyurus, quasi dicas furtz-schwantz, nempe cui cauda brevior, secundum: Erythromelanus, & Cyanerythromelanus, ab ejusmodi coloribus sic dictus, tertium: Porphyromelanus quartum. Qui verò *Brasilicus* vocatur, ac vernaculè *Tangara*, totus, præter caput, quod subflavum, nigricat. Mirum est, quod barbari de hisce passeribus narrant: nempe eos inter sese choreas ducere, & uno mortui instar humi procumbente, inconditum murmur ac strepitum edere; at hoc resurgente, ac eundem strepitum edente, omnes unà avolare. De hoc videsis quoque Ionstonium de Avib p. 147.

XXVI. HYDRVS; die Kleine Schlange / Wasser-schlange;

Græcè ὕδρος, *Serpens aquaticu*, excipiens ore extremitatem Eridani, complectitur quindecim stellas.

De hoc Signo serpentino, cùm planè novum sit, ac veteribus incognitum, nihil habemus, quod memorare possimus. Attamen ne vacuum, ac absque additamento quodam prætereuntes linquamus, addere quædam placet ex Poëtis de origine serpentum in genere consideratorum: quos Baccho sacros fuisse testatur Plutarchus in Probl. Sympoſiacis: unde & Mimallones, hoc est, mulieres Bacchi sacra celebrantes, angues pro zonis crinibus passis implicatos gerebant, cornibus, quæ capitibus suis, teste Isacio, alligabant, extantibus.

Serpentes verò, uti & φαλάγγια, ac viperas aliaque ejusmodi terræ monstra ex Titanum sanguine esse nata, testatur Nicander in Theriacis: nempe cùm adversus Iovem pugnantes vulnerati essent, & sanguis eorum in terram deflueret. Quamquam Acusilaus tradat omnes serpentes è Typhonis sanguine pullulâsse:

Tiberius Imperator hominem, qui unum è viridario ſubtraxerat, capitis ſupplicio affecerit; ut ex Æliano l. 5. de Animal. c. 21, & Suetonio in Tiberii vita conſtat: imò in Lybia ſi quis tantummodò læſiſſet, teſte Euſtathio, non impunè tulerit. Quin & Hortenſius Orator in jus vocatus eſt, quòd primus editiali cœnâ pavonem cibi causâ occidiſſet. Eos tamen Aufidius Lurco circa noviſſimum bellum piraticum primus ſaginare inſtituit, maximo cum quæſtu: quippe reditus ſeſtertiûm 60000 habuit; ſi Æliano loco adducto credimus. Et Vitellius Imperator cerebella pavonina in famoſa illa patina, quæ Minervæ clypeus dicebatur, cum aliis cibis inſolitis appoſuit. Sed pavone noſtro pennarum oculos jam in acervum contrahente, nos hîc ſubſiſtere jubemur. Iccircò qui plura de hoc noſſe deſiderat, adire poterit, præter auctores citatos, Ariſtotelem H. A. l. 9, c. 6, Ariſtophanem de Avibus, Aldrovandum Ornithol. l. 13, c. 1, 2, Columellam l. 5, c. 32, alios.

XXV. PICA INDICA, ſive *Braſilica*; die Indiſche Elſter / Aglſter / ſive potiùs Hägſter;

Pica Barbara, *Piperivora*, *Hipporynchos*, & *Burynchos*, à roſtri magnitudine *Rampheſtes*, ſive *Ramphaſtos*; aliis *Anſer*, & *Paſſer Braſilicus*, vernaculè *Tangara*; item *Tucana*, Lerio & Theveto *Toucan*; aliis *Lang*, fortè *Avis longa*, quam Indi vocant *Hoitlallotl:* Græcè Κίσσα Ἰνδικὴ, *Pica Indica*, Atticis κίττα, Laconibus κεῖσσα, aliis, σίττα; Heſychio, & Phavorino βάσκιλλος, & κραγξὼν, nonnullis ποικιλις, *pica*; χίνα, antiquis χὴν, *Anſer*, Plinio *Ganza*; ϛρυθὸς, ψάρις, χόλμις, βραχύβιος, δηγὴρ,

δηγὴρ, *passer*: Ebraicè צפור, *passer*. Continet 8. ſtellas; quarum quatuor tertiæ, tres quartæ, & una quintæ magnitudinis.

Pica in genere conſiderata, ob garritum quem edit, unde Polluci κιτταβίζειν, h.e. *more picarum* στωμύλλειν, ſive *blaterare*, *garrulitatis* eſt ſymbolum: ac causâ eâdem Baccho vini pariter ac ebrietatis Deo, teſte Plutarcho, ſacra: nempe quia vino inebriati ut plurimum garriunt, imò etiam ſaltare ſolent more picarum; & *arcanum demens detegit ebrietas*. Hinc Horatius:

Fœcundi calices quem non fecere diſertum?

Et dictum Athenæi l. 2, οἶνος ᾗ ἀλήθεια, *vinum & veritas*: quod Germani ſic proferunt:

Ein trunkner mund
entdekt der wahrheit grund.

Atque eâ quoque causâ eſſe puto, quòd ſacerdotes Bacchi plerumque fuerint feminæ: quas μιμαλόνες, ſive, ut Suidas habet, μιμαλλόνες vocabant, quòd ebrios garrulos imitabantur: item *Mænades*, *Bacchas*, ab inſania, & intemperantia, morumque pravitate; uti & *Thyades*, à Thya, quæ prima Bacchi ſacra inſtituit, ac ab impetu & furore bacchantium ſic dicta videtur. Atque Bacchis hiſce picarum nomen, ac ſymbolum eò magis convenit, quò obtuſiori, ob gutturis raucedinem crapulâ contractam, ac magis variabili voce utebantur, more picarum: quæ ſingulis ferè diebus, imò horis ſonum diverſum ac raucitate obfuſcatum & corruptum edere dicuntur.

Hinc & imitantur nonnullæ, ut ex hiſtoriis notum, vagitum infantum, & hœdorum querulum, mugitum vitulorum, balatum ovium, ſibilum opilionum armenta convocantium. Ac Plutarchus lib. de Solert. animal. refert, picam alioquin loquaciſſimam, auditis Romæ buccinatoribus quaſi obſtupefactam, eveſtigiò ſiluiſſe, tantoque ſic ſilentio dies aliquot meditatam, demum veluti expergefactam omnem buccinatorum

torum sonum summâ omnnium admiratione reddidisse.

Verùm non garrulitatis modò, sed & *mendacii* ac *simulationis* hieroglyphicum est Pica; nempe nostra communis: quòd ea anteriore parte sit candida, posteriore verò nigricet; æquè ac ipsum mendacium: ut de hoc testatur Tryphon Grammaticus: τὸ ψεῦδος ἐν τοῖς ἐσχάτοις μελαίνεται, *mendacium extremâ parte nigrescit:* Atque hinc dixit Pythagoras: τῶν μελανούρων μὴ γεύεσθαι, *minimè gustandum ex iis, quæ nigrâ incedunt caudâ.* Nempe cavendos esse simulatores, ac mendaces voluit omnes.

Cæterùm quòd *Picam Indicam* sive *Brasilicam* attinet, quam hîc considerare proposuimus, quamque *piperivoram* vocant, quòd pipere victitet; ea ob insignitam pulchritudinem inter astra locata videtur. Quippe præterquam quòd caput, collum, dorsum, ac alæ cum priori parte caudæ nigricent, pectus aureo colore cum rubedine quadam circumfusum, rutilare vides; ventrem verò & femora cinnabarino, caudamque in extremitate insigniter rubescentem.

Alii tamen in ejus locum sufficiunt *Anserem*; alii item *Passerem Brasilicum*. De quibus in genere consideratis hîc aliquid dicendum putavimus: & quidem primò de Ansere nostrate. Is sacer erat Iunoni, æquè ac agnus & pavo; item Isidi, & Inacho Eurydamantis, qui aliter Oeneus dictus, & Doryles nymphæ, sive, ut alii vocant, Iphinoës filio. Quem fluvium fuisse finxerunt, quòd ille Argis imperans, fluvium Argivorum priùs Amphilochum dictum, ampliore alveo locupletârit, ne irrumpens in planitiem, ut ante solebat, agros circumvicinos cum ædibus diriperet. Vnde fluvius ille postea Inachi nomen adeptus est:

Ἴναχος Οἰνείδης Κρονίδῃ πολυφίλτατον ὕδωρ.
Inachus Oeneides cœlo gratissimus amnis;

ut canit Hesiodus. In eo etiam, exstructo sub aquis sepulchro magnifico, ipse Inachus dicitur sepultus. Atque ex his vides cur Inacho Anser sit sacratus: nempe quia ejusmodi aves fluvios amant.

Hîc

Hîc incidit mihi in memoriam fabula de Nemesi Noctis & Oceani, teste Pausania in Atticis, filia, cognomento Adrastea: quæ postea ut vindictæ Dea fuit culta. Hanc fabulatur Apollodorus Biblioth. l. 3, se ipsam in anserem mutâsse, ut Iovis, qui eam ardentissimo deperibat amore, concubitum vitaret. Iovem vero cygni specie assumtâ Anserem illum compressisse. Vnde Nemesin gravidam ovum peperisse: quod obvio opilioni, ut Ledæ servandum deferret, tradiderit. Atque ex eo ovo in arca Ledæ servato, postea Helenam fuisse natam: quam Leda veluti ex se genitam educârit; ut Pausaniæ quoque traditum in Atticis. Educatam verò ac jam adultam, quia corporis formâ ac pulchritudine omnes Græciæ mulieres antecelleret, adeóque tam multos haberet procos, causam extitisse Trojani excidii: qua de re quoque vidimus in Signo Geminorum & Cygni.

Proci verò sive competitores Helenam ambientes, hi recensentur: Antilochus, Agapenor, Amphilochus Amphi arai, & Amphilochus Creati filius, Ajax Oilei, & Ajax Telamonis filius, Ascalaphus, Diomedes, Eurypylus, Elephenor, Eumelus, Menelaus, Megeres, Mnestheus, Ialmenus, Leonteus, Machaon, Polyxenus, Peneleus, Podalirius, Philoctetes, Protesilaus, Patroclus, Stenelus, Ulysses, Thalpius, Schedius, Polypætes, Teucrus. Atque inter hos ne nasceretur dissidium, Helenâ uni eorum addictâ, omnes jurare jussi sunt à Patre Helenes, se illum defensuros, cui ea obtigisset, ab omni cæterorum injuria. Sed tamen eam Menelao Trojanorum regi jam desponsatam, teste Herodoto in Euterpe, rapuit Alexander postea Paris dictus, Priami & Hecubæ filius: adeóque revera factus est fax ignis ardentis universam Asiam inflammans, qualem Hecuba, cùm illum in utero gestaret, se peperisse somniabat: unde Ovidius in Paridis Epist. 15, ad Helenam:

Illa sibi ingentem visa est sub imagine somni
flammiferam pleno reddere ventre facem.

 Territa

Territa consurgit: metuendaque noctis opacæ
visa senι Priamo, vatibus ille refert.
Arsurum Paridis vates canit Ilion igni:
Pectoris, ut nunc est, fax fuit illa mei. &c.

Nam hoc Helenæ raptu Paris universæ Græciæ arma in se suosque cives concitavit, adeò ut Asia tota everteretur, ac ipse patriâ extorris, denique è Lemno insula accitus trucidaretur; imò Helena quoque à filiis domo ejecta, miserabili spectaculo in arbore suspenderetur: quamquam, quòd maritum liquisset, pœnitudine ducta, lachrymas tanto impetu fudisse dicatur, ut ex iis herba *Helenium* dicta, nasceretur. Quam, si in vino à mulieribus bibatur, Venerem, ac hilaritatem excitare, scripsit Alexander Cornelius in rebus Phrygiis.

Atque sic Nemesis illa in anserem, uti diximus, conversa, objectum pariter ac causam suæ ultionis egregiam ipsa ex ipso Iove concepisse, ac peperisse videtur. Quippe quæ Dea dicitur vindictæ, ac alata fingitur, quòd omnes celerrimà persequatur ultione; item dextrà phialam tenens, cum Æthiopibus inclusis, quòd ad ultimas Æthiopum terras & extremum mare confugisse sontibus minimè prosit; lævâ verò fraxinum cùm victoriæ sigillis, quòd bella ob temeritatem excitet, ipsa semper triumphans: unde & coronâ redimita, & cervis stipata cernitur, quia omnibus præest, & omnibus, quos semel percussit, timiditatem indit cervinam. Nempe eo habitu statua ejus Phidiaca ex Pario marmore efficta, Athenis conspiciebatur: ut proditum Demetrio Scepsio, & Pausaniæ in Atticis.

Sed videamus quoque, cur Anser in tanto olim apud Romanos fuerit æstimio; ejusque pictura *vigilantiæ* ac *custodiæ* sit hieroglyphicum. Plinius l. 10, c. 22, aliique memorant, anseres aliquando fures Capitolium noctu spoliare conatos, silentibus tum canibus, gratitando indicâsse, adeóque curà suâ pervigili sedem Romani imperii defendisse, ac conservâsse. Vnde

Cicero

Cicero Orat. pro Sexto Roſcio, ait: *Anſeribus cibaria publicè locantur, & Canes aluntur in Capitolio; ut ſignificent, ſi fures venerint. At fures internoſcere non poſſunt; ſignificant tamen ſi qui noctu in Capitolium venerint; & quia id eſt ſuſpicioſum; tametſi beſtiæ ſunt, in eam partem potius peccant, quæ eſt cautior*, &c. Atque iccircò Anſeri honores inſtituti apud Romanos: quamquam poſtea Heliogabalus omnium ille bonarum conſuetudinum illuſor, imò inverſor totius humani ordinis, ejus jecore, quod tanquam optimum cibum, inventore Scipione Metello viro conſulari, ſive, ut alii malunt, Marco Seſtio Equite Romano, maximè æſtimabant, canes paſcere juſſerit. De Anſeribus Scoticis *Clachis*, *Clak-guyſe* incolis dictis, quæ non in arboribus naſcuntur, ut Munſteras in Coſmographia, & Olaus Magnus l. 19 Hiſt. Septent. c. 6, vulgi rumore decepti, affirmant, ſed ex vermibus in Hæbridum mari ejuſmodi vermes procreandi vim habente, videſis Hectorem Boëtium in Deſcript. Scotiæ, Iacobum Martinum Scotum c. 17, I. C. Scaligerum Exercit. ad Cardan. 51, diſt. 2, & Io. Pincierum in Ænigmat. p. 1.

Verùm ea Avis, quam hoc loco inter aſtra locatam conſpicimus, non eſt *Anſer Europæus*; ſed *Braſilicus*, ſive *Indicus*: cujus corpus totum nigrum, præter pectus, & ventrem; ac oculos circulus coralli æmulus ambit. Videatur de hoc Ionſtonius in Avib. p. 94.

Quod jam *Paſſerem* in genere conſideratum concernit: ille ſacer erat Veneri, ob ſalacitatem. Atque hinc *amoris* & quidem *ſalacis* eſt hieroglyphicum. Quin & Sappho Veneris currum à paſſeribus trahi finxit; fortè eò, ut ſuſpicor, quòd paſſerum caro, ac imprimis ova comeſta, ex Medicorum ſententia, ut Therſicles annotat, item Platina l. 5, Venerem languēſcentem corroborent, adeoque equitem pigrum excitatâ titillatione, ephippiatum reddant. Vnde & Græcis στρουθοὶ vocantur, παρὰ τὸ μετὰ οἴστρου πρὸς Ἀφροδίτην θέειν, juxta Euſtathium: quo nomine quoque olim *membrum virile* dictum teſtatur Pherecides. Sanè ſala-

cissimos esse, ac ad Venerem maximè pronos, argumento est, quod Aldrovandus; ut ipse testis est Ornithol. l. 15, c. 10, quendam observârit, qui longè minori quàm horæ spacio, vigesies femellam inivit, pluries initurus nisi illa locum mutâsset. Idem ferè habes apud Scaligerum Exercit. 269. Quare nihil mirum, quòd salax ille Veneris avis, castæ Palladis avem Noctuam tanto persequatur odio: imò quòd vulgò diutiùs anno vix vivere dicatur; quandoquidem & homines Venerem nimiùm exercentes, etiam ante diem effœtos, ac viribus planè exhaustos cernas. Præter salacitatem & *petulantia* ac *nequitia* illis attribuitur: qualem habuit Catullus, de quo Martialis;

Issa est Passere nequior Catulli.

Item *docilitas*, cùm sæpissimè ita mansueti, & ad jussa herilia obsequentes evadant, ut ad puerorum manus vocati advolent, ac basia etiam, illud edocti, applicent. Talem habuit Virgo quædam Amstelodamensis Susanna Bartelotia: quem carmine elegantissimo ac satis longo celebravit Clarissimus Barlæus. Atque id ipsum ex Latino in Belgicum transtulit Iustus Vondelius Coloniæ Agrippinæ in Germania natus, Poëtarum tamen Belgii facilè Coryphæus. Initium est:

Muschke, voesterkint / te minne
by de minnelike Maagt /
vleiertje van uw vriendinne;
die uw gild den krans ontdraagt /
en hoe kleen / in wetenschappen
Baas en overvlieger zijt /
en met tilpen / hupplen / trappen /
voertigh pikken alletijt.
uw Suzanne kont verkwikken
en doen lachen. &c.

Sed *Passer Indicus*, in specie consideratus, cui in astris hîc locus est, quod ad pennas, quæ diversorum sunt colorum, ab illis nostris longè differt. Ionstonius de Avibus pag. 67, ex Aldrovandi Ornith. l. 15, c. 22, quatuor imprimis recensct genera. Macrourus, quòd longam

longam habeat caudam sic dictus, qui rursus duplex, constituit primum: Brachyurus, quasi dicas kurtz-schwantz, nempe cui cauda brevior, secundum: Erythromelanus, & Cyanerythromelanus, ab ejusmodi coloribus sic dictus, tertium: Porphyromelanus quartum. Qui verò *Brasilicus* vocatur, ac vernaculè *Tangara*, totus, præter caput, quod subflavum, nigricat. Mirum est, quod barbari de hisce passeribus narrant: nempe eos inter sese choreas ducere, & uno mortui instar humi procumbente, inconditum murmur ac strepitum edere; at hoc resurgente, ac eundem strepitum edente, omnes unà avolare. De hoc videsis quoque Ionstonium de Avib p. 147.

XXVI. HYDRVS; die Kleine Schlange / Wasser-schlange;

Græcè ὕδρος, *Serpens aquaticu*, excipiens ore extremitatem Eridani, complectitur quindecim stellas.

De hoc Signo serpentino, cùm planè novum sit, ac veteribus incognitum, nihil habemus, quod memorare possimus. Attamen ne vacuum, ac absque additamento quodam prætereuntes linquamus, addere quædam placet ex Poëtis de origine serpentum in genere consideratorum: quos Baccho sacros fuisse testatur Plutarchus in Probl. Symposiacis: unde & Mimallones, hoc est, mulieres Bacchi sacra celebrantes, angues pr. zonis crinibus passis implicatos gerebant, cornibus, quæ capitibus suis, teste Isacio, alligabant, extantibus.

Serpentes verò, uti & φαλάγγια, ac viperas aliaque ejusmodi terræ monstra ex Titanum sanguine esse nata, testatur Nicander in Theriacis: nempe cùm adversus Iovem pugnantes vulnerati essent, & sanguis eorum in terram defflueret. Quamquam Acusilaus tradat omnes serpentes è Typhonis sanguine pullu-

 lâsse:

lâsse: & Apollonius Rhodius de ædificat. Alexandriæ, è sanguine Medusæ: de qua vidimus in Signo Pegasi. Typhon vero, sive Typhoëus, fuit filius, teste Hesiodo, Terræ & Tartari sive Erebi: & Homerus tradit hymno in Apollinem, Iunonem ægrè ferentem, quòd Iupiter, eâ non adhibitâ, Minervam ex suo peperisset capite, Deos omnes advocâsse, ut sibi facultatem itidem sine maris congressu pariendi concederent: ac hoc impetrato, terram manu percussisse: unde postea natus sit Typhon, quem dracænæ educandum tradiderit. Videatur de hoc quoque Artemon, & Theodorus in bello Gigantum; item Ovidius Metam. l. 1, & quod nos supra diximus in Piscium Signo. Sed audiamus Hesiodum, qui Typhonem in Theogonia sic, uti quidam Latinè reddidit, depingit:

Verùm ubi Titanas cœlo turbâsset ab alto
Iuppiter, hunc genuit mox Alma Typhoëa Tellus
postremum, ex Erebo Veneris dulcedine capta.
Huic palmæ ad quævis miranda negotia duro
robore erant, promptique pedes: centum capita altis
ex humeris sævi surgebant torva Draconis,
ora sub hinc linguis lambentia cæca trisulcis;
igne coruscabant ciliis sub lumina tetris.
Denique quodque caput flammam spirabat & ignem:
omnibus his inerant voces, variumque sonabant,
horrendumque dabant gemitum: sæpè ora tonabant,
numinibus magnis ut sint concurrere visa;
interdum ingenti tauri mugire boatu;
interdum gemitum sævi dare visa leonis;
interdumque canum latrantum emittere voces.
Rursus & horrendum sonitum ab radicibus imis
mittebant montes umbrosi: luce sed illa
denique visa potens nimiùm foret illa propago,
atque viros, superosque Deos vicisset; ab alto
ni pater omnipotens, hominum sator atque Deorum,
æthere det tonitrus, & fulmina crebra repentè. &c,

Præter-

Præterea quoque Zenodotus aliàm nobis de ortu ſerpentum enarrat fabulam, cùm inquit, hominem quendam degiſſe in Attica regione; nomine Phalangem in arte militari à Pallade inſtructum; cui ſoror fuerit Arachne, artificio nendi ſuendique, ac telæ conficiendi celebris. Cum hac rem habuiſſe Phalangem: unde Deam facti turpitudine commotam, ambos in ſerpentes mutâſſe. Et cùm Arachne, Deâ ſic volente, à filiis, quos maximo vitæ diſcrimine peperit, fuerit corroſa, id etiam cæteris ejuſdem generis poſtea accidiſſe. Alii tamen, quod ad Arachnen, fabulantur, eam deveniſſe cum Minerva in certamen de lanificio ac textura; unde dea indignata, Arachnen radio percuſſerit, ac tanto animi dolore affecerit, ut ea ſeipſam laqueo ſuffocans, in araneam mutata ſit: quæ etiamnum nere ac texere non deſinat, filiſque ſuis adhuc hæreat penſilis. Sed ficta ſunt hæc, eò, quòd Arachne puella Lyda, Plinio teſte, linum, retia, & telas, æquè ac ejus filius Cloſter fuſos, invenerit: quod etiam de Pallade traditur. Hîc incidit mihi in memoriam cumulus ille telarum araneorum, qui cum maxima omnium admiratione, eâ ipsâ horâ, qua Gregorius Patriarcha Conſtantinopolitanus, cum Macario, Pyrrho, aliiſque, qui unam in Chriſto naturam ſtatuebant, centum & quinquaginta Præſulum ſententiâ damnati erant, in medium cecidit populum: unde, cùm araneus ſymbolum ſit rerum futilium ac inanium, etiam in ipſis ſacris Scripturis, augurati ſunt eam, quam modò diximus, opinionem aranearum inſtar inanem, eoque conventu diſjectam fuiſſe.

Cæterùm, quoniam hîc de ſerpentibus ſive colubris nobis eſt ſermo, non intermittere poſſumus, quin unà paucis quoque attingamus, colubrum illum, ſub quo Satanas latitans, primos noſtros parentes ſeduxit, ſi Ebræis credimus, ſpeciem habuiſſe Cameli. Nam R. Moſes Ben-Meimon More Nebochim 2, c. 31, ait: *Coluber fuit equitatus, & ejus quantitas ſicut Cameli, & equitatus ejus, ſicut ille, qui decepit Evam,*

& ipse fuit Samaël. Sic vocatur Diabolus perditor, à שחת *perdidit.* Quamquam in Traditione veteris Ecclesiæ Orientalis sit *Sachaël.* Nempe ubi legitur: *Accusationis* Sachaëlis *ne recorderis*; *memento autem defensionis Michaëlis.* Atque ita Satanas, ac *motus proprius*, ut Hierocles Stoicus Comment. in aurea Pythagoræ carmina loquitur, *hominem incitavit, ut malum secutus sit, bonum relinquens.*

XXVII. DORADO, aliis *Xiphias*; der Schwert-fisch;

Gladius, *Piscis gladiatus*; *Piscis auratus*, quibusdam *Aurata*, *Chrysophris*; Hermolao *Tomus Thurinus*, Alberto *Miles*: Græcè Epicharmo, & Athenæo l. 7, σκιφίας, Menandro ξιφιάς. Homerus vocat κύνα, Hesychius & Varinus θρηνία, alii *Thranin*; unde fortè Hermolao *Thurinus.* Continet in globo nostro novem stellas.

Bayerus verò numerat 5; nempe 3 tertiæ, & 2 quartæ magnitudinis.

Positus est propè nubeculam, uti dicitur, majorem, & Polum Eclipticæ austrinum: ac *Xiphias* dicitur à rostro gladiato; quo tanquam gladio utens, pisces, antequam comedat, transfigit, quin & naves perforat. Sed eas in Indico mari ad sesquipalmum perforâsse, imò rostro dissecuisse, uti Ionstonius H. N. de piscibus pag. 7, persuasus videtur, vix crediderim. Hoc tamen ex nautis ea, ubi Xiphiæ degunt, loca frequentantibus sæpissimè audivi, quòd serrato suo rostro sociorum navalium manus & pedes aliquando amputârit. Similiter nec de *Remora*, sive, ut Plauto dicitur, *remiligine* pisce, sive potiùs pisciculo (nam admodùm parvus est) crediderim, quòd ille navigiis

navigiis ſaltem adhærens, ea ſiſtere, ac veluti anchorâ eorum curſum infrænare ac remorari, imò retrahere ex ſuo robore valeat; adeò ut ventorum procellarumque furori, licet impetuoſiſſimè ſæviant, imperet, ac omnes eorum vires illudat. Videatur tamen de hoc Plinius N. H. l. 9, c. 25, & l. 32, c. 1, Bellonius de Aquatil. l. 2, & Trebius Niger, qui eum longitudine pedem non excedere ait; item Ariſtoteles, Geſnerus, Suarezius Diſput. Metaphyſ. 18, Fracaſtor. de ſymphat. c. 8, Lonicerus de Aquaticis, Keckermannus in Probl. nautic. Baſilius 8. Hexaem. homil. 7, Oppianus Halieut. l. 1, c. 221, imprimis autem doctorum hujus ſeculi facilè Phœnix Athan. Kircherius Art. Magnet. l. 3, & I. Pincerius in Ænigm. p. 87, 88, &c.

Cæterùm *Xiphiæ* nomen tribuitur etiam illis ſtellis ex genere Cometarum in mucronem faſtigiatis, ac quodam gladii nitore conſpicuis, radiorum tamen expertibus: unde ξιφίας κομήτης, *Cometes mucronatus*; de quo videſis Plinium l. 2, c. 25, & l. 32, c. 2. Item Lapidi cuidam apud Kiranidem; in cujus ariolandi Arte de eo hæc legas: *In* Xiphia *lapide, hoc eſt, in ſapphiro, ſculpe accipitrem, & ſub pedibus ejus* Xiphiam piſcem: *deinde incluſam ſub eadem gemma herbæ* Xiphii (de qua videatur Theophraſtus Hiſt. Plant. l. 7, c. 12) *radicem geſta in annulo. Hic enim annulus caſtus eſt: quem ſi habueris, omnia, tanquam ex oraculo, cognoſces. Quod ſi eandem gemmam in ſimulachro aliquo collocâris, de rebus, quas ſcire volueris, fundet oracula.*

XXVIII. PISCIS VOLANS, ſive *alatus*; der Fliegende Fiſch/ Fliegelfiſch;

Volatilis, *volucris*; nonnullis *Paſſer marinus*; *Hirundo marina*: neotericis Græcanicè *Che-*

lidon Thalassea, χελιδών. Continet quinque stellas, duas quartæ & tres tertiæ magnitudinis.

De hoc nihil memoratu digna occurrunt; nisi quòd vulgò supra aquas pinnis suis, tanquam alis, volare dicatur: unde & *Piscem volantem* appellant. Iccirco nos accingamus ad contemplationem ultimi Signi, figurâ & nomine Chamæleontis novo insigniti.

XXIX. CHAMÆLEON, die Katten-eidex;

Χαμαιλεών, quasi dicas, *parvus leo*: nisi cum Isidoro à *camelo*, & *leone* deducere velis: Barbaris *Gameleon*, *Zamaleon*, *Hamaleon*, & *Maleon*. Ursæ minori ferè opponitur, cujus quoque formam, quod ad stellarum situm, veluti refert: quarum novem continet, quæ omnes sunt tertii luminis.

In descriptione hujus animalis valde variant auctores. Ac in hoc falsi sunt veteres, quòd scripserint aëre victitare; cùm recentiores, inter quos est Peirescius, & Bellonius l. 2, c. 25, observârint locustas, erucas, muscas, scarabæos & similia animalcula vorare. Famis tamen patientissimum est. Et caudâ pedibusque muri, quem vulgò *rattum*, alii *glirem* vocant, reliquo verò corpore lacertæ respondere, pœnè omnes testantur: unde & nos Germani eine Katten-eidex, quasi *lacertam murinam*, diximus. Degit in Asia, Africa, India, insulâ Madagascar imprimis, ac in hortorum sepibus Cairi ad Nilum. De quo videatur Plinius N. H. l. 8, c. 33, Aristoteles H. A. l. 2, c. 11, Theophrastus de mutantib. coloribus, Gassendus in Vita Peirescii pag. 325, Bellonius Observat.

ſervat. l. 2, c. 34, Petrus Crinitus de honeſta Diſcipl. l. 18, c. 14, & Io. Pincierus Ænigm. p. 10, 14, &c.

Cæterùm valde pavidum eſt, quia exangue ferè, & frigidum: ideóque pro adjacenti ſive ſubjecta materia colorem ſubinde mutare videtur, & oculis, & caudâ, & toto corpore, quod ob ſuccum exiguum ferè pellucidum: redditque ſemper quemcunque proximè attingit, præter rubrum, & candidum. Quamquam Ambroſinus affirmet candidum quoque recipere. Imò Ovidius Metam l. 15, fab. 15, nullum excipit colorem, cum inquit:

Id quoque quod ventis animal nutritur, & aurâ,
protinus aſſimilat, tetigit quoſcunque colores.

Idem videtur affirmare & Tertullianus dePallio. Atque hinc *Chamæleonte mutabilior*, proverbii loco apud Eraſmum Chil. 4, l. 18, c. 14, dicitur in homines verſipelles ac varios: & Alciatus Chamæleontis naturam in Emblematibus ſuis ſatis feſtivè detorſit in Adulatores, cùm ſcribit:

Semper hiat, ſemper tenuem, qua veſcitur, auram,
reciprocat Chamæleon;
& mutat faciem, varios ſumitque colores,
præter rubrum, *vel* candidum.
Sic & adulator populari veſcitur aurâ,
hianſque cuncta devorat;
& ſolum mores imitatur Principis atros,
Albi, & pudici *neſcius.*

FINIS.

I N-

INDEX
Rerum, & verborum memorabilium, quæ in hoc opere continentur.

A.

Sicio-

B.

Bucepha-

C.

Eo-

Eo-

Eo-

G.

portatæ,

Hercules

I.

Ceres:

K.

L.

Leuco-

M.

N.

P.

Pan-

Sidera


Stel-

V. Vel-

V.







EMENDANDA
AC
INSERENDA.

Paginâ 41, lineâ 1, pro *demonstravimus*, lege *demonstrabimus*. p. 43, l. 12, post *vocatur* adde, *quasi* Saitines à Sais, *sive* Saitica Dea. p. 55, l. 4, pro *Idololatra*, lege *Idololatras*. p. 76, l. 30, pro *fecimus*, lege *faciemus*. p. 84, l. 29, lege *in Globo nostro* 32. p. 107, l. 6, post *stellæ*, insere, *quarum extima* Cynosura *dicta*. p. 118, l. 18, adde, *aut Mosis uxorem Æthiopissam, quæ adumbrata videtur Ecclesia ex gentibus congregata, Num. c. 12, v. 1.* p. 143, l. 22, post *Phædra*, insere, *sorore, sive ut alii malunt*. p. 165, l. 6, post *Proserpinam*, insere, *illam*. p. 174, l. 23, pro *diximus*, lege *dicturi sumus*. p. 206, l. 19, post *fabulosis*: lege, *& Cygnum*. p. 252, l. 16, post *Sirio exorto*, insere, *apud eosdem*. p. 291, l. 25, pro *Rumina*, lege *Ruminæ*. p. 294, l. 17, lege *in hospitem*. p. 295, lege Wieder-wölfe; & Wolfsmensch. p. 298, l. 20, pro *sunt*, lege *sint*. p. 299, l. 26, lege *Cœlulum*. p. 302, lege פה טלה p. 309, l. 25, lege ἐχεμυθίᾳ. p. 318, l. 3, lege יונם *Ionas*. p. 350, l. 2, lege *proposuerit*. Cætera corrigenda relinquimus ipsis Lectoribus; quos æternùm valere jubemus.

